


Monotessaron
Evangelicum

BS2552
.4
.V5
1889
c.1

011747

1080022923




EX LIBRIS

HEMETHERII VALVERDE TELLEZ

Episcopi Leonensis

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

SANCTUM EVANGELIUM

IN MEDITATIONES

QUOTIDIANAS DISTRIBUTUM.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
VENDIBLE EN LA LIBRERIA RELIGIOSA CALLE el REAL No.3 MEXICO
47839
Capilla Alfonsina
Biblioteca Universitaria

## ADVERTENDUM.

Sciat pius lector sententias Patrum quas ei meditandas proposuimus, e catena Aurea Divi Thomæ Aquinatis esse fere omnes excerptas, quas ibi, cum indice completo, si ei placuerit, inveniet. Aliæ, si quædam sint, ad proprium originem remittuntur.

CAPILLA ALFONSINA
FONDO EMETERIO VALVERDE Y TELLEZ

# Sanctum Evangelium in Meditationes Quotidianas distributum.

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
Biblioteca Valverde y Tellez

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem mortem autem crucis. (Philipp. II. 8.)

# Vitae Domini Nostri Jesu Christi Monotessaron Evangelicum

quod ex quatuor Evangelistarum verbis ad unum mysterium pertinentibus, prosacrarum meditationum materia, in singulos anni dies contraxit ac distribuit

**R. P. Georgius Heser S. J.**

Novissime edebat adjunctis in adjumentum meditantis sententiis Patrum **P. Jacobus Brucker** Societatis Jesu presbyter.

TORNACI [Nerviorum]
Typis Soc. S. Joannis Evangel.
Desclée, Lefebvre et Soc.
Edit. Pont. — M. DCCC. LXXXIX.

Jus proprietatis vindicabitur.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

IMPRIMATUR.
Tornaci, die 19 Martii 1889.
G. F. J. BOUVRY Vic. Gen.

## AMICE LECTOR.

*HIC quem præ manibus habes liber, in lucem primo prodiit anno Domini MDCLVII, auctore P. Georgio Heser, germano, e societate Jesu: sæpius dehinc typis mandatus ea utilitate, ea laude quam vel solo auctoris nomine sperare licebat. Duplex porro hujus operis laus erat; altera ex ipsa materia quæ tota a sacris eloquiis Evangelicisque documentis repetebatur; altera ex methodo qua doctissimus æque ac pius scriptor, sacra eloquia in corpus quoddam doctrinæ ac synthesim redegit: ita ut, ex verbis Domini in determinatum ordinem digestis, conflaretur quasi summa quædam fidei ac morum.*

*Illud denique opus majoribus nostris adeo probatum, operæ pretium fore visum est, si denuo in lucem proferremus, pluribus tamen adjectis. In hoc autem præcipue adlaboravimus, ut divina eloquia Patrum sententiæ singulæ singula accipiant, brevissimæ illæ sed sensu plenissimæ et affectu piissimæ, quibus via sterneretur, campus-*

080147

*que aperiretur ad meditandum et contemplandum.*

*Hic paucis alloqui te volebam, amice lector, quibus te qualiscumque operis nostri admonerem, fructumque uberem tibi exoptarem, et rursus me laboresque meos tuis precibus commendarem. Vale.*



## PRÆFATIO AD LECTOREM.

*Librum hunc, o pie lector, Monotessaron appellamus, eam ob causam, quod unum e quatuor sacrosanctis Evangeliis depromptum Vitæ, Miraculorum, Doctrinæ, Passionis aut Resurrectionis D. N. J. C. Mysterium, non aliis quam ipsorummet Evangelistarum verbis enarratum proponitur; omnium quidem, si omnes; trium vel duorum, si duo tresve rem eamdem memoriæ prodiderunt; unius, quod unus calamo duntaxat consignavit.*

*Hoc in stadio devenerunt e vetustissimis duo :* Tatianus Assyrius, *Justini Martyris et Philosophi sectator, florens in Ecclesia, quamdiu ab ejus latere non discessit; quem id genus, labore laudeque consecutus est* Ammonius Alexandrinus. *Harmoniam utriusque* Magna Bibliotheca Patrum et Antiquorum Scriptorum Ecclesiasticorum *exhibet.* Eusebius *Cæsariensis Episcopus Alexandrinus, secutus Ammonium, canones in decem numeros ordinavit : quos*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*S. Hieronymus sicut in græco habebantur expressit, ut si quis voluerit nosse quæ in Evangeliis vel eadem, vel vicina, vel sola sint earum distinctione agnoscat.*

*Alii subinde fuerunt qui præcedentium studia majorem in modum perfecerunt, ut* Joannes Gerson *Cancellarius Parisiensis,* Cornelius Jansenius *Episcopus Gandavensis,* Sebastianus Barradius, Joannes Hujus, Bartholomæus Riccius *etc. qui operæ pretium suæ fecerunt.*

*Verum ut ad omnem, sive meditantium, sive lectorum commoditatem ordo nihil deesset, illud accedere posse visum fuit : ut in certas materia disposita classes, enarrata verbis Sacrorum Evangelistarum, in tres quatuorve divisa partes, omnem surriperet laborem quærendi num idem alius aliterque recenseret.*

*Quamobrem in septem classes universa exegi, quarum in se complectitur*

Prima. *Ortum, infantiam, vitamque Christi ad annum usque trigesimum.*

Altera. *Refert acta præcipua Christi ab anno trigesimo.*

Tertia. *Narrat miracula, quæ medicus, e cælo delapsus virtute divina patravit in ægris quos sanitati restituit.*



Quarta. *Doctrinam Æternæ Sapientiæ pervolvit, ac primum eam quam Dei Filius per parabolas proposuit.*

Quinta. *Didagmata non omnia, tamen præcipua Christi, quibus omne hominum genus imbuere voluit, selegit.*

Sexta. *Passionem acerbissimam Servatoris nostri ob oculos ponit.*

Septima. *Gloriam Jesu Christi redivivi manifestam facit.*

*Verbis utimur non aliis quam quibus latine Vulgata. Quæ prætermisit Evangelistarum unus ex aliis supplemur, eo collocata verborum ordine ut filum historiæ non incidatur. Mox illius quoque nomen adjungimus, qui, quod ad lucidiorem rei notitiam faceret, symbolam quasi dedit; ut a quo lampadem augeris non ignores.*

*His te pauculis alloquendum existimavi, quo mentem nostram et laboris scopum perspiceres. Tu bone Lector his, ut potes, ad majorem Dei gloriam tuamque salutem utere, et bene vale.*

*Monachii anno MDCLVII.*





## PARS PRIMA.

**Christi ortum, infantiam, pueritiam et reliquum vitæ usque ad annum ætatis trigesimum complectens.**

### MEDITATIO I.

**Gabriel angelus legatus Dei ad Mariam Virginem.**

1. — Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, Ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David et nomen Virginis Maria. (*Luc. I. 26, 27.*)

Miraris quod Nazareth parva civitas et tanti regis nuntio illustretur, et tanto! Sed magnus latet in hac civitate thesaurus : latet, inquam, homines, non Deum. (*Bern. Serm. 3. in Annunt.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Et bene Angelus ad Virginem mittitur quia semper est Angelis cognata virginitas. Profecto in carne præter carnem vivere, non terrena vita est sed cœlestis. (*Hieronymus.*)

Ad Mariam Virginem non quilibet Angelus, sed Gabriel Archangelus mittitur : ad hoc quippe ministerium summum Angelum venire dignum fuerat qui summum omnium nuntiabat. (*Gregorius.*)

Bene autem posuit Scriptura, ut et *desponsata* esset et *virgo* : virgo, ut expers virili consortii videretur; desponsata, ne temeratæ virginitatis adureretur infamia. Maluit Dominus aliquos de suo ortu quam de matris pudore dubitare ; sciebat enim teneram esse virginis verecundiam et lubricam famam pudoris, nec putavit ortus sui fidem matris injuriis adstruendam. (*Ambrosius.*)

II. — Et ingressus Angelus ad eam dixit : Ave gratia plena : Dominus tecum : Benedicta tu in mulieribus. (*Luc. I. 23.*)

Contra vocem prius editam mulieri dirigitur nunc sermo ad virginem. In illa doloribus partus est causa peccati punita : in hac per gaudium mœstitia pellitur; unde jucunditatem non absurde prænuntiat Angelus virgini, dicens *Ave.* (*Græcus.*)

Et bene *gratia plena :* quia ceteris per partes præstatur, Mariæ vero simul se totam infudit gratiæ plenitudo. Vere *gratia plena*, per quam largo Spiritus sancti imbre superfusa est omnis creatura. Jam autem erat cum virgine qui ad virginem mittebat Angelum, et præcessit nuntium suum Dominus : unde sequitur : *Dominus tecum.* (*Hieronymus.*)



Ultimum vero ponitur tanquam perfectissimum et compendiosum : *Benedicta tu in mulieribus :* una scilicet præ cunctis mulieribus : ut etiam benedicantur in te mulieres sicut mares in Filio ; sed magis uterque in utrisque. Velut enim per unam feminam et unum marem peccatum simul ac tristitia intravit : sic et nunc per unam et unum benedictio revocata est et lætitia, et ad singulos est profusa. (*Græcus.*)

III. — Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus et cogitabat qualis esset ista salutatio (*Luc. I. 28*).

Cum assueta foret his visionibus. Evangelista non visioni, sed relatibus turbationem attribuit, dicens : *turbata est in sermone ejus.* Attende autem virginis et pudicam et prudentem et animam simul et vocem. Audita lætitia dictum examinavit, et neque manifeste obstitit per incredulitatem, nec statim paret ex levitate. Evæ levitatem evitans simul et duritiam Zachariæ unde sequitur : *et cogitabat qualis esset ista salutatio* : non conceptio, nam adhuc ignorabat immen-

sitatem mysterii, sed salutatio : numquid libidinosa ut a viro ad virginem; an divina dum Dei faceret mentionem dicens, *Dominus tecum?* (*Græcus.*)

## MEDITATIO II.

### Gabriel mysterium Incarnationis explicat Mariæ.

I. — Et ait Angelus ei : Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum : Ecce concipies in utero et paries Filium, et vocabis nomen ejus Jesum.

Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus : et regnabit in domo Jacob in æternum,

Et regni ejus non erit finis. (*Luc. I. 30, 31, 32, 33.*)

Quia salutatione insolita virginem turbatam viderat, quasi familiarius notam vocans ex nomine, ne timere debeat jubet. (*Beda.*)

Quasi dicat : Non accessi decepturus, immo deceptionis absolutionem depromere; non veni prædaturus inviolabilem tuam virginitatem, sed conditori puritatis et custodi contubernia reserare; non sum serpentis minister, sed perimentis serpentem legatus; sponsalium tractator, non insidiarum molitor. (*Græcus.*)



Invenit enim gratiam virgo coram Deo, quia splendore pudicitiæ propriam exornans animam, gratum Deo se habitaculum præparavit; nec solum cœlibatum inviolabilem conservavit, sed etiam immaculatam conscientiam custodivit.

Quod dicitur, *Ecce concipies*, celeritatem et præsentiam denotat, insinuans cum ejus verbo celebratam esse conceptionem. (*Græcus.*)

Cum autem exspectatio partus mulieribus timorem incutiat, sedat timoris metum dulcis partus relatio, cum subditur : *et vocabis nomen ejus Jesum* : Salvatoris enim adventus est cujuslibet timoris propulsio. (*Gregorius Nyssenus.*)

Tu vocabis, non pater : patre enim caret quantum ad inferiorem generationem sicut et matre respectu supernæ. (*Græcus.*)

Regnum potius ei spirituale designatur, in quo expulso mundi principe, in animis fidelium per totum mundi ambitum erat regnaturus. (*Cyril. Alex. Sup. Joan. Cap. 7, Lib. 7.*)

II. — Dixit autem Maria ad Angelum : Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? (*Luc. I. 34.*)

Hæc Mariæ verba indicium sunt eorum quæ tractabat in mentis arcano : quia obla-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tum corpus Deo quasi quoddam ex sacris inviolabile reservari decebat, ideo dicit : *Quomodo*, etc. (*Gregorius Nyssenus.*)

III. — Et respondens Angelus dixit ei : Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei. (*Luc. I. 35.*)

Non quæras ordinem naturalem ubi naturam transcendunt et superant quæ tractantur. Dicis : *Quomodo*, etc.? quinimmo eo ipso continget quod ex conjugis inexperta : nam si virum experta fuisses, non digna censeres hoc mysterio : non quia profanum sit conjugium, sed quia virginitas potior. (*Chrysostomus.*)

## MEDITATIO III.

**Gabriel miraculum miraculo confirmat. Virgo consentit, concipitur Christus.**

I. — Ecce Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua : et hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis :



Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. (*Luc. I. 36, 37.*)

Quoniam præcedens dictum superabat Virginis mentem, ad humiliora declinavit sermonem per sensibilia ipsi suadens. Animadverte Gabrielis industriam : non memoravit eam Saræ, vel Rebeccæ vel Rachelis quia antiquiora erant exempla : sed imminens factum inducit, ut ejus mentem corroboret. (*Chrysostomus.*)

Ipse namque cum sit naturæ Dominus cuncta potest cum velit, qui cuncta peragit et disponit, vitæ mortisque lora gubernans. (*Augustinus.*)

II. — Dixit autem Maria : Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. (*Luc. I. 38.*)

Sicut Heva inobediens facta est sibi et universo generi humano causa mortis, sic Maria obediens facta est et sibi et universo generi humano causa salutis. (*Irenæus.*)

III. — Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. (*Joan. I. 14.*)

Et discessit ab illa Angelus. (*Luc. I. 38.*)

Accepto autem Virginis consensu mox Angelus cœlestia repetit. Non solum impetrans quod optabat, sed stupens in virginea forma, et virtutis plenitudine. (*Eusebius.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## MEDITATIO IV.

### Maria visitat Elisabetham.

I. — Exsurgens autem Maria in diebus illis, abiit in montana cum festinatione, in civitatem Juda. (*Luc. I. 39.*)

Jesus enim, qui in utero illius erat, festinabat adhuc in ventre matris Joannem positum sanctificare. (*Origenes.*)

Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia. Discite, virgines, non demorari in plateis, non aliquos in publico miscere sermones. (*Ambrosius.*)

II. — Et intravit in domum Zachariæ et salutavit Elisabeth. (*Luc. I. 40.*)

Decet enim ut quanto castior virgo, tanto humilior sit, noveritque deferre senioribus. Sit magistra humilitatis in qua est professio castitatis. (*Ambrosius.*)

III. — Et factum est, ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exsultavit infans in utero ejus : et repleta est Spiritu sancto Elisabeth (*Luc I. 41.*)

Vocem prior Elisabeth audivit, sed Joannes prior gratiam sensit : illa naturæ ordine audivit, iste exsultavit ratione mysterii ; illa



Mariæ, iste Domini sensit adventum. (*Ambrosius.*)

## MEDITATIO V.

### Elisabeth Mariam laudibus extollit.

I. — Exclamavit, Elisabeth, voce magna, et dixit : Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui.

Et unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me? (*Luc. I. 42, 43.*)

Magna voce clamavit, ubi Domini sensit adventum, quia religiosum credidit partum. (*Ambrosius.*)

Eadem voce ab Elisabeth quæ a Gabriele benedicitur, quatenus et Angelis et hominibus veneranda monstretur. (*Beda.*)

Dixerat : *Benedicta tu*, etc. Deinde quasi interrogante aliquo, quare? subjungit, et pro quia, *Benedictus fructus ventris tui.* (*Theophylactus.*)

*Unde* etc. Convenit hoc dicens cum filio : nam et Joannes indignum se sentiebat adventu Christi ad ipsum. (*Origenes.*)

II. — Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exsultavit in gaudio infans in utero meo. (*Luc. I. 44.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Hoc autem ut diceret, sicut Evangelista prælocutus est, repleta est Spiritu sancto : quo proculdubio revelante cognovit quid illa exsultatio significasset ; id est, infantis illius venisse matrem, cujus ipse præcursor et demonstrator esset futurus. (*Augustinus.*)

III. — Beata, quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi a Domino. (*Luc. I. 45.*)

Sed et vos beati qui audivistis et credidistis : quæcumque enim crediderit anima, et concipit et generat Dei verbum et opera ejus agnoscit. (*Ambrosius.*)

IV. — Et ait Maria :

1. Magnificat anima mea Dominum.

2. Et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo.

Mirabilia quæ Deus prænuntiavit, in meo corpore exercuit : sed anima mea infructuosa apud Deum non erit ... quantum amplo doceor miraculo, tantum teneor glorificare in me operantem. (*Catena aurea, Græc. PP.*)

3. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ : ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.



Facta est Mariæ humilitas scala cœlestis, per quam Deus descendit ad terras. Quid enim est dicere : Respexit, nisi approbavit? (*Augustinus.*)

4. Quia fecit mihi magna qui potens est : et sanctum nomen ejus.

Quomodo magna, nisi quod manens illibata concipio, superans nutu Dei naturam? (*Augustinus.*)

5. Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum.

Non soli mihi fecit magna qui potens est sed, et in omni gente, qui timet Deum acceptus est illi. (*Beda.*)

6. Fecit potentiam in brachio suo : dispersit superbos mente cordis sui.

Sicut brachium tuum est per quod operaris, sic brachium Dei dictum est ejus Verbum per quod operatus est mundum. (*Beda.*)

7. Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.

Magna sapiebant dæmones, Gentilium sapientes, Pharisæi et Scribæ; hos tamen deposuit erexitque humiliantes se sub manu Dei. (*Cyrillus.*)

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
Biblioteca Valverde y Tellez

8. Esurientes implevit bonis : et divites dimisit inanes.

Nihil enim habent Judæi, etiam si quid habere videantur. (*Theophylactus*).

9. Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ

Obedientem scilicet et humilem : nam qui contemnit humiliari, non potest salvari. (*Beda.*)

10. Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham, et semini ejus in sæcula.

Semen autem dicit non tam carne progenitos, quam fidei ejus vestigia secutos. (*Beda.*)

Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus : et reversa est in domum suam. (*Luc. 46-56.*)

Quando vero Elisabeth paritura erat, virgo recessit. (*Theophylactus.*)



## MEDITATIO VI.

### Joseph ab Angelo de divino Virginis conceptu monetur.

1. — Cum esset desponsata Mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. (*Matth. I. 18.*)

Regnum igitur tenuit virginitatis quæ Regem genuit castitatis; ideo etiam Dominus noster virgineum sibi requisivit hospitium habitandi, ut nobis ostenderet Deum in casto corpore portari debere. (*Augustinus.*)

11. — Joseph autem vir ejus cum esset justus, et nollet eam traducere : voluit occulte dimittere eam. (*Matth. I. 19.*)

Justus igitur exsistens, id est benignus et mitis, *voluit occulte dimittere eam*, quæ non solum traductioni, sed etiam pœnæ secundum legem obnoxia credebatur. Sed Joseph utrumque remisit, quasi supra legem vivens. Sicut enim sol antequam radios monstret, mundum clarificat. Sic et Christus antequam nasceretur, multa signa perfectæ virtutis apparere fecit. (*Chrysostomus.*)

111. — Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei,

UANL UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dicens : Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam : quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est : (*Matth. I. 20.*)

Dicens, *noli timere*, cognitionem se cordis ejus habere ostendere voluit, ut per hoc futurorum bonorum, quæ de Christo erat dicturus faceret fidem. (*Chrysostomus.*)

IV. — Pariet autem Filium : et vocabis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. (*Matth. I. 21.*)

Non solum Angelus Virginem excusat, sed et supra naturam concepisse demonstrat, non solum timorem auferens : sed et lætitiam addens. (*Chrysostomus.*)

## MEDITATIO VII.

### Joseph accipit Mariam conjugem suam.

I. — Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem :

Ecce virgo in utero habebit, et pariet Filium : et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum Nobiscum Deus. (*Matth. I. 22, 23.*)



Decenter Angelus Joseph prophetiam inducit, quasi in Prophetis meditanti et experto. Et primo quidem virginem conjugem appellaverat, nunc autem virginem cum Propheta inducit, ut hoc etiam a Propheta audiret quasi diu præmeditatum. Unde ad fidem eorum quæ dicebantur, inducit Isaïam, vel magis Deum, nam dicit : *Quod dictum est a Domino per Isaïam.* (*Chrysostomus.*) *Vocabunt*, qui? Primo quidem Angeli psallentes, secundo Apostoli prædicantes, adhuc et sancti Martyres, deinde cuncti credentes. (*Rabanus.*)

II. — Exsurgens autem Joseph a somno, fecit sicut præcepit ei Angelus Domini, et accepit conjugem suam. (*Matth. I. 24.*)

Eo aditu rediit vita quo ingressa est mors. Per inobedientiam enim Adæ omnes perditi sumus, per obedientiam Joseph omnes ad pristinum statum incipimus revocari. (*Remigius.*)

III. — Et non cognoscebat eam donec pepererit Filium suum primogenitum : et vocavit nomen ejus Jesum. (*Matth. I. 25.*)

Si nihil in eum de se transtulit mater, non peperit proprium, sed profudit alienum.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Sed non ita est. Nam sicut totus Deus ex Deo, ita totum corpus hominis ex homine, de carne Mariæ coagulatus, de ejus substantia consummatus, et sanguinem etiam quem pro matre obtulit ex sanguine matris accipit. (*Eusebius Emisenus de Nativ. Dom. Hom. I.*)

## MEDITATIO VIII.

### Joseph cum conjuge sua proficiscitur Bethleem.

I. — Factum est in diebus illis, exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis.

Hæc descriptio prima facta est a Præside Syriæ Cyrino. (*Luc. II. 1, 2.*)

Nasciturus in carne Dei Filius, sicut de Virgine natus virginitatis sibi decus ostendit esse gratissimum; ita pacatissimo tempore sæculi procreatur: quia pacem quærere docuit, et pacis sectatores invisere dignetur. Nullum autem potuit magis esse pacis indicium, quam una totum orbem descriptione concludi. (*Beda.*)

II. — Et ibant omnes ut profiterentur singuli in suam civitatem. (*Luc. II. 3.*)



Superna autem dispensatione professio census ita descripta est, ut in suam quisque patriam ire juberetur. (*Beda.*)

III. — Ascendit autem et Joseph a Galilæa de civitate Nazareth, in Judæam in civitatem David, quæ vocatur Bethleem: eo quod esset de domo et familia David: Ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante. (*Luc. II. 4, 5.*)

Domino autem dirigente Augustus hoc edictum censuit, ut unigeniti præsentiæ famuletur; Nam hoc edictum matrem attrahebat in patriam quam Prophetæ prædixerant, scilicet in Bethleem Judæ. (*Chrysostomus.*)

Ideo autem addidit civitatem David, ut promissionem factam David a Deo, quod ex fructu ventris ejus rex perpetuus adveniret, esse completam annuntiet. (*Græcus.*)

## MEDITATIO IX.

### Christus in Bethleem nascitur.

I. — Factum est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret. (*Luc. II. 6.*)

Eo tempore dignatus est incarnari quo mox natus censu Cæsaris adscriberetur, atque ad nostri liberationem ipse servitio subde-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

retur : Unde etiam non solum propter indicium regi stemmatis, sed etiam propter nominis sacramentum, Dominus in Bethleem nascitur. (*Beda.*)

II. — Et peperit filium suum primogenitum. (*Luc. II. 7.*)

Est unigenitus in substantia divinitatis, primogenitus in susceptione humanitatis : primogenitus in gratia, unigenitus in natura. (*Beda.*)

III. — Et pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio; quia non erat eis locus in diversorio. (*Luc. II. 7.*)

Qui totum mundum vario vestit ornatu, pannis vilibus involvitur, ut nos stolam primam recipere valeamus. Per quem omnia facta, manus pedesque adstringitur, ut nostræ manus ad opus bonum erectæ, nostri sint pedes in viam pacis directi. (*Beda.*)

## MEDITATIO X.

### Christus in Bethleem natus nunciatur ab Angelo Pastoribus.

I. — Et pastores erant in regione eadem, vigilantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum.



Et ecce Angelus Domini stetit juxta illos, et claritas Dei circumfulsit illos, et timuerunt timore magno. (*Luc. II. 8, 9.*)

Joseph quidem in somnis apparuit Angelus; pastoribus autem visibiliter quasi rudioribus : non autem Angelus ivit Hierosolymam, non requisivit Scribas et Pharisæos : erant enim corrupti et præ invidia cruciabantur; sed hi erant sinceri, antiquam conversationem Patriarcharum et Moysi colentes. Est autem semita quædam ad Philosophiam perducens innocentia. (*Chrysostomus.*)

II. — Et dixit illis Angelus : Nolite timere : ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo.

Quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David.

Et hoc vobis signum : invenietis infantem pannis involutum, et positum in præsepio. (*Luc. II. 10, 11, 12.*)

Ecce pastoribus Angeli pastorem præcipuum prædicant, tanquam agnum in antro manifestatum et editum. (*Græcus.*)

Sed si tibi panni fortassis vilescunt, Angelos collaudantes admirare : si præsepe despicis, erige parumper oculos, et novam

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

in cœlo stellam protestantem mundo nativitatem dominicam contuere : si credis vilia, crede mirifica ; si de his quæ humilitatis sunt disputas, quæ alta sunt et cœlestia venerare. (*Maximus.*)

III. — Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum et dicentium.

Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. (*Luc. II. 13, 14.*)

Bene chorus adveniens Angelorum militiæ cœlestis vocabulum accipit, qui et duci illi in prœlio qui ad debellandas aereas potestates apparuit, humiliter obsecundat, et ipse potestates easdem contrarias, ne mortales tantum tentare valeant quantum volunt, fortiter armis cœlestibus proturbat. Quia vero Deus et homo nascitur, hominibus pax et Deo gloria canitur. (*Beda.*)

## MEDITATIO XI.

### De adventu pastorum in stabulum.

I. — Et factum est ut discesserunt ab eis Angeli in cœlum : pastores loquebantur ad invicem : Transeamus usque Bethleem, et videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. (*Luc. II. 15.*)



Vere quasi vigilantes, non dixerunt, videamus puerum, sed *verbum quod factum est;* id est, verbum quod semper erat videamus quomodo pro nobis caro factum est : siquidem hoc ipsum verbum Dominus est : sequitur enim : *quod fecit Dominus et ostendit nobis :* id est : videamus quomodo verbum ipsum se fecerit, et ostenderit nobis carnem suam. (*Beda.*)

II. — Et venerunt festinantes : et invenerunt Mariam, et Joseph, et Infantem positum in præsepio.

Videntes autem cognoverunt de verbo quod dictum erat illis de puero hoc. (*Luc. II. 16, 17.*)

Quia festinantes venerunt et non pedetentim, ideo sequitur : *et invenerunt Mariam,* quæ scilicet fudit Jesum in partu, *et Joseph,* scilicet dispensatorem ortus dominici, *et infantem positum in præsepio,* scilicet ipsum Salvatorem. (*Origenes.*)

III. — Et omnes, qui audierunt, mirati sunt : et de his quæ dicta erant a pastoribus ad ipsos.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. (*Luc. II. 18, 19.*)

Nec solum mirantur de Incarnationis mysterio, sed etiam de tanta pastorum attestatione, qui fingere inaudita nescirent, sed simplici facundia vera prædicarent. (*Ambrosius.*)

IV. — Et reversi sunt pastores glorificantes, et laudantes Deum in omnibus quæ audierant et viderant, sicut dictum est ad illos. (*Luc. II. 20.*)

Singuli autem in Christi nativitate exsultabant, non humanitus, sicut in puero nato soliti sunt homines congaudere, sed in Christi præsentia et lucis divinæ fulgore. (*Athanasius.*)

## MEDITATIO XII.

### De Circumcisione Domini.

I. — Postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer : vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo priusquam in utero conciperetur. (*Luc. II. 21.*)



Pluribus ex causis circumcisus est Christus : ut ostendat carnis veritatem : ut confirmet circumcisionem, quam olim instituerat ejus adventui servientem : quin etiam ut nulla sit Judæis excusatio, nam nisi circumcisus fuisset, objicere poterant quod non possent incircumcisum Christum recipere. (*Epiphanius.*)

Ut etiam nobis obediendi virtutem commendaret exemplo, et ut eos, qui sub lege positi legis onera portare nequiverant, sua compassione juvaret. (*Beda.*)

Nomen Jesu gloriosum omnique cultu dignissimum, nomen quod est super omne nomen, non decuit primum ab hominibus appellari, neque ab eis afferri in mundum; unde signanter evangelista subdit : *quod vocatum est ab Angelo* etc. (*Origenes.*)

## MEDITATIO XIII.

### De adventu Magorum.

I. — Cum natus esset Jesus in Bethleem Juda, in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam.

Dicentes ubi est qui natus est Rex Judæorum? Vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum. (*Matth. II. 1, 2.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Pulchre, Magi, ab Oriente venisse dicuntur, quia omnes qui ad Dominum veniunt, ab ipso et per ipsum veniunt : ipse enim est Oriens, secundum illud Zach. VI. " Ecce vir, Oriens nomen ejus. " (*Chrysostomus.*)

Jacebat in præsepio puer, ortu recens, exiguus corpore, contemptibilis paupertate. Sed magnum latebat aliquid in parvo, quod illi homines primitiæ gentium, non terra portante, sed cœlo narrante didicerant; unde sequitur : *Vidimus stellam ejus.* (*Augustinus.*)

II. — Audiens autem Herodes rex turbatus est et omnis Jerosolyma cum illo.

Et congregans omnes principes sacerdotum et scribas populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur. (*Matth. II. 3, 4.*)

Superfluo Herodes timore turbaris : non capit Christum regia tua, nec mundi Dominus potestatis tuæ cœpit esse contentus angustiis. Quem in Judæa regnare non vis, ubique regnat. (*Leo Papa.*)

III. — At illi dixerunt : In Bethleem Juda. Sic enim scriptum est per Prophetam.

Et tu Bethleem, terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda : ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel. (*Matth. II. 5, 6.*)



Magi quidem, humano sensu, significatum sibi regis ortum existimaverunt in civitate regia esse quærendum. Sed qui servi susceperat formam, et non judicare venerat, sed judicari, Bethleem præelegit nativitati, Hierosolymam passioni. (*Leo Papa.*)

## MEDITATIO XIV.

### De adventu Magorum in Bethleem.

I. — Tunc Herodes, clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus stellæ quæ apparuit eis.

Et mittens illos in Bethleem, dixit : Ite et interrogate diligenter de puero : et cum inveneritis renuntiate mihi, ut et ego veniens adorem eum. (*Matth. II. 7, 8.*)

Vidit quia non poterat Magos nec blandimentis flectere, nec minis terrere, nec auro corrumpere, ut consentirent in interfectionem Regis futuri : ideo illos decipere cogitavit. (*Chrysostomus*).

Devotionem promittebat, et per eam gladium acuebat, et malitiam cordis sui humilitatis colore depingebat. Talis est consuetudo omnium malignorum : quando aliquem in occulto gravius lædere volunt, humilitatem illi et amicitias fingunt. (*Chrysostomus.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

II. — Qui cum audissent regem abierunt. Et ecce stella quam viderant in Oriente, antecedebat eos, usque dum veniens staret ubi erat Puer.

Videntes autem stellam gavisi sunt gaudio magno valde. (*Mat. II. 9, 10.*)

Audierunt Magi Herodem ut quærerent Dominum : sed non ut ad eum reverterentur. Significabant enim bonos auditores, qui bona quæ audiunt a malis prædicatoribus faciunt : sed tamen opera illorum non imitantur. (*Remigius.*)

III. — Et intrantes domum, invenerunt Puerum cum Maria matre ejus, et procidentes adoraverunt eum : et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham. (*Matth. II. 11.*)

Si regem terrenum quærentes venissent, magis fuissent confusi quam gavisi, quia tanti itineris laborem sine causa suscepissent. Nunc autem quia cœlestem Regem quærebant, etsi nihil regale videbant, in eo tamen solius stellæ testimonio contenti, gaudebant oculi eorum contemptibilem puerum adspicere, quia spiritus in corde eorum terribilem eum monstrabat : Vident enim hominem, et agnoscunt Deum. (*Chrysostomus*).



IV. — Et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam. (*Matth. II. 12.*)

Herodes impius factus ex timore crudelis, voluit desævire. Sed, quomodo poterat capere eum qui ipsas fraudes venerat amputare. (*Augustinus*).

## MEDITATIO XV.

### De Purificatione Mariæ et Præsentatione Domini.

I. — Postquam impleti sunt dies purgationis ejus, secundum legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino. (*Luc. II. 22.*)

Post tricesimum autem et tertium circumcisionis diem Domino sistitur, mystice insinuans neminem, nisi circumcisum a vitiis, dominicis dignum esse conspectibus : neminem nisi mortalitatis nexibus absolutum, supernæ civitatis gaudia posse perfecte subire. (*Beda.*)

II. — Sicut scriptum est in lege Domini; quia omne masculinum adaperiens

vulvam, sanctum Domino vocabitur. (*Luc. II. 23.*)

O profunditas scientiarum sapientiæ et scientiæ Dei. Offert hostias qui per singulas hostias honoratur cum Patre; figuras legis custodit veritas : qui legis est conditor sicut Deus, legem custodivit ut homo. (*Cyrillus.*)

III. — Et ut darent hostiam secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum. (*Luc. II. 24.*)

Columba quæ gregatim volat activæ vitæ frequentiam demonstrat : turtur qui singularitati gaudet, speculativæ vitæ culmina denuntiat. Et quia æque utraque conditori accepta est hostia, consulte Lucas utrum turtures an pulli columbarum pro Domino sint oblati non dixit, ne unum alteri vivendi ordinem præferret, sed utrumque sequendum doceret. (*Beda.*)

## MEDITATIO XVI.

### Simeon ductus a Spiritu sancto venit in templum.

I. — Et ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon, et homo iste justus



et timoratus, exspectans consolationem Israel, et Spiritus sanctus erat in eo.

Et responsum acceperat a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. (*Luc. II. 25, 26.*)

Difficulter justitia sine timore custoditur : non illum dico timorem qui temporalia sibi bona subtrahi perhorrescit, quem perfecta dilectio foras mittit; sed timorem Domini sanctum qui manet in sæcula, quo justus Deum quanto ardentius diligit, tanto solertius offendere cavet. (*Beda.*)

In Simeone discimus quanto desiderio, ex plebe Israelitica sancti viri, Incarnationis ejus mysterium videre cupierunt. (*Gregorius.*)

II. — Et venit in Spiritu in templum. Et cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo :

Et ipse accepit eum in ulnas suas et benedixit Deum. (*Luc. II. 27, 28.*)

Eadem Spiritus gratia qua olim venturum prænoverat, et nunc venientem cognovit. (*Beda.*)

Et tu si vis tenere Jesum et amplexari manibus, omni labore nitere ut ducem habeas Spiritum, veniasque ad templum Dei. (*Origenes.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Si ad tactum fimbriæ vestimenti mulier sanata est, quid putandum est de Simeone, qui in suas ulnas accepit Infantem et gaudebat videns parvulum a se gestari! (*Origenes.*)

III. — Et dixit : Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace.

Quia viderunt oculi mei salutare tuum.

Quod parasti ante faciem omnium populorum :

Lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuæ Israel. (*Luc. II. 29, 30, 31, 32.*)

Si vocem justorum inquiras, omnes super hoc mundo et ejus flebili mora ingemiscunt. (*Origenes.*)

Beati oculi tui tam animæ quam corporis : hi quidem visibiliter Deum suscipientes : illi vero solum quæ visa sunt attendentes, immo illuminati fulgore Spiritus Domini, Verbum in carne cognoscentes : salutare namque quod tuis oculis percepisti ipse Jesus est, quo nomine salus declaratur. (*Gregorius Nyssenus.*)



## MEDITATIO XVII.

### Simeon de Christo vaticinatur.

I. — Et erat pater ejus et mater mirantes super his quæ dicebantur de illo. (*Luc. II. 33.*)

Quæ dicebantur, tam ab Angelo quam a multitudine cœlestis exercitus, necnon et a Pastoribus, et ipso Simeone. (*Origenes.*)

II. — Et benedixit illis Simeon, et dixit ad Mariam matrem ejus : Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel; et in signum cui contradicetur. (*Luc. II. 34.*)

Laudibus divinis exhibitis, vertit se Simeon ad benedictionem adducentium puerum. Benedictione igitur utrumque donat : occultorum vero præsagia dirigit tantum ad matrem. (*Græcus.*)

Sicut lux, etsi oculos debiles turbet, lux est; hoc modo Salvator perseverat, etsi corruant plurimi; neque enim est ejus officium destructio, sed eorum vesaniæ. (*Chrysostomus.*)

III. — Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. (*Luc. II. 35.*)



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Si enim revelaverimus peccata nostra non solum Deo, sed his qui possunt mederi vulneribus nostris : delebuntur peccata nostra (virtute Passionis D. N. J. C.). (*Origenes.*)

## MEDITATIO XVIII.

### Anna prophetissa Christum prædicat.

I. — Erat Anna prophetissa, filia Phanuel de tribu Aser : hæc processerat in diebus multis, et vixerat cum viro suo, annis septem a virginitate sua. (*Luc. II. 36.*)

Adspice eam (Annam) conformem Simeoni virtutibus : simul enim erant in templo, simul etiam digni reputati sunt prophetica gratia. (*Græcus.*)

II. — Et hæc vidua usque ad annos octoginta quatuor, quæ non discedebat de templo, jejuniis, et obsecrationibus serviens nocte, ac die. (*Luc. II. 37.*)

Juste sancta mulier spiritum prophetandi meruit accipere, quia longa castitate, longis etiam jejuniis ad hoc culmen ascenderat. (*Origenes.*)

III. — Et hæc, ipsa hora, superveniens, confitebatur Domino : et loquebatur de illo omnibus qui exspectabant redemptionem Israel. (*Luc. II. 38.*)



Regratiabatur (Sta Vidua) videndo mundi salutem in Israel, et confitebatur de Jesu, quoniam ipse esset Redemptor, idemque Salvator : verum quia modicum aliquid et non nimis clarum de Christo disseruit, Evangelium non seriatim induxit quæ ab ea sunt dicta. (*Gregorius Nyssenus.*)

IV. — Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilæam in civitatem suam Nazareth. (*Luc. II. 39.*)

Prætermisit, hoc loco, Lucas quæ a Matthæo satis exposita noverat : Dominum videlicet, post hæc, ne ab Herode necandus inveniretur, in Ægyptum a parentibus esse delatum, defunctoque Herode, sic demum in Galilæam reversum, Nazareth civitatem suam inhabitare cœpisse. (*Beda.*)

## MEDITATIO XIX.

### Indicitur ab Angelo fuga in Ægyptum.

I. — Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens : Surge et accipe

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Puerum et matrem ejus et fuge in Ægyptum, et esto ibi usque dum dicam tibi : futurum est enim ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum. (*Mat. II. 13.*)

Per hoc quod semper Angelus Joseph in somnis apparuisse dicitur, mystice designatur quia illi, qui a curis terrenis et sæcularibus negotiis quiescunt, perfrui angelica visione merentur. (*Remigius.*)

Non autem dicit : Accipe matrem et Puerum ejus; sed e converso : quia non propter matrem Puer natus est; sed propter Puerum mater præparata est. (*Chrysostomus.*)

II. — Qui consurgens, accepit Puerum et matrem ejus nocte, et secessit in Ægyptum.

Et erat ibi usque ad obitum Herodis. (*Mat. II. 14, 15.*)

Quando igitur tollit Puerum et matrem ejus, ut in Ægyptum transeat, nocte tollit et in tenebris : quando vero revertitur in Judæam, nec nox nec tenebræ ponuntur in Evangelio. (*Hieronymus*); Omnis enim perfectionis angustia nox est, refrigerium autem dies. (*Chrysostomus.*)

III. — Ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem :



Ex Ægypto vocavi Filium meum. (*Mat. II. 15.*)

Per Joseph designatur ordo prædicatorum; per Mariam sacra Scriptura : per Puerum notitia Salvatoris; per persecutionem Herodis, persecutio quam passa est Ecclesia in Hierosolymis; per fugam Joseph in Ægyptum, transitus prædicatorum ad gentes infideles : per tempus quo fuit in Ægypto, spatium temporis ab Ascensione Domini usque ad adventum antichristi; per obitum Herodis, exstinctio invidiæ in cordibus Judæorum. (*Remigius.*)

## MEDITATIO XX.

### Cædes Innocentium, pro Christo martyrum.

I. — Tunc Herodes videns quoniam illusus esset a Magis, iratus est valde. (*Mat. II. 16.*)

Sicut bestia vulnerata, quicquid oculis ejus occurrit, quasi auctorem sui vulneris dilaniat; sic et ille delusus a Magis, iram suam super parvulos diffundebat. (*Chrysostomus.*)

II. — Et mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethleem, et in omnibus finibus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ejus, a bimatu et infra, secundum tempus quod exquisierat a Magis. (*Mat. II. 16.*)

In hac autem morte puerorum, omnium Christi martyrum pretiosa est mors designata : quod parvuli occisi sunt, significat per humilitatis meritum ad martyrii perveniendum gloriam : quod in Bethleem, et in omnibus finibus ejus occisi sunt, ostendit in Judæa, unde Ecclesiæ cœpit origo, et ubique per orbem persecutionem sævituram : quod bimi occisi sunt, doctrina et operatione perfectos indicant, qui vero infra, simplices : quod illi quidem occisi sunt, et Christus evasit, insinuat corpora martyrum ab impiis posse perimi, sed Christum ab eis non posse auferri. (*Beda.*)

III. — Tunc adimpletum est quod dictum est per Jeremiam Prophetam dicentem :

Vox in Rama audita est, ploratus et ululatus multus : Rachel plorans filios suos, et noluit consolari, quia non sunt. (*Mat. II. 17, 18.*)

Quia Evangelista horrore implevit auditorem, crudelem occisionem narrans, rursus mitigationem apponit : ostendens quod hæc non facta sunt Deo nequeunte prohibere, atque ignorante, sed per prophetam prædicante. (*Chrysostomus.*)



## MEDITATIO XXI.

**Angeli monitu revocatur ab exsilio.**

I. — Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Ægypto.

Dicens : Surge, et accipe Puerum et matrem ejus, et vade in terram Israel : defuncti sunt enim qui quærebant animam Pueri. (*Matth. II. 19, 20.*)

Quasi medicus enim descendit in Ægyptum, ut visitaret eam languentem erroribus, non ut remaneret in ea. (*Chrysostomus.*)

II. — Qui consurgens accepit Puerum et matrem ejus, et venit in terram Israel.

Audiens autem quod Archelaüs regnaret in Judæa, pro Herode patre suo, timuit illo ire, et admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ. (*Mat. II. 21, 22.*)

Non determinaverat Angelus in quo loco terræ Israel : ut dubitante Joseph, iterum revertatur, et frequentiori visitatione Angeli certior redderetur. (*Glossa.*)

Venit igitur Joseph in Nazareth, et periculum fugiens, et in patriam rediens. (*Chrysostomus.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

III. — Et veniens habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth : ut adimpleretur quod dictum est per prophetas : Quoniam Nazareus vocabitur. (*Mat. II. 23.*)

Evangelista pluraliter prophetas vocans, ostendit se non verba de Scripturis sumpsisse, sed sensum. Nazaræus interpretatur Sanctus : Sanctum autem Dominum futurum omnis Scriptura commemorat. (*Hieronymus.*)

IV. — Puer autem crescebat et confortabatur, plenus sapientia, et gratia Dei erat in illo. (*Luc. II. 40.*)

Si enim dum parvus ætate erat, omnem sapientiam demonstrasset, videretur prodigium; sed per profectum ætatis seipsum ostendebat, ut totum impleret orbem. Non autem quasi suscipiens sapientiam, spiritu confortari dicitur : quod enim ab initio perfectissimum est, quomodo potest deinde perfectius fieri? (*Chrysostomus.*)

## MEDITATIO XXII.

### Jesus duodennis, insciis parentibus, manet Hierosolymam.

I. — Ibant parentes ejus per omnes annos in Jerusalem, in die solemni Paschæ. (*Luc. II. 41.*)



Quomodo, si Archelai timore, illuc prohibebantur accedere? Fieri poterat ut per diem festum, inter tam ingentem turbam, latenter ascenderent mox reversuri, ubi tamen aliis diebus habitare metuerunt. Iste quoque intellectus patet : quod Lucas dicit, per omnes annos eos ascendere solitos in Hierusalem, tunc accipimus factum, cum jam non timeretur Archelaus (quia mortuus.) (*Augustinus.*)

II. — Et cum factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis Jerosolymam secundum consuetudinem diei festi.

Consummatisque diebus, cum redirent, remansit puer Jesus in Jerusalem, et non cognoverunt parentes ejus. (*Luc. II. 42, 43.*)

Fecit ergo Dominus, inter homines Homo natus, quod faciendum hominibus imperavit Deus : unde dicitur : *secundum consuetudinem diei festi.* Sequamur igitur iter humanæ conversationis ejus, si deitatis gloriam delectamur intueri. (*Beda.*)

III. — Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, et requirebant eum inter cognatos, et notos.

Et non invenientes regressi sunt in Jerusalem, requirentes eum. (*Luc. II. 44, 45.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Non statim ut quæritur invenitur : non enim inter cognatos et carne propinquos invenitur Jesus : neque enim poterat humana cognatio Dei Filium continere. In multorum comitatu non potest inveniri : nec ubique invenerunt, sed in templo. Et tu ergo quære Jesum in templo Dei, quære in ecclesia. (*Origenes.*)

## MEDITATIO XXIII.

**Jesus post triduum inventus in templo.**

I. — Et factum est, post triduum invenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos, et interrogantem eos.

Stupebant autem omnes, qui eum audiebant super prudentia et responsis ejus. (*Luc. II. 46, 47.*)

Post triduum reperitur in templo, ut esset indicio quia post triduum triumphalis passionis, in sede cœlesti, et honore divino fidei nostræ se ostenderet, resurgens qui mortuus credebatur. (*Ambrosius.*)

Ad ostendendum quia homo erat, homines magistros humiliter audiebat; ad probandum vero quia Deus erat, eisdem loquentibus sublimiter respondebat. (*Beda.*)



II. — Et videntes admirati sunt. Et dixit mater ejus ad illum : Fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus, et ego dolentes quærebamus te.

Et ait ad illos : Quid est quod me quærebatis? nesciebatis quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse. (*Luc. II. 48, 49.*)

Cur autem dolentes eum quærebant; an ex eo quod perierit Puer, an erraverit? absit. Numquid enim fieri poterat ut perditum formidarent infantem, quem Dominum esse cognoverant? Sed quomodo tu, si quando Scripturas legis, quæris in eis sensum cum dolore : non quod Scripturas errasse arbitraris : sed veritatem quam intrinsecus habent, quæris invenire : ita illi quærebant Jesum, ne forte relinquens eos reversus esset ad cœlos, cum illi placuisset iterum descensurus. (*Origenes.*)

III. — Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos.

Et descendit cum eis, et venit Nazareth. Et mater ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo. (*Luc. II. 50, 51.*)

Dum Mariam increpat Dominus quærentem ipsum inter propinquos, omissionem vinculorum sanguinis apertissime suggerit; ostendens quod non contingit metam perfectio-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nis attingere eum qui adhuc vagatur in his quæ corpori conferunt; et quod homo deficit a perfectione per affectum cognatorum. (*Græcus.*)

Virginalis pudicitiæ jura custodiens (Maria), secreta Christi quæ noverat, nemini divulgare volebat; sed conferebat ea quæ facienda legerat cum his quæ jam facta cognovit : non ore promens, sed clausa servans in corde. (*Beda.*)

## MEDITATIO XXIV.

### De vita Christi ab anno ætatis duodecimo usque ad trigesimum.

I. — Descendit cum illis (Joseph et Maria) et erat subditus illis. (*Luc. II. 51.*)

Crebro Jesus descendit cum discipulis suis, nec semper versatur in monte : quia non valebant qui variis morbis laborabant, ascendere in montem : idcirco et nunc descendit ad illos qui deorsum erant. (*Origenes.*)

Quid enim magister virtutis nisi officium pietatis impleret? Quid inter nos aliud quam quod agi a nobis vellet, ageret? (*Beda*).

II. — Et Jesus proficiebat sapientia, et ætate, et gratia apud Deum, et homines. (*Luc. II. 52.*)



Quia dandum erat aliquid nostræ naturæ moribus : ne aliquod extranæum a videntibus reputetur : tamquam homo, paulatim crescente corpore, manifestabat seipsum, et quotidie sapientior ab audientibus et videntibus censebatur. (*Theophylactus.*)

III. — Jesus facto sabbato cœpit in synagoga docere : et multi audientes admirabantur in doctrina ejus, dicentes : Unde huic hæc omnia? et quæ est sapientia quæ data est illi : et virtutes tales quæ per manus ejus efficiuntur?

Nonne hic est faber, filius Mariæ? (*unde patet illum exercuisse artem fabrilem.*) (*Marc. VI. 2, 3.*)

Matthæus quidem fabri filium eum dictum esse dicit : nec mirandum est, eum utrumque dici potuerit : eo enim fabrum credebant quo et fabri filium. (*Augustinus.*)

## MEDITATIO XXV.

### Genealogia Domini nostri Jesu Christi.

I. — Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham. (*Mat. I. 1.*)

Tessaradecadis primæ progenitores sunt :

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

1, Abraham. 2, Isaac. 3, Jacob. 4, Judas. 5, Phares. 6, Esron. 7, Aram. 8, Aminabab. 9, Naasson. 10, Salmon. 11, Booz. 12, Obed. 13, Jesse.

Dicit : *Liber generationis Jesu Christi :* quia noverat scriptum esse : Liber generationis Adæ : et ideo sic exorsus est, ut opponeret librum libro, Adam novum Adæ veteri : quia omnia per istum sunt restaurata, quæ per illum sunt corrupta. (*Remigius.*)

In singulis autem patribus non solum debet notari historia, sed allegoria et moralitas : allegoria quidem in quo unusquisque patrum Christum præfiguret ; moralitas in hoc notatur, quod ex singulis Patribus in nobis aliqua virtus, per significationem nominis, vel per exemplum ædificetur.

Abraham pater multarum gentium interpretatur, et Christus est pater multorum fidelium. (*Anselmus.*)

Isaac interpretatur risus. Sicut ille parentibus, in ultima senectute, donatus est lætitia suis : sic et Christus, in novissimo fine, productus est a matre Judæa gaudium cunctis. (*Chrysostomus.*)

Jacob supplantator interpretatur, et de Christo dicitur. (*Psal. XVII.*) *Supplantasti insurgentes in me subtus me.* (*Remigius.*)

Judas interpretatur confessor, quoniam Christi erat imago, qui confessor patris erat futurus, dicens : *Confiteor tibi Pater Domine cæli et terræ.* (*Matth. XI.*) (*Chrysostomus.*)



Ipse autem Christus est Phares divisor, ut est illud : *Dividet agnos ab hædis.* (*Matth. XXV.*)

Est et Zaram Oriens, ut est illud : *Ecce vir Oriens nomen ejus.* (*Zach. VI.*)

Est Esron sagitta, ut est illud : *Posuit me ut sagittam electam.* (*Is. XLIX.*) (*Remigius.*)

Est Aram electus, secundum illud : *Ecce Puer meus electus.* (*Is. XLII.*)

Ipse est Aminadab, id est voluntarius qui dicit : *Voluntarie sacrificabo tibi.* (*Ps. LIII.*)

Idem est et Naasson, id est Serpentinus secundum illud : *Moyses exaltavit serpentem in deserto.* (*Joan. III.*)

Est et Salmon id et sensibilis, qui dicit : *Ego sensi de me virtutem exiisse.* (*Luc. VIII. 46.*) (*Rabanus.*)

Est et Booz in quo robur : ut est illud : *Cum exaltatus fuero a terra omnia traham.* (*Joan. XII.*)

Est et Obed serviens, ut est illud : *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* (*Matth. XX.*)

Est et Jesse incensum, secundum illud : *Ignem veni mittere in terram.* (*Luc. XII.*) (*Remigius.*)

II. — Tessaradecadis secundæ progenitores sunt :

1, David. 2, Salomon. 3, Roboam.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

4, Abias. 5, Asa. 6, Josaphat. 7, Joram. 8, Ozias. 9, Joatham. 10, Achaz. 11, Ezechias. 12, Manasses. 13, Amon. 14, Josias.

Omnes generationes a David usque ad transmigrationem Babylonis, generationes quatuordecim. (*Matth. I. 17.*)

1. Ipse est David manu fortis, secundum illud : (*Ps. XXIII.*) *Dominus fortis et potens.* Desiderabilis, secundum illud : (*Aggæi II.*) *Veniet desideratus cunctis gentibus.* Pulcher adspectu secundum illud : (*Ps. XLIV.*) *Speciosus forma præ filiis hominum.* (*Remigius.*)

2. Est et Christus Salomon Pacificus, secundum illud Apostoli : (*Ephes. II.*) *Ipse est pax nostra.*

3. Est Roboam latitudo populi, secundum illud : (*Matth. VIII.*) *Multi venient ab Oriente et ab Occidente.* (*Remigius.*)

Vel impetus populi : quia velociter populos convertit ad fidem. (*Rabanus.*)

4. Ipse est Abias, id est pater Dominus, secundum illud : (*Matth. XXIII.*) *Unus est pater vester qui in cœlis est* : et iterum : (*Joan. XIII. Vos vocatis me magister et Domine.*

5. Est et Asa, id est attollens : secundum illud : (*Joan. I.*) *Qui tollit peccata mundi.*

6. Est et Josaphat, id est judicans : secundum illud : (*Joan. V.*) *Pater omne judicium dedit Filio.*



7. Est et Joram, id est excelsus, secundum illud : (*Joan. III.*) *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit.*

8. Est et Ozias, id est robustus Domini, secundum illud : (*Ps. CXVII.*) *Fortitudo mea et laus mea Dominus.*

9. Est et Joatham consummatus vel perfectus, secundum illud Apostoli : (*Rom. X.*) *Finis legis Christus.*

10. Est et Achaz convertens, secundum illud : (*Zach. I.*) *Convertimini ad me.*

11. Est et Ezechias, fortis Dominus, secundum illud : (*Joan. XVI.*) *Confidite, ego vici mundum.*

12. Ipse est Manasses obliviosus, secundum illud : (*Ezech. XXVIII.*) *Peccatorum vestrorum non recordabor amplius.*

13. Est et Amon fidelis, secundum illud : (*Ps. CXLIV.*) *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis.*

14. Est et Josias, ubi est incensum Domini, secundum illud : (*Luc. XXII.*) *Factus in agonia, prolixius orabat.* (*Remigius.*)

III. — Tessaradecadis tertiæ progenitores sunt.

1, Jechonias. 2, Salathiel. 3, Zorobabel. 4, Abiud. 5, Eliacim. 6, Azor. 7, Sadoc. 8, Achim. 9, Eliud. 10, Eleazar. 11, Mathan. 12, Jacob. 13, Joseph vir Mariæ, de qua natus est Jesus qui vocatur Christus.

Omnes generationes a transmigratione Babylonis usque ad Christum, generationes quatuordecim. (*Matth. I. 17.*)

1. Ipse Jechonias præparans, secundum illud : (*Joan. XIV.*) *Vado parare vobis locum.*

2. Salathiel, id est petitio mea Deus illi convenit qui dicit : *Pater sancte, serva illos quos dedisti mihi.* (*Joan. XVII.*)

3. Est etiam Zorobabel, id est magister confusionis secundum illud : (*Matth. IX.*) *Magister vester cum publicanis et peccatoribus manducat.*

4. Ipse est Abiud, id est pater meus iste, secundum illud : (*Joan. X.*) *Ego et Pater unum sumus.*

5. Est et Eliacim, id est Deus resuscitans, secundum illud : (*Joan. VI.*) *Resuscitabo eum in novissimo die.*

6. Est et Azor, id est adjutus, secundum illud : (*Joan. VIII.*) *Qui me misit mecum est.*

7. Ipse est Sadoc Justus, secundum illud : (*I. Petri III.*) *Tradidus Justus pro injustis.*

8. Est et Achim, id est frater meus iste, secundum illud : (*Matth. XII.*) *Qui fecerit voluntatem Patris mei, hic meus frater est.*

9. Est etiam Eliud, id est Deus meus iste, secundum illud : (*Joan. XX.*) *Deus meus et Dominus meus.*



10. Est et Eleazar, id est Deus meus adjutor meus, secundum illud : (*Ps. XVII.*) *Deus meus adjutor meus.*

11. Est et Mathan, id est donans, secundum illud : (*Ephes. IV.*) *Dedit dona hominibus.* vel donatus : *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum daret unigenitum.* (*Joan. III.*) Glossa ordinaria.

12. Est et Jacob : quia non solum supplantavit diabolum, sed et hujus potestatem suis fidelibus dedit, secundum illud : (*Luc. X.*) *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes.*

13. Est et Joseph id est apponens, secundum illud : (*Joan. X.*) *Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant.* (*Remigius.*)

(De numero trium harum tessaradecadum videatur Barradius. (*Tom. I. lib. 5. cap. 19.*) cum solutione difficultatum.

Item. S. Hyeronimi Commentaria, in capite primo Matthæi.)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



## PARS SECUNDA

Continens acta præcipua Domini nostri Jesu Christi, ab anno ætatis trigesimo.

### MEDITATIO XXVI.

Christus venit ad Joannem ab eo baptizandus.

I. — Et factum est : in diebus illis venit Jesus a Nazareth Galilææ. (*Marc. I. 9.*)

In Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo. (*Matth. III. 13.*)

Marcus Evangelista, sicut cervus ad fontes aquarum desiderans, saltus in planis et arduis dat, et velut apis melliflua flores summatim degustat; unde a Nazareth venientem Jesum enarravit dicens : *Et factum est in diebus, etc.* Venit Deus ad hominem. (*Hieronymus.*)

Dominus ad servum, rex ad militem, lux ad lucernam. (*Remigius.*)

Salvator ideo baptizari voluit, non ut sibi munditiam acquireret, sed ut nobis fluentia mundaret. (*Ambrosius.*)

II. — Joannes autem prohibebat eum dicens : Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me? (*Matth. III. 14.*)

Ut tu me baptizes, est idonea ratio, ut justus efficiar, et dignus cœlo; ut autem ego te baptizem, quæ est ratio? Omne bonum de cœlo descendit in terram, non de terra ascendit in cœlum. (*Chrysostomus.*)

III. — Respondens autem Jesus, dixit ei : Sine modo : sic enim decet nos implere omnem justitiam. Tunc dimisit eum. (*Mat. III. 15.*)

Sed modo sine, ut justitiam baptismatis non verbis, sed factis adimpleam : prius suscipiam, postea prædicabo. Sic et omnem aliam justitiam prius factis implevit, postea prædicavit : secundum illud: (*Act. I.*) *Cœpit Jesus facere et docere.* (*Chrysostomus.*)



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

IV. — Et baptizatus est Jesus a Joanne in Jordane. (*Marc. I. 9.*)

Baptizatus est ut notus omnibus fieret, et in eum crederent : et ad implendum omnem justitiam, quæ est observatio mandatorum. (*Chrysostomus.*)

## MEDITATIO XXVII.

### Quæ in hoc baptismate evenerunt mirabilia.

I. — Baptizatus autem Jesus, confestim ascendit de aqua. Et ecce aperti sunt ei cœli. (*Mat. III. 16.*)

Factum est autem cum baptizaretur omnis populus, et Jesu baptizato et orante, apertum est cœlum. (*Luc. III. 21.*)

Et vidit cœlos apertos. (*Marc. I. 10.*)

Quia ergo nobis Dominus, sui corporis intinctu, baptismi lavacrum dedicavit, nobis quoque, post acceptum baptisma, cœli aditum patere et Spiritum sanctum dari demonstravit. (*Rabanus.*)

Baptizatis aperiuntur cœli, et vident ea quæ sunt in cœlo, non carnalibus oculis videndo, sed spiritualibus fidei credendo. (*Chrysostomus.*)



II. — Et descendit Spiritus sanctus corporali specie, sicut columba in ipsum. (*Luc. III. 22.*)

Et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se. (*Mat. III. 16.*)

Et manentem in ipso. (*Marc. I. 10.*)

Veteris recordatur historiæ : in diluvio enim apparuit hoc animal, ramum ferens olivæ, et communem orbis tranquillitatem annuntians : quæ omnia typus erant futurorum. Etenim nunc columba apparet, liberatorem nobis demonstrans, et pro ramo olivæ adoptionem generi humano offert. (*Chrysostomus.*)

III. — Et ecce vox de cœlis dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. (*Mat. III. 17.*)

Et vox facta est de cœlis : Tu es Filius meus dilectus, in te complacui. (*Marc. I. 11.*)

In te complacui mihi. (*Luc. III. 22.*)

Descendit Christus, descendit et Spiritus sanctus : sed Christus in veritate carnis, Spiritus sanctus in specie, et non in veritate columbæ, ergo descendit in aquam Christus, et Spiritus sanctus sicut columba descendit, pater quoque e cœlo locutus est. Habes præsentiam Trinitatis. (*Ambrosius.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
01137

Intelligatur hoc (*complacui*) dictum esse ab omnibus Evangelistis, tamquam diceretur : In te complacitum meum constitui ; hoc est implere quod mihi placet. (*Augustinus.*)

IV. — Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta. (*Luc. III. 23.*)

Baptizandus est tamen infantulus si necessitas urget : nam utilius est insensibiliter sanctificari quam non signatus transmigrare. (*Augustinus.*)

## MEDITATIO XXVIII.

### Christi quadragesimale jejunium in deserto.

I. — Jesus autem plenus Spiritu sancto regressus est a Jordane : et agebatur a Spiritu in desertum.

Diebus quadraginta. (*Luc. IV. 1, 2.*)

Tunc Jesus ductus est in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo. (*Matth. IV. 1.*)

Statim Spiritus expulit eum in desertum. (*Marc. I. 12.*)

Tria igitur sunt quæ ad usum proficiunt salutis humanæ : sacramentum, desertum, et jejunium. (*Ambrosius.*)



Est autem ductus a Spiritu sancto, non quasi minor majoris præcepto. (*Chrysostomus.*)

Ducitur non invitus aut captus, sed voluntate pugnandi. (*Hieronymus.*)

II. — Et erat in deserto quadraginta diebus et quadraginta noctibus : et tentabatur a satana : eratque cum bestiis. (*Marc. I. 13.*)

Et nihil manducavit in diebus illis. (*Luc. IV. 2.*)

Quadragenarius numerus custoditur, quia in hoc mortali corpore ex quatuor elementis subsistimus, per cujus voluptatem præceptis dominicis contraimus quæ per decalogum sunt accepta. Quia ergo per carnis desideria decalogi mandata contempsimus, dignum est ut eamdem carnem quater decies affligamus. (*Chrysostomus.*)

III. — Et cum jejunasset quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, postea esuriit. (*Mat. IV. 2.*)

Consummatis illis (diebus) esuriit. (*Luc. IV. 2.*)

Non coactus ad necessitatem quæ præest naturæ, sed quasi provocans diabolum ad duellum : sentiens enim diabolus, quia ubi fames, ibi imbecillitas, aggreditur ad tentandum. (*Basilius.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## MEDITATIO XXIX.

**Christus ter a diabolo tentatus vincit.**

I. — Et accedens tentator (satanas *Marc. I. 13.* — diabolus, *Luc. IV. 3.*) dixit ei : Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.

Qui respondens dixit : Scriptum est : Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. (*Mat. IV. 3, 4. — Luc. IV. 3, 4.*)

Sed duobus contrariis teneris, o diabole : si ad imperium ejus possunt lapides panes fieri, ergo frustra tentas eum qui tantæ potentiæ est ; si autem non potest facere, frustra Dei filium suspicaris. (*Hilarius.*)

Unde adversarium vicit testimoniis legis, non potestate virtutis : ut hoc ipso et hominem plus honoraret, et adversarium plus puniret; cum hostis generis humani non quasi a Deo, sed quasi ab homine vinceretur. (*Leo.*)

II. — Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem, (duxit eum in Jerusalem. *Luc. IV. 9.*) et statuit eum super pinnaculum templi. Et dixit ei : Si filius Dei es mitte te deorsum. Scriptum est enim :



Quia angelis suis mandavit de te, et in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Ait illi Jesus : Rursum scriptum est : Non tentabis Dominum Deum tuum. (*Matth. IV. 5, 6, 7. — Luc. IV. 9, 10, 11, 12.*)

Cum ex præmisso Christi responso nihil certum discere diabolus potuisset, utrum Christus Deus esset, an homo; assumpsit eum ad aliam tentationem, dicens apud se : Iste qui fame non vincitur, etsi filius Dei non est, tamen sanctus est : valent enim homines sancti fame non vinci.

Sed postquam omnem necessitatem carnis vicerunt, per vanam gloriam cadunt, ideo cœpit eum tentare in gloria vana. (*Chrysostomus.*)

Intuere quia testimonia a Domino allata sunt convenienter, a diabolo autem indecenter : non enim quod scriptum est *Angelis suis mandavit etc.* suadet projicere se ipsum et præcipitare. (*Chrysostomus.*)

Tentat Deum qui, sine ratione objiciens se periculo, quidpiam agit. (*Augustinus.*)

III. — Iterum assumpsit eum diabolus (duxit *Luc. IV. 5*) in montem excelsum valde : et ostendit ei omnia regna mundi, et gloriam eorum. (*Mat. IV. 8.*)

UANL UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

In momento temporis. Et ait illi: Tibi dabo potestatem hanc universam, et gloriam illorum : quia mihi tradita sunt : et cui volo do illa.

Tu ergo si adoraveris coram me, erunt tua omnia. (*Luc. IV. 5, 6, 7.*)

Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.

Tunc dicit ei Jesus : Vade satana : Scriptum est enim : Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. (*Mat. IV. 9, 10. — Luc. IV. 8.*)

Diabolus ex secundo responso incertus, transit ad tertiam tentationem : quia enim Christus retia ventris disruperat, retia vanæ gloriæ transiverat : ponit ei retia avaritiæ.

Miranda est diaboli dementia. Illi promittebat dare regna terrena qui suis fidelibus dat regna cœlestia, et gloriam mundi ei qui est cœlestis gloriæ Dominus. (*Remigius.*)

Videndum quia Christus cum passus fuisset tentationis injuriam, dicente sibi diabolo : *Si Filius Dei es mitte te deorsum*, non est turbatus, neque diabolum increpavit. Nunc autem quando diabolus usurpavit sibi Dei honorem, exasperatus est, et repulit eum, dicens : *Vade, satana : vade in ignem æternum qui paratus est tibi et angelis tuis.* Ut nos illius discamus exemplo, nostras quidem injurias magnanimiter sustinere, Dei autem injurias nec usque ad auditum sufferre. (*Chrysostomus.*)



IV. — Tunc reliquit eum diabolus. (*Mat. IV. 11.*)

Consummata omni tentatione diabolus recessit ab illo, usque ad tempus. (*Luc. IV. 13.*)

Et ecce Angeli accesserunt, et ministrabant ei. (*Mat. IV. 11. — Marc. I. 13.*)

Non tamdiu homines Dei diabolus tentat quamdiu vult, sed quamdiu Christus permittit. Etsi enim permittit eum paulisper tentare, tamen repellit propter infirmam naturam. (*Chrysostomus.*)

Victo autem a nobis calcatoque diaboli capite, Angelorum ministeria et virtutum in nos cœlestium officia non defutura ostenditur. (*Hilarius.*)

V. — Et regressus est Jesus in virtute spiritus in Galilæam, et fama exiit per universam regionem de illo.

Et ipse docebat in synagogis eorum, et magnificabatur ab omnibus. (*Luc. IV. 14, 15.*)

Virtutem Spiritus signa miraculorum dicit. (*Beda.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Cave ne beatos tantum illos judices, et te arbitreris privatum esse Christi doctrina : quia nunc etiam in toto orbe docet per organa sua, et nunc magis glorificatur ab omnibus quam illo tempore quo tantum in una provincia cognoscebatur. (*Origenes.*)

## MEDITATIO XXX.

### De prima vocatione Andreæ, ad solam quamdam Christi notitiam.

I. — Stabat Joannes, et ex discipulis ejus duo.

Et respiciens Jesum ambulantem, dicit: Ecce Agnus Dei.

Et audierunt eum duo discipuli loquentem, et secuti sunt Jesum. (*Joan. I. 35, 36, 37.*)

Stabat Joannes, cessat lex, et venit Jesus, id est gratia Evangelii, cui ipsa lex perhibet testimonium : Ambulat Jesus discipulos collecturus. (*Alcuinus.*)

Ambulatio etiam Jesu dispensationem Incarnationis, qua ad nos venire, ac nobis exempla vivendi præbere dignatus est, insinuat. (*Beda.*)

Quia parvam (Joannes) immisit scintillam, repente flamma in altum elevata est. (*Chrysostomus.*)



II. — Conversus autem Jesus, et videns eos sequentes se, dicit eis : Quid quæritis? Qui dixerunt ei : Rabbi, (quod dicitur interpretatum Magister) ubi habitas?

Dicit eis : Venite et videte. (*Joan. I. 38, 39.*)

Vide autem quod sequentibus se Dominus convertit faciem et respexit : quia nisi per bonam operationem ipsum secutus fueris, ad visionem faciei ejus nunquam pertinges, neque ad domum ejus poteris pervenire. (*Chrysostomus.*)

III. — Venerunt, et viderunt ubi maneret, et apud eum manserunt die illo : hora autem erat quasi decima.

Erat autem Andreas frater Simonis Petri unus ex duobus, qui audierant a Joanne, et secuti fuerant eum. (*Joan. I. 39, 40.*)

Quam beatam diem duxerunt, quam beatam noctem! Ædificemus ergo et nosmetipsi in corde nostro, et faciamus domum, quo veniat ille et doceat nos. (*Augustinus.*)

Venerat autem tempus ut impleretur lex per dilectionem, quæ a Judæis impleri non poterat per timorem (quia in decem præceptis data est lex) unde et decima hora Dominus audivit : *Rabbi :* Magister enim legis non est nisi dator legis. (*Augustinus.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## MEDITATIO XXXI.

**De prima vocatione Petri, ad solam itidem Christi notitiam.**

I. — Invenit hic (Andreas) primum fratrem suum Simonem, et dicit ei : Invenimus Messiam (quod est interpretatum Christus). *(Joan. I. 41.)*

Hoc est vere Dominum invenire, vera illius dilectione fervere, fraterna quoque salutis curam gerere. *(Beda.)*

Messias hebraice, græce Christus, latine Unctus dicitur : Chrisma enim unctio est : ille autem singulariter unctus est : unde omnes christiani unguntur, secundum quod in *(Ps. XLIV.)* dicitur : " Unxit te Deus, Deus tuus oleo exsultationis præ participibus tuis : " Participes enim ejus sunt omnes sancti : sed ille est singulariter sanctus et singulariter unctus. *(Augustinus.)*

II. — Et adduxit eum ad Jesum. *(Joan. I. 42.)*

Considera ex ipso principio obedientem Petri mentem : confestim enim cucurrit, nihil tardans. *(Chrysostomus.)*

III. — Intuitus autem eum Jesus, dixit : Tu es Simon filius Jona : tu vocaberis Cephas : quod interpretatur Petrus. *(Joan. I. 42.)*



Illud magnum quia mutavit ei nomen et fecit de Simone Petrum. Petrus autem a petra : petra vero Ecclesia : ergo in Petri nomine figurata est Ecclesia. Et quis securus est, nisi qui ædificat supra petram? Intentum autem te fecit Dominus : Nam si antea Petrus vocaretur, non ita videres mysterium petræ et putares casu eum sic vocari, non providentia Dei, ideo eum voluit aliud prius vocari ut ex ipsa commutatione nominis, sacramenti vivacitas commendaretur. *(Augustinus.)*

## MEDITATIO XXXII.

**De vocatione Philippi.**

I. — In crastinum voluit exire in Galilæam, et invenit Philippum. *(Joan. I. 43.)*

Christus hinc suam virtutem ostendit, quod a terra nullum ferente fructum, nam a Galilæa Propheta non surgit, inclytos discipulos elegit. *(Chrysostomus.)*

II. — Et dicit ei Jesus : Sequere me. *(Joan. I. 43.)*

Non simpliciter vox Christi dicebatur : sed fidelium interiora ad ejus inflammabat amorem. *(Theophylactus.)*



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

III. — Erat autem Philippus a Bethsaida, civitate Andreæ, et Petri. (*Joan. I. 44.*)

Forte autem ab Andrea et Petro de Christo aliquid didicit (Philippus), quia et eadem patria erant. (*Theophylactus.*)

## MEDITATIO XXXIII.

### De vocatione Nathanaelis.

I. — Invenit Philippus Nathanael, et dicit ei : Quem scripsit Moyses in lege, et Prophetæ, invenimus Jesum filium Joseph a Nazareth.

Et dicit ei Nathanael : A Nazareth potest aliquid boni esse? Dicit ei Philippus : Veni, et vide. (*Joan. I. 45, 46.*)

Non solum Philippus a Christo persuasus est, sed præco aliis fit. Vide qualiter sollicitam mentem habebat, et continue meditabatur Moysi, et exspectabat adventum Christi. (*Chrysostomus.*)

Audiverat Nathanael a Scripturis quod a Bethleem oporteret Christum venire : cum igitur audivit a Nazareth dubitavit. Considera vero ejus in inquirendo prudentiam et mansuetudinem : non enim dixit, Decipis me Philippe, sed interrogat dicens : *A Nazareth potest*, etc. (*Chrysostomus.*)



II. — Vidit Jesus Nathanael venientem ad se, et dicit de eo : Ecce vere Israelita, in quo dolus non est.

Dicit ei Nathanael : Unde me nosti? Respondit Jesus, et dixit ei : Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te. (*Joan. I. 47, 48.*)

Ipse, Nathanael, quidem ut homo investigabat, Jesus autem ut Deus respondebat : non ut homo eum intuens, sed ut Deus desuper cognoscens. (*Chrysostomus.*)

III. — Respondit ei Nathanael, et ait : Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Israel.

Respondit Jesus et dixit ei : Quia dixi tibi : Vidi te sub ficu, credis : majus his videbis.

Et dicit ei : Amen, amen dico vobis, videbitis cœlum apertum, et Angelos Dei ascendentes, et descendentes supra Filium hominis. (*Joan. I. 49, 50, 51.*)

Verba quidem eadem locutus est Petrus et Nathanael, non autem eadem mente ; sed Petrus quidem confessus est Filium Dei ut Deum verum : hic autem ut hominem nudum ; dicens enim ei : *Tu es Filius Dei*, induxit : *Tu es Rex Israel.* Dei autem Filius non est Rex Israelis solum, sed et orbis terrarum universi. Vide qualiter paulatim

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

eum a terra Dominus abducit, et facit quod non ultra æstimet Christum esse hominem solum : cui enim Angeli ministrant, qualiter hic homo purus esset? (*Chrysostomus.*)

## MEDITATIO XXXIV.

**De secunda Petri aliorumque vocatione ad sequelam solum temporalem, cum animo revertendi ad piscationem.**

I. — Factum est autem, cum turbæ irruerent in eum, ut audirent verbum Dei, et ipse stabat secus stagnum Genesareth.

Et vidit duas naves stantes secus stagnum : piscatores autem descenderant, et lavabant retia.

Ascendens autem in unam navim quæ erat Simonis, rogavit eum a terra reducere pusillum. Et sedens docebat de navicula turbas. (*Luc. V. 1, 2, 3.*)

Quis enim discessisset, dum hujusmodi miracula faciebat? Qui voluissent solam prospicere faciem, et os talia loquens? Neque enim in agendo miracula solum admirabilis erat : sed visus ejus abundabat plurima gratia. (*Chrysostomus.*)

Volens autem diligenter congregare spectaculum, ut nemo remaneret post tergum, sed omnes facie ad faciem cernerent, ascendit in navim. (*Chrysostomus.*)



Quod autem Dominus rogat navim a terra reducere pusillum, significat temperate utendum verbo ad turbas, ut nec terrena eis præcipiantur, nec a terrenis in profunda sacramentorum recedatur. (*Augustinus.*)

II. — Ut cessavit autem loqui, dixit ad Simonem : Duc in altum, et laxate retia vestra in capturam.

Et respondens Simon, dixit illi : Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus : in verbo autem tuo laxabo rete.

Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam, rumpebatur autem rete eorum.

Et annuerunt sociis, qui erant in alia navi ut venirent et adjuvarent eos. Et venerunt, et impleverunt ambas naviculas, ita ut pene mergerentur. (*Luc. V. 4,5,6,7.*)

Condescendens hominibus, sicut magos per sidus vocavit, sic et piscatores per piscatoriam artem. (*Chrysostomus.*)

Petrus autem non distulit; non addidit : non te audiam, nec secundis laboribus me exponam; sed magis subdit : *in verbo autem tuo laxabo rete.*

Quia vero turbam de navicula Dominus instruxerat, non sine mercede naviculæ do-

minum dereliquit, dupliciter beneficians ipsum : quia primo dedit ei multitudinem piscium, et deinde discipulum ipsum fecit. (*Theophylactus.*)

III. — Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua Jesu dicens : Exi a me quia homo peccator sum Domine.

Stupor enim circumdederat eum, et omnes qui cum illo erant, in captura piscium, quam ceperant :

Similiter autem Jacobum et Joannem, filios Zebedæi qui erant socii Simonis. Et ait ad Simonem Jesus : Noli timere : ex hoc jam homines eris capiens. (*Luc. V. 8, 9, 10.*)

Dic et tu : *Exi a me Domine*, etc., ut respondeat Deus, *Noli timere;* indulgenti Domino peccatum fatere. Vides quam bonus Dominus, qui tantum tribuit hominibus ut vivificandi habeant potestatem, nam : *Ex hoc jam homines eris capiens!* (*Ambrosius.*)

Hoc ad ipsum Petrum specialiter pertinet : exponit enim ei Dominus quid hæc captura piscium significet : quod scilicet ipse sicut nunc per retia pisces, sic aliquando per verba sit capturus homines : totusque facti hujus ordo quid in Ecclesia, cujus ipse typum tenet, quotidie geratur ostendat. (*Beda.*)



IV. — Et subductis ad terram navibus, relictis omnibus secuti sunt eum. (*Luc. V. 11.*)

Considera eorum fidem et obedientiam : habentes enim opus præ manibus appetibilis piscationis, cum audissent mandantem, non distulerunt, sed relictis omnibus sequebantur. (*Chrysostomus.*)

## MEDITATIO XXXV.

### De vocatione Petri et Andreæ ad perpetuam sequelam.

I. — Ambulans Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, et Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare (erant enim piscatores). (*Matth. IV. 18. — Marc. I. 16.*)

Decenter per piscatoria vadit loca, piscatores piscaturus. (*Glossa.*) Vidit autem non tam corporaliter quam spiritualiter ad corda eorum respiciens. (*Remigius.*)

In mediis autem operationibus exsistentes eos vocavit, monstrans quod omnibus occupationibus sequelam suam præponere oportet. (*Chrysostomus.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

II. — Et ait illis : Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum. (*Matth. IV. 19. — Marc. I. 17.*)

De his autem piscatoribus loquitur Dominus per Jeremiam dicens cap. XVI. " Mittam in vos piscatores, et piscabuntur vos " unde dicit : *Venite*, etc. (*Remigius.*)

Venite : non tam pedibus, quam affectu et imitatione. (*Glossa.*)

III. — At illi continuo relictis omnibus secuti sunt eum. (*Matth. IV. 20. — Marc. I. 18.*)

Non autem prædicti discipuli secuti sunt Christum doctoris cupientes honorem, sed operis lucrum : sciebant enim quam pretiosa est anima hominis, quam grata est apud Deum salus ipsius, et quanta est merces. (*Chrysostomus.*)

## MEDITATIO XXXVI.

### De vocatione filiorum Zebedæi Joannis et Jacobi.

I. — Progressus inde pusillum, vidit Jacobum Zebedæi, et Joannem fratrem ejus, et ipsos componentes retia in navi. (*Marc. I. 19. — Matth. IV. 21.*)



Super caritatem fraternitatis Ecclesiæ recte posuit fundamentum, ut ex radicibus caritatis exuberans quasi humor ascendat ad ramos. Sic enim fecit Deus et in veteri testamento, super Moysen et Aaron fratres ponens ædificationis initium. Quoniam autem abundantior est gratia novi testamenti quam veteris : ideo primum populum ædificavit super unam fraternitatem, hunc autem super duas. (*Chysostomus.*)

II. — Et statim vocavit illos. (*Marc. I. 20. — Matth. IV. 21.*)

Vocando autem nihil eis promisit, sicut prioribus : obedientia enim eorum qui præveneranr viam eis ad credendum præparaverat. (*Chrysostomus.*)

III. — Illi autem statim relictis retibus et patre, secuti sunt eum. (*Matth. IV. 22. — Marc. I. 20.*)

Tria enim sunt quæ relinquere debet qui venit ad Christum : actus carnales, qui per retia piscationis significantur; substantiam mundialem, quæ per navem : et parentes qui per patrem. (*Chrysostomus.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## MEDITATIO XXXVII.

### Christus adest nuptias in Cana Galilææ.

I. — Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ : et erat mater Jesu ibi.

Vocatus est autem et Jesus, et discipuli ejus ad nuptias. (*Joan. II. 1, 2.*)

Erubescat homo esse superbus, quoniam factus est humilis Deus. Ecce, inter cetera, Filius Virginis venit ad nuptias, qui cum apud Patrem esset, instituit nuptias. (*Augustinus.*)

II. — Et deficiente vino, dicit mater Jesu ad eum : Vinum non habent.

Et dicit ei Jesus : Quid mihi, et tibi est mulier? nondum venit hora mea. (*Joan. II. 3, 4.*)

Antea, ut unus multorum, ita Jesus conversabatur : unde non præsumebat ei mater tale quid dicere : quia vero audivit quod Joannes testificatus est, et quod discipulos jam haberet, de reliquo confidenter rogat. (*Chrysostomus.*)

Dominus noster, secundum quod Deus erat, matrem non habebat : secundum quod homo erat, habebat matrem. Miraculum autem quod facturus erat, non secundum infirmitatem humanam. Miraculum tamen exigebat Mater : at ille tamquam non agnoscens viscera humana operaturus facta divina dixit : *Quid mihi*, etc., tamquam dicat : Quod in me facit miraculum non tu genuisti, deitatem meam. Sed quia genuisti infirmitatem meam, tunc te cognoscam cum ipsa infirmitas pendebit in cruce : unde subdit : *nondum venit hora mea.* (*Augustinus.*)



III. — Dicit mater ejus ministris : Quodcumque dixerit vobis, facite. (*Joan. II. 5.*)

Quasi dicat : Licet abnegare videatur, tamen faciet : noverat enim eum Mater pium et misericordem. (*Beda.*)

## MEDITATIO XXXVIII.

### Christus in eisdem nuptiis primum patravit miraculum.

I. — Erant autem ibi lapidææ hydriæ sex positæ secundum purificationem Judæorum, capientes singulæ metretas binas vel ternas.

Dicit eis Jesus : Implete hydrias aqua. Et impleverunt eas usque ad summum.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Et dicit eis Jesus : Haurite nunc, et ferte architriclino. Et tulerunt. (*Joan. II. 6, 7, 8.*)

Quantus honor parentibus debeatur facile ostendit, cum statim ad actum propter matrem accedat, quem, quantum in eo erat, parumper distulisset. (*Cyrillus.*)

In testimonium eorum quæ fiebant dixit Dominus : *Ferte Architriclino*, propter evigilantem ejus sensum : et non dicit : Propinate discumbentibus. (*Chrysostomus.*)

II. — Ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam, et non sciebat unde esset, ministri autem sciebant, qui hauserant aquam : vocat sponsum architriclinus.

Et dicit ei : Omnis homo primum bonum vinum ponit : et cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est : tu autem servasti bonum vinum usque adhuc. (*Joan. II. 9, 10.*)

Aqua igitur hydriis infunditur, vinum calicibus hauritur : infundentis scientiæ sensus non convenit haurienti. Qui infuderunt hauriri aquam existimant, qui hauriunt vinum, infusum arbitrantur. Non autem aquæ simplicitas defecit, et vini sapor natus est ; non per transfusionem potioris obtinetur quod infirmius est ; sed aboletur quod erat, et quod non erat cœpit. (*Hilarius.*)



III. — Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilææ : et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli ejus.

Post hoc descendit Capharnaum ipse, et mater ejus, et fratres ejus et discipuli ejus : et ibi manserunt non multis diebus. (*Joan. II. 11, 12.*)

Ipse est Rex gloriæ, qui sicut Dominus elementa mutabat. (*Alcuinus.*)

Hic est autem Dominus Deus noster excelsus, ut nos faceret : humilis, ut nos reficeret : ambulans inter homines, patiens humana, abscondens divina. Ecce habet matrem, habet fratres, habet et discipulos. (*Augustinus.*)

## MEDITATIO XXXIX.

### De fugatis e templo negotiatoribus prima vice.

I. — Prope erat Pascha Judæorum, et ascendit Jesus Jerosolymam :

Et invenit in templo vendentes boves et oves, et columbas, et nummularios sedentes.

Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo, oves quoque et boves. (*Joan. II. 13, 14, 15.*)

Bis in evangeliis legitur Jesum ascendisse Hierosolymam : semel in primo anno prædicationis, dum adhuc Joannes non erat missus in carcerem ; de hoc ascensu nunc agitur : et iterum illo anno quo erat passúrus. Dedit autem nobis exemplum Dominus quanta cura divinis subdi debeamus imperiis. (*Alcuinus.*)

Præsens historia in nullo minorem potestatem prætendit his quæ ab eo miraculosius edita sunt : quinimo constat hic majorem demonstrare potentiam miraculo quo aqua conversa est in vinum : eo quod illic inanimata subsistit materia, hic vero tot millium hominum domantur ingenia. (*Origenes.*)

II. — Et nummulariorum effudit æs, et mensas subvertit. (*Joan. II. 15.*)

Neque non solum eos ejecit qui vendebant et emebant, sed etiam res eorum. (*Theophylactus.*)

III. — Et his, qui columbas vendebant, dixit : Auferte ista hinc, et nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.

Recordati sunt vero discipuli ejus quia scriptum est : (*Ps. 68, 10.*) Zelus domus tuæ comedit me. (*Joan. II. 16, 17.*)

Commendatur autem in hac lectione utraque Christi natura : humana quidem, in hoc



quod matrem comitem habuisse perhibetur ; divina vero, in hoc quod verus Dei Filius demonstratur. (*Beda.*)

Ecce Patrem vocat, et non irascantur : æstimant enim simpliciter eum dicere. (*Chrysostomus.*)

Zelus, cum in bono accipitur, est quidam fervor animi, quo mens relicto humano timore, pro defensione veritatis accenditur. (*Alcuinus.*)

## MEDITATIO XL.

### Nocturnum Christi cum Nicodemo colloquium.

I. — Erat autem homo ex Pharisæis Nicodemus nomine, princeps Judæorum.

Hic venit ad Jesum nocte, et dixit ei : Rabbi, scimus quia a Deo venisti magister ; nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. (*Joan. III. 1, 2.*)

Pulchre in nocte venisse dicitur, quia tenebris ignorantiæ obnubilatus, ad tantam lucem nondum pervenerat ut perfecte Deum verum crederet : Nox enim in sacro eloquio pro ignorantia ponitur. (*Haymo.*)

Sic ergo Nicodemus de illis multis erat, qui crediderant in nomine ejus videntes signa quæ faciebat. (*Augustinus.*)

Sed tamen, neque a signis, aliquid magnum existimabat de eo : sed adhuc humanam habens de eo mentem, ut de Propheta loquitur. (*Chrysostomus.*)

II. — Respondit Jesus, et dixit ei : Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo non potest videre regnum Dei.

Dicit ad eum Nicodemus : Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? Numquid potest in ventrem matris suæ iterato introire, et renasci? (*Joan. III. 3, 4.*)

Quasi dicat : quia nondum es natus denuo, id est ex Deo spirituali generatione, notitia quam habes de me, spiritualis non est, sed animalis et humana. Ego autem dico tibi, quod sive tu, sive alius quicumque, nisi ex Deo denuo natus fuerit, non poterit apprehendere gloriam quæ circa me est : sed extra regnum erit : nam generatio quæ per baptismum fit, illuminationem animæ tribuit. (*Augustinus.*)

Cum aliquis cogitationibus propriis spiritualia evertit, derisibilia loquitur (*Chrysostomus*) (ut Nicodemus), Spiritus enim loquitur, et ille carnem sapit. (*Augustinus.*)



III. — Respondit Jesus : Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.

Quod natum est ex carne, caro est : et quod natum est ex spiritu spiritus est.

Non mireris quia dixi tibi : Oportet vos nasci denuo.

Spiritus ubi vult spirat : et vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, aut quo vadat : sic est qui natus est ex spiritu. (*Joan. III. 5, 6, 7, 8.*)

Nihil igitur sensibilium inquiras, neque æstimes quod carnem generet Spiritus. Ponit autem exemplum, quod est venti delatio. Quod dicit tale est : Si ventum nullus detinet sed quo vult fertur : multo magis spiritus actionem, naturæ leges detinere non poterunt. (*Chrysostomus.*)

Sive nescis *unde veniat :* Quia quomodo credentes ad fidem perducat ignoras : vel *quo vadat* quia quomodo fideles ad spem perducat nescis : et *sic est omnis qui natus est ex spiritu;* ac si dicat : Spiritus sanctus spiritus invisibilis est : ita et quisquis ex Spiritu nascitur, invisibiliter nascitur. (*Haymo.*)

## MEDITATIO XLI.

### De sedata maris tempestate.

I. — In illa die, cum sero esset factum, ait illis (discipulis suis) : Transeamus contra.

Et dimittentes turbam, assumunt eum ita ut erat in navi : et aliæ naves erant cum illo. (*Marc. IV. 35, 36.*)

Et ascendente eo in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus : (*Matth. VIII. 23.*)

Et ait ad illos : Transfretemus trans stagnum. Et ascenderunt. (*Luc. VIII. 22.*)

Tria legitur Dominus habuisse refugia; scilicet navis, montis et deserti : quoties a turbis comprimebatur, ad aliquod istorum refugiebat.

Cum ergo vidit Dominus turbas multas circa se, earum importunitatem quasi homo volens declinare, jussit discipulos suos transfretare. (*Remigius.*)

Discipulos quidem assumpsit Dominus, ut visores fierent futuri miraculi : sed solum ipsos assumit, ne alii cognoscerent ipsos esse tam modicæ fidei. (*Chrysostomus.*)

II. — Et navigantibus illis obdormivit. (*Luc. VIII. 23.*)



Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus. (*Matth. VIII. 24.*)

Et facta est procella magna venti et fluctus mittebat in navim, ita ut impleretur navis. (*Marc. IV. 37.*)

Et descendit procella venti in stagnum, et complebantur, et periclitabantur. (*Luc. VIII. 23.*)

Ipse vero dormiebat. (*Matth. VIII. 24.*)

Erat ipse in puppi super cervical dormiens. (*Marc. IV. 38.*)

Ut autem futuri miraculi majorem eis imprimat sensum, dat tempus timori, dormiendo. Si enim vigilasset, aut non timuissent, neque rogassent, tempestate orta; aut eum aliquid tale facere non putassent. (*Chrysostomus.*)

Dimisit ergo eos incidere in timorem periclitationis, ut ejus virtutem in seipsis cognoscerent, qui alios ab eo beneficiatos videbant. (*Theophylactus.*)

Supra habes quia pernoctabat in oratione : quomodo hic in tempestate dormit? Sed exprimitur securitas potestatis : quomodo omnibus timentibus, solus intrepidus quiescebat : sed quiescebat corporis somno, cum intenderet divinitatis mysterio : nihil enim sine verbo fit. (*Ambrosius.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

III. — Et accesserunt ad eum discipuli ejus, et suscitaverunt eum, dicentes : Domine, salva nos, perimus. (*Matth. VIII. 25.*)

Præceptor, perimus. (*Luc. VIII. 24.*)

Magister, non ad te pertinet, quia perimus. (*Marc. IV. 38.*)

Tunc surgens imperavit ventis et mari. (*Matth. VIII. 26.*)

At ille, surgens increpavit ventum et tempestatem aquæ. (*Luc. VIII. 24.*)

Exsurgens comminatus est vento, et dixit mari : Tace, obmutesce. Et cessavit ventus : et facta est tranquillitas magna. (*Marc. IV. 39. — Matth. VIII. 26. — Luc. VIII. 24.*)

Nondum autem discipuli qui circa eum exsistebant, ejus gloriam cognoscebant : et quidem quod surgens poterat ventis imperare credebant, sed quod quiescens, seu dormiens, nequaquam. (*Chrysostomus.*)

Solent potestatem habentes, eos qui violentia pacem hominum conturbant comminatione pœnarum refrenare. Per hoc ergo datur intelligi, quod sicut rex aliquis potest comminatione violentos comprimere et suis edictis murmur subjecti populi mitigare : ita Christus rex universæ creaturæ exsistens, sua comminatione ventorum cohibuit violentiam, et mari taciturnitatem indixit, et statim est effectus secutus. (*Glossa.*)



IV. — Et dicit eis Jesus : Quid timidi estis modicæ fidei? (*Matth. VIII. 26.*)

Necdum habetis fidem? (*Marc. IV. 40.*)

Porro homines mirati sunt. (*Matth. VIII. 27.*)

Qui timentes, mirati sunt ad invicem dicentes : Quis putas hic est, quia et ventis et mari imperat, et obediunt ei?

Et navigaverunt ad regionem Gerazenorum, quæ est contra Galilæam. (*Luc. VIII. 25, 26.*)

Comminatus est etiam et discipulis tamquam fidem non habentibus. Si enim habuissent fidem, credidissent quod etiam dormiens servare eos potuisset incolumes. (*Theophylactus.*)

Dubie habebant se erga eum : in quantum enim jussu mare placavit, non baculo, ut Moyses; non precibus ut Elizæus Jordanem; neque arca ut Jesu Nave; secundum hoc, vere Deus eis videbatur; secundum vero quod dormiebat, homo. (*Theophylactus.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## MEDITATIO XLII.

### De vocatione Matthæi.

I. — Jesus egressus est rursus ad mare : omnisque turba veniebat ad eum, et docebat eos.

Et cum præteriret, vidit Levi Alphæi sedentem ad telonium. (*Marc. II. 13, 14.*)

Vidit publicanum nomine Levi sedentem ad telonium. (*Luc. V. 27.*)

Cum transiret, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine. (*Matth. IX. 9.*)

Ad mare egreditur quasi solitarius volens esse ; sed turba concurrit iterum : ut addiscas quod quantum fugis gloriam, tantum ipsa te persequitur. Et si quidem tu ipsam persequeris, ipsa te fugiet. (*Theophylactus.*)

Sic et idem est Levi qui et Matthæus : sed Lucas, Marcusque propter verecundiam et honorem Evangelistæ, nomen ponere nolunt vulgatum, ipse autem Matthæus juxta illud : (*Prov. XIII.*) Justus accusator est sui, Matthæum se et publicanum nominat ut ostendat legentibus, nullum debere conversum de salute diffidere, cum ipse de publicano in apostolum sit repente mutatus. (*Beda.*)



II. — Et ait illi : Sequere me. (*Matth. IX. 9. — Marc. II. 14. — Luc. V. 27.*)

Sequi autem imitari est : ideoque ut pauperem Christum, non tam gressu quam affectu imitari posset, reliquit propria qui rapere solebat aliena. (*Augustinus.*)

III. — Et surgens secutus est eum. (*Matth. IX. 9. — Marc. II. 14.*)

Et relictis omnibus, surgens secutus est eum. (*Luc. V. 28.*)

Non solum autem lucra reliquit vectigalium, sed et periculum contempsit quod evenire poterat : quia vestigalium rationes imperfectas atque incompositas reliquit. (*Beda.*)

## MEDITATIO XLIII.

### De conversione Mariæ Magdalenæ.

I. — Rogabat Jesum quidam de Pharisæis, ut manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi discubuit. (*Luc. VII. 36.*)

Lucas plus medicus animarum quam corporum, ostendit ipsum Deum et Salvatorem nostrum piissime alios visitantem : *Et ingressus*, etc. Non ut aliquid de vitiis ejus sortiatur, sed ut impartiatur de justitia propria. (*Gregorius Nyssenus.*)

II. — Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti. (*Luc. VII. 37.*)

Quia enim hæc mulier turpitudinis suæ maculas adspexit, lavanda ad fontem misericordiæ cucurrit : convivantes non erubuit : nam quia semetipsam graviter erubescebat intus, nihil esse credidit quod verecundetur foris. Discite quo dolore ardet quæ flere et inter epulas non erubescit. (*Gregorius.*)

III. — Et stans retro secus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, et capillis capitis sui tergebat et osculabatur pedes ejus et unguento ungebat. (*Luc. VII. 38.*)

Quot in se habuit oblectamenta, tot de se invenit holocausta; convertit ad virtutum numerum, numerum criminum : ut totum Deo serviret in pœnitentia quicquid ex se Deum contempserat in culpa. (*Gregorius.*)

## MEDITATIO XLIV.

### Christus per parabolam corripit Simonem cominantem.

I. — Videns autem Pharisæus, qui vocaverat eum, ait intra se dicens : Hic si esset propheta, sciret utique quæ, et qualis est mulier, quæ tangit eum : quia peccatrix est. (*Luc. VII. 39.*)



Ecce Pharisæus veraciter apud se superbus, et fallaciter justus, ægrum reprehendit de ægritudine, et medicum de subventione : quæ profecto mulier si ad Pharisæi pedes venisset, calcibus repulsa discederet.

Necesse est autem, ut cum peccatores quosque conspicimus, nosmetipsos prius in eorum calamitate defleamus : quia fortasse in similibus aut lapsi sumus, aut labi possumus. (*Gregorius.*)

II. — Et respondens Jesus, dixit ad illum : Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait : Magister, dic.

Duo debitores erant cuidam fœneratori : unus debebat denarios quingentos, et alius quinquaginta.

Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque. Quis ergo eum plus diligit? (*Luc. VII. 40, 41, 42.*)

Quasi dicat : Neque tu absque debito es; quid igitur si in paucioribus teneris? Non superbias, quia tu quoque venia eges. (*Titus.*)

Nullus enim potest per seipsum a debito peccati liberari, nisi divina gratia veniam consequatur. (*Glossa.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

III. — Respondens Simon dixit : Æstimo quia is cui plus donavit. At ille dixit ei : Recte judicasti. (*Luc. VII. 43.*)

Qua in re notandum est, quod dum sua sententia Pharisæus convincitur, quasi phreneticus funem portat ex quo ligatur. (*Gregorius.*)

## MEDITATIO XLV.

### Christus Magdalenam egregie defendit.

I. — Et conversus ad mulierem dixit Simoni : Vides hanc mulierem? intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti : hæc autem lacrymis rigavit pedes meos, et capillis suis tersit. (*Luc. VII. 44.*)

Enumerantur ei bona peccatricis, enumerantur et mala falsi justi : *Vides hanc mulierem*, etc. (*Gregorius.*)

Quasi dicat : Facilis est usus aquarum, non est facilis lacrymarum effusio : tu promptis non es usus, hæc effudit non prompta : lavans lacrymis pedes meos, lavit maculas proprias : tersit comis, et quibus venata est ad peccatum juventutem, venata est sanctitatem. (*Titus.*)



II. — Osculum mihi non dedisti : hæc autem ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos. (*Luc. VII. 45.*)

Osculo Christum excipere Pharisæus neglexit, quod tantis illum benevolentiæ argumentis, quæ erat sectæ illius superbia, non dignaretur. (*Hieronymus.*)

III. — Oleo caput meum non unxisti : hæc autem unguento unxit pedes meos. (*Luc. VII. 46.*)

Tu ne communi quidem oleo caput meum unxisti : illa pretioso unguento pedes unxit. (*Menochius.*)

## MEDITATIO XLVI.

### Christus peccata dimittit Magdalenæ.

I. — Propter quod dico tibi : (o Simon) Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur minus diligit.

Dixit autem ad illam : Remittuntur tibi peccata. (*Luc. VII. 47, 48.*)

Nam qui vehementer se ingresserunt malis, rursus et bonis vehementer insistent, conscii ad quot debita se obligaverunt. (*Chrysostomus.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Tanto ergo amplius peccati rubigo consumitur, quanto peccatoris cor magno caritatis igne concrematur. (*Gregorius.*)

Contigit autem sæpius eum qui multum peccavit, per confessionem purgari : pauca vero peccantem, ex arrogantia non venire ad confessionis remedium. (*Titus.*)

Nullus ergo constitutorum in peccatis desperet, nemo virtuosus dormitet. (*Chrysostomus.*)

II. — Et cœperunt qui simul accumbebant, dicere intra se : Quis est hic qui etiam peccata dimittit? (*Luc. VII. 49.*)

Ecce quæ ad medicum venerat ægra, sanata est : sed de salute ejus adhuc alii ægrotant. (*Gregorius.*)

III. — Dixit autem ad mulierem : Fides tua te salvam fecit : vade in pace. (*Luc. VII. 50.*)

Sed cœlestis medicus ægros non respicit, quos etiam de medicamento fieri deteriores vidit ; eam autem quam sanaverat, per pietatis suæ sententiam confirmat. (*Gregorius.*)



## MEDITATIO XLVII.

### De missis ad prædicandum Apostolis.

I. — Jesus convocatis duodecim discipulis (Apostolis — *Luc. IX. 1.*) suis dedit illis potestatem spirituum immundorum : (super omnia dæmonia — *Luc. IX. 1.*) ut ejicerent eos, et curarent omnem languorem et omnem infirmitatem. (*Matth. X. 1. — Luc. IX. 1.*)

Benignus etenim, et clemens Dominus ac magister non invidet servis atque discipulis virtutes suas : et sicut ipse curaverat omnem languorem et infirmitatem, apostolis quoque suis tribuit potestatem ut curent omnem languorem, et omnem infirmitatem. Sed multa differentia est inter habere et tribuere, donare et accipere. Iste quodcumque agit, potestate Domini agit : illi, si quid faciunt, imbecillitatem suam et virtutem domini confitentur, dicentes : (*Act. III.*) "In nomine Jesu surge et ambula." (*Hieronymus.*)

II. — Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc. Primus : Simon qui dicitur Petrus, et Andreas frater ejus.

Jacobus Zebedæi, et Joannes frater ejus, Philippus et Bartholomæus, Thomas, et

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Matthæus publicanus, Jacobus Alphæi, et Thaddæus.

Simon Cananæus, et Judas Iscariotes, qui et tradidit eum. (*Matth. X. 2, 3, 4.*)

Catalogus autem Apostolorum ponitur ut extra hos, qui pseudo Apostoli sunt excludantur. (*Hieronymus.*)

1° Simon interpretatur obediens : obedivit enim verbo Andreæ, et cum eo venit ad Christum.

2° Andreas autem interpretatur virilis. Bene virilis dicitur, quia relictis omnibus secutus est Christum.

3° Interpretatur autem Jacobus supplantans, quia non solum vitia carnis supplantavit, sed etiam carnem, Herode trucidante, contempsit.

4° Joannes interpretatur Dei gratia, quia præ omnibus, diligi a Domino meruit.

5° Philippus interpretatur os lampadis, quia lumen quo illuminatus est a Domino, mox invento fratri, per officium oris studuit propinare.

6° Bartholomæus Syrum nomen est non Hebræum, et interpretatur filius suspendentis aquas, id est Christi : qui corda suorum de terrenis ad cœlestia sublevat et suspendit.

7° Thomas interpretatur abyssus : sive græce Dydimus. Bene autem Dydimus abyssus interpretatur; quia quo diutius dubitavit, eo profundius mysterium divinitatis agnovit.



8° Matthæus autem interpretatur donatus, quia Dei munere, de publicano, Evangelista factus est.

9° Jacobus bene dicitur, *Filius Alphæi*, id est Justi. Adeo enim magni meriti fuit, ut ab omnibus Justus vocaretur.

10° Thaddæus ipse est quem Lucas Judam Jacobi, id est fratrem Jacobi appellat, cujus epistola in Ecclesia legitur, in qua se fratrem Jacobi nominat. Judas autem interpretatur confessus, eo quod Filium Dei confessus sit. (*Remigius.*)

11° Simon Chananæus ipse est qui, ab alio Evangelista, scribitur Zelotes. Chana quippe zelus interpretatur.

12° Judas autem Iscariotes, vel a vico in quo ortus est, vel ex tribu Issachar vocabulum sumpsit, ut quodam vaticinio in condemnationem sui natus sit. Issachar enim interpretatur merces, ut significetur pretium proditoris. (*Hieronymus.*)

III. — Hos duodecim misit Jesus. (*Matth. X. 5.*) — Cœpit eos mittere binos. (*Marc. VI. 7.*) — Prædicare regnum Dei et sanare infirmos. (*Luc. IX. 2.*)

Præcipiens eis, dicens : In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis :

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Sed potius ite ad oves, quæ perierunt domus Israel. (*Matth. X. 5, 6.*)

Binos Apostolos mittit, ut fierent promptiores : quia, ut ait Ecclesiastes (*Cap. IV.*) " Melius est simul duos esse, quam unum. " (*Theophylactus.*)

Mittens autem docet eos quo eant, quid prædicent, et quid faciant. Primo quidem quo eant. (*Glossa.*)

Ab his (Gentibus et Samaritanis) ergo discipulos avertens, ad filios Israel mittit, quos pereuntes vocat, non abscedentes, undique veniam eis excogitans, et attrahens eorum mentem. (*Chrysostomus.*)

Qui tamen licet oves vocentur, in Christum luporum ac viperarum linguis et faucibus sævierunt. (*Hilarius.*)

IV. — Euntes autem prædicate, dicentes : Quia appropinquavit regnum cœlorum, infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite : gratis accepistis, gratis date. (*Matth. X. 7, 8.*) Egressi autem circuibant per castella evangelizantes, et curantes ubique. (*Luc. IX. 6.*)

Prædicabant ut pœnitentiam agerent : et dæmonia multa ejiciebant, et ungebant oleo multos ægros, et sanabant. (*Marc. VI. 12, 13.*)



Et reversi Apostoli, narraverunt illi quæcumque fecerunt : et assumptis illis, secessit seorsum, in locum desertum, qui est Bethsaidæ. (*Luc. IX. 10.*)

Postquam autem docuit eos quo eant, insinuat quid prædicent. (*Glossa.*)

Vides ministerii magnitudinem. Nihil sensibile præcipiuntur dicere, ut Moyses et Prophetæ, sed nova quædam et inopinata, regnum cœlorum, et omnia quæ illic sunt bona. (*Chrysostomus.*)

Adjuncta sunt autem prædicatoribus sanctis miracula, ut fidem verbis daret virtus ostensa, et nova facerent qui nova prædicarent. (*Gregorius.*)

*Egressi autem circuibant*, etc. Quasi doctores quidem evangelizantes ; sed quasi medici præstantes remedia, et verba miraculo comprobantes. (*Eusebius.*)

## MEDITATIO XLVIII.

### De quinque millium hominum refectione.

I. — Reversi Apostoli. (*Luc. IX. 10.*) Et convenientes ad Jesum nuntiaverunt ei omnia, quæ egerant, et docuerant. Et ait illis : Venite seorsum et requiescite

pusillum. Erant enim qui veniebant et redibant multi : et nec spatium manducandi habebant. (*Marc. VI. 30, 31.*)

Ad locum enim unde exeunt flumina, revertuntur. Deo semper referunt missi super his quæ acceperant. (*Theophylactus.*) Discamus autem et nos, cum in ministerium aliquod mittimur, non elongari, et ultra commissum officium non efferri ; sed mittentem visitare et renuntiare ei omnia quæ egimus et docuimus. (*Beda.*)

Quiescere facit Christus suos discipulos, ut addiscant præpositi, quod qui laborant in opere et sermone, requiem promerentur, et quod non debent continue laborare. (*Beda.*)

II. — Et ascendentes in navim abierunt (*Marc. VI. 32*), trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis (*Joan. VI. 1*), in desertum locum. (*Marc. VI. 32.*)

Et viderunt eos abeuntes, et cognoverunt multi : et pedestres, de omnibus civitatibus concurrerunt illuc, et prævenerunt eos (*Marc. VI. 33*), quia videbant signa, quæ faciebat super his, qui infirmabantur.

Subiit ergo in montem Jesus : et ibi sedebat cum discipulis suis. (*Joan. VI. 2, 3.*)

Non discipuli soli, sed assumpto Domino ascendentes in navim, locum petiere desertum. Tentat autem fidem turbarum : petendo enim solitudinem, an sequi curent explorat : Illi sequendo, et non in jumentis, aut vehiculis diversis, sed proprio labore pedum, quantam salutis suæ curam gerant, ostendunt. (*Theophylactus.*) Ita tu Christum non exspectans quod ipse revocet, sed præcurrens eum prævenias. (*Beda.*)



III. — Et exiens vidit turbam multam : et misertus est super eos, quia erant sicut oves non habentes pastorem, et cœpit illos docere multa. (*Marc. VI. 34.*) Loquebatur illis de regno Dei, et eos, qui cura indigebant, sanabat. (*Luc. IX. 11.*) Curavit languidos eorum. (*Mat. XIV. 14.*)

Pharisæi lupi existentes rapaces, non pascebant populum, sed devorabant : propter hoc ad Christum verum congregantur pastorem : qui tradidit illis cibum spiritualem, scilicet verbi Dei. (*Beda.*)

Et curavit languidos eorum : hoc est enim veraciter pauperum misereri, eis veritatis viam docendo aperire et molestias corporales auferre. (*Hieronymus.*)

IV. — Dies autem cœperat, declinare. (*Luc. IX. 12.*) Et cum jam hora multa fieret. (*Marc. VI. 35.*)

Vespere facto accesserunt ad eum discipuli ejus (*Mat. XIV. 15*), duodecim (*Luc. IX. 12*), dicentes : Desertus est locus, et hora jam præterit : dimitte illos, ut euntes in proximas villas, et vicos, emant sibi cibos, quos manducent (*Marc. VI. 35, 36. — Mat. XIV. 15*), quia hic in loco deserto sumus. (*Luc. IX. 12.*)

Vide, quomodo discipuli Christi circa hominum amorem proficiunt : turbarum enim miserti accedunt ad Christum, et pro eis intercedunt. Dominus autem tentavit eos, si ejus virtutem tantam esse cognoverant quod turbas pascere posset.

Provocat etiam Apostolos, ad fractionem panis, ut illis se non habere testantibus, magnitudo miraculi notior fieret. (*Hieronymus.*)

## MEDITATIO XLIX.

### Christus tentat discipulorum fidem.

I. — Jesus autem dixit eis : Non habent necesse ire : date illis vos manducare. (*Mat. XIV. 16.*)

Et dixerunt ei : Euntes emamus ducentis denariis panes, et dabimus illis manducare. (*Marc. VI. 37.*)



Vide magistri sapientiam : non enim statim dixit eis : Ego cibabo eos, neque enim facile suscepissent. (*Chrysostomus.*)

Discipuli autem arguebant eum tamquam ignorantem quod illis esset necessarium, ad tantam multitudinem turbarum pascendam : unde turbati respondent : *Euntes emamus. etc.* (*Theophylactus.*)

II. — Cum sublevasset ergo oculos Jesus, et vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum, unde ememus panes, ut manducent hi.

Hoc autem dicebat tentans eum : ipse enim sciebat quid esset facturus. (*Joan. VI. 5, 6.*)

Ut disceremus quia oculos non erigebat huc atque illuc : sed pudice sedebat attentus cum discipulis suis. (*Theophylactus.*)

Diligenter loquens aliquid eis, et eos ad seipsum convertens. Deinde respiciens vidit turbam ad se venientem. (*Chrysostomus.*) Philippum igitur Dominus tentans utrum fidem haberet, invenit eum adhuc humanis passionibus subjacentem : quod patet ex hoc quod sequitur. (*Theophylactus.*)

III. — Respondit ei Philippus : Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Dicit ei unus ex discipulis ejus, Andreas frater Simonis Petri. Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, et duos pisces : sed hæc quid sunt inter tantos? (*Joan. VI. 7, 8, 9.*)

In quo tarditatem suam ostendit : nam si perfecte de creatore intelligeret, de ejus potentiæ largitate non diffideret. (*Alcuinus.*)

Sed et Andream Dominus similem Philippo invenit, quamvis altius de illo contemplantem. (*Theophylactus.*)

Æstimo quidem non sine causa id eum dicere : sed quia audiverat signum quod Elisæus de panibus hordeaceis fecerat : pavit enim de viginti panibus centum homines. (4. *Reg. IV.*) Ascendit igitur mente in aliquod excelsum : sed ad summum non potuit pervenire. Æstimabat enim quod de paucioribus pauciora, et de pluribus plura facturus esset qui miracula faciebat. (*Chrysostomus.*)

## MEDITATIO L.

### Christus benedicit et multiplicat panes.

1. — Dicit eis : Quot panes habetis? ite, et videte. Et cum cognovissent, dicunt : Quinque, et duos pisces. (*Marc. VI. 38.*)



Non habemus hic nisi quinque panes, et duos pisces.

Qui ait eis : Afferte mihi illos huc. (*Mat. XIV. 17, 18.*)

Et præcepit illis ut accumbere facerent omnes, secundum contubernia, super viride fœnum. (*Marc. VI. 39.*)

Erat (enim) fœnum multum in loco. (*Joan. VI. 10.*)

Ait ad discipulos suos : Facite illos discumbere per convivia quinquagenos. Et ita fecerunt. (*Luc. IX. 14, 15.*)

Et discubuerunt in partes, per centenos et quinquagenos. (*Marc. VI. 40.*)

Discubuerunt ergo viri, numero quasi quinque millia. (*Joan. VI. 10. — Luc. IX. 14.*)

Non materia subjecta indigebat; sed ne viderentur creaturæ alienæ esse ab ejus sapientia, ipsis creaturis utitur ad materiam miraculorum. (*Chrysostomus.*)

Oportet autem erudiri discipulorum exemplo : quoniam etsi pauca habuerimus, oportet ea retribuere indigentibus. Jussi namque discipuli afferre quinque panes, non dicunt : Unde mitigabimus famem nostram? sed obediunt confestim. (*Chrysostomus.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Docet autem Dominus, cum hospitamur aliquem, reclinare ipsum, et omnis consolationis participem facere.

Soli viri numerantur ab Evangelista, quia legalem consuetudinem sequebatur. (*Theophylactus.*)

II. — Et acceptis quinque panibus, et duobus piscibus, intuens in cœlum benedixit, et fregit panes, et dedit discipulis suis, ut ponerent ante eos, et duos pisces divisit omnibus. (*Marc. VI. 41.*)

Accepit ergo Jesus panes : et cum gratias egisset, distribuit discumbentibus : similiter et ex piscibus quantum volebant. (*Joan. VI. 11.*)

Sed quare paralyticum debens sanare non orat, neque suscitans mortuos, neque mare quietans; hic autem orat gratias agens? Ut scilicet ostendat, eos qui comestionem incipiunt, gratias agere oportere Deo, et adhuc quoniam turba multa erat præsens, oportebat eis suaderi quod secundum voluntatem Dei advenerat : et ideo cum occulte aliquod miraculum faciebat non orabat : sed coram multis orabat, ne crederent quod esset Deo contrarius. (*Chrysostomus.*)

III. — Et manducaverunt omnes et saturati sunt. (*Mat. XIV. 20. — Marc. VI. 42. — Luc. IX. 17.*)



Ut autem impleti sunt, dixit discipulis suis : Colligite quæ superaverunt fragmenta, ne pereant.

Collegerunt ergo, et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, quæ superfuerunt his qui manducaverant. (*Joan. VI. 12, 13. — Luc. IX. 17. — Mat. XIV. 20.*)

Sustulerunt reliquias, fragmentorum duodecim cophinos plenos, et de piscibus. (*Marc. VI. 43.*)

Non quidem hæc ostentatio superflua fuit, sed ne phantasiam æstimarent quod factum est; propter quod etiam ex subjecta materia miraculum fecit. Sed quare non turbis dedit fragmenta portanda, sed discipulis? Quoniam hos maxime erudire volebat, qui orbis terrarum debebant esse magistri. Ego autem non solum admiror multitudinem panum quæ facta est, sed et certitudinem superfluorum : quia neque plus neque minus fecit superfluum esse, sed tantum quantum volebat : scilicet duodecim cophinos, secundum numerum Apostolorum. (*Chrysostomus.*)

Addiscimus autem ex miraculo perpetrato, non fieri pusillanimes in coarctationibus paupertatis. (*Theophylactus.*)

IV. — Erant autem qui manducaverunt quinque millia virorum. (*Marc. VI. 44.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Exceptis mulieribus et parvulis. (*Mat. XIV. 21.*)

Illi ergo homines cum vidissent quod Jesus fecerat signum dicebant : Quia hic est vere propheta, qui venturus est in mundum. (*Joan. VI. 14.*)

Et statim coegit discipulos suos ascendere navim, ut præcederent eum trans fretum, ad Bethsaidam, dum ipse dimitteret populum.

Et cum dimisisset eos, abiit in montem orare. (*Marc. VI. 45, 46.*).

Sic autem Propheta est Christus et Dominus Prophetarum, sicut Angelus et Dominus Angelorum : ex eo enim quod præsens annuntiavit, Angelus erat, ex eo quod futura prædixit : Propheta erat, ex eo quod Verbum caro factum est et Angelorum et Prophetarum Dominus erat : nullus enim Propheta sine verbo Dei. (*Augustinus.*)

Coegit discipulos, quia non de facili ab eo poterant separari. (*Chrysostomus.*)

Non omnis qui orat ascendit in montem : sed qui bene orat, qui eum orando quærit. (*Beda.*)



## MEDITATIO LI.

### De ambulatione Christi super aquas.

I. — Compulit Jesus discipulos ascendere in naviculam, et præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas.

Et dimissa turba, ascendit in montem solus orare. Vespere autem facto solus erat ibi. (*Matth. XIV. 22, 23.— Marc. VI. 45, 46.*)

Quo sermone ostenditur invitos eos a Domino recessisse, dum amore præceptoris ne ad punctum quidem temporis ab eo volunt separari. (*Hieronymus.*)

Docet Dominus, non debere turbis nos commiscere continuo, neque fugere multitudinem semper ; sed alterutrum utiliter facere. (*Chrysostomus.*)

Propter hoc etiam ad desertum vadit, et ibi pernoctat dum orat, erudiens nos in oratione tranquillitatem quærere et a tempore et a loco. (*Chrysostomus.*)

II. — Et cum sero esset, erat navis in medio mari, et ipse solus in terra. (*Marc. VI. 47.*) Mane autem, vento magno flante, exsurgebat. (*Joan. VI. 18.*) — Navicula autem in medio mari jactabatur

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

fluctibus : erat enim contrarius ventus. (*Mat. XIV. 24.*)

Rursus autem discipuli tempestatem sustinent sicut et prius : sed tunc quidem habentes eum in navigio, hoc passi sunt, nunc autem soli exsistentes. Paulatim enim ad majora eos ducit, et ad ferendum omnia viriliter instruit. (*Chrysostomus.*)

III. — Cum remigassent ergo quasi stadia viginti quinque aut triginta. (*Joan. VI. 19.*) Et videns eos laborantes in remigando (erat enim ventus contrarius eis) et circa quartam vigiliam noctis venit ad eos, ambulans supra mare : et volebat præterire eos. (*Marc. VI. 48.*)

Tota autem nocte dimittit eos fluctuari, erigens eorum cor post timorem, in majus sui desiderium immittens eos, et in memoriam continuam : propter hoc non confestim eis adstitit. (*Chrysostomus.*)

Quando dicit, quarta vigilia noctis venisse ad eos Dominum, ostendit tota nocte periclitatos. (*Hieronymus.*)

IV. — At illi, ut viderunt eum ambulantem supra mare (*Marc. VI. 49.*), et proximum navi fieri (*Joan. VI. 19.*), putaverunt phantasma esse (*Marc. VI. 47*),



et timuerunt (*Joan. VI. 19.*), et exclamaverunt.

Omnes enim viderunt eum et conturbati sunt. (*Marc. VI. 49, 50.*)

Dicentes quia phantasma erat. Et præ timore clamaverunt. (*Matth. XIV. 26.*)

Statimque Jesus locutus est eis, dicens: Habete fiduciam : ego sum nolite timere. (*Matth. XIV. 27. — Marc. VI. 50.*)

Voluerunt ergo accipere eum in navim. (*Joan. VI. 21.*)

Quomodo ergo eos volebat præterire quos paventes ita confirmat, nisi quia illa voluntas prætereundi, ad eliciendum illum clamorem valebat, cui subvenire oportebat. (*Augustinus.*)

Christus ergo non prius se revelavit discipulis donec clamaverunt ; quanto enim magis intendebatur timor, tanto magis lætati sunt in ejus præsentia.

Hoc verbum et timorem solvit, et fiduciam præparavit. (*Chrysostomus.*)

Quod autem dicit : *ego sum*, nec subjungit quis sit; ex voce sibi nota poterant intelligere eum qui per obscuros noctis tenebras loquebatur. (*Hieronymus.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## MEDITATIO LII.

**De ambulatione Petri super aquas.**

I. — Respondens autem Petrus dixit : Domine, si tu es, jube me ad te venire super aquas.

At ipse ait : Veni. Et descendens Petrus de navicula, ambulabat super aquam ut veniret ad Jesum. (*Matth. XIV. 28, 29.*)

Non enim possum hoc in me, sed in te. Agnovit Petrus quid sibi esset a se, quid ab illo, cujus voluntate se credidit posse quod nulla humana infirmitas posset. (*Augustinus.*)

Vide autem quantus est fervor, quanta fides. Non dixit, ora et deprecare; sed *jube :* non enim solum credidit quoniam potest Christus ambulare super mare, sed quoniam potest et alios inducere : et concupiscit vehementer ad eum ire. (*Chrysostomus.*)

II. — Videns vero ventum validum, timuit : et cum cœpisset mergi, clamavit dicens : Domine, salvum me fac.

Et continuo Jesus extendens manum apprehendit eum, et ait illi : Modicæ fidei, quare dubitasti ? (*Matth. XIV. 30, 31.*)



Petrus autem quod majus est superans, scilicet undam maris, a minori turbatur, scilicet a venti impulsu. (*Chrysostomus.*)

Præsumpsit ergo Petrus de Domino, titubavit ut homo, sed redivit ad Dominum. Numquid autem Dominus desereret titubantem quem audierat invocantem? (*Augustinus.*)

III. — Et cum ascendisset in naviculam, cessavit ventus. (*Matth. XIV. 32.*) Et plus magis intra se stupebant. (*Marc. VI. 51.*) Qui autem in navicula erant venerunt, et adoraverunt eum, dicentes : Vere Filius Dei es.

Et cum transfretassent venerunt in terram Genesar. (*Matth. XIV. 33, 34.*) Et applicuerunt. (*Marc. VI. 53.*)

Sicut autem pullum ante tempus ex nido exeuntem et casurum, mater alis portans, rursus ad nidum reducit : ita et Christus fecit. (*Chrysostomus.*)

Nec mirandum, si ascendente Domino in naviculam ventus cessavit : in quocumque enim corde Dominus per gratiam adest, mox universa bella quiescunt. (*Rabanus.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## MEDITATIO LIII.

### De quatuor millium hominum iterata refectione.

I. — In diebus illis iterum cum turba multa esset, nec haberent quod manducarent. (*Marc. VIII. 1.*)

Jesus, convocatis discipulis suis, dicit : Misereor turbæ, quia triduo jam perseverant mecum (*Matth. XV. 32*), nec habent quod manducent.

Et si dimisero eos jejunos in domum suam, deficient in via : quidam enim ex eis de longe venerunt (*Marc. VIII. 2, 3*), et dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in via. (*Matth. XV. 32.*)

Non semper circa alimenta miracula faciebat, ne propter cibum ipsum sequerentur. Et nunc igitur hoc miraculum non fecisset, nisi quia videbat turbis periculum imminere. (*Theophylactus.*)

*Convocatis discipulis.* Hoc autem facit ut magistris exemplum tribuat, cum minoribus atque discipulis communicandi consilia. (*Hieronymus.*)

Etsi enim quando venerunt, cibos habuerunt, tamen jam consumpti erant : et propter hoc non in prima aut secunda die hoc



fecit, sed in tertia, quando jam omnia erant corrupta : ut prius ipsi in necessitate constituti, cum ampliori desiderio susciperent quod fiebat. (*Chrysostomus.*)

II. — Et responderunt ei discipuli sui : Unde illos quis poterit hic saturare panibus in solitudine? (*Marc. VIII. 4.*)

Unde ergo nobis in deserto panes tantos, ut saturemus turbam tantam?

Et ait illis Jesus : Quot habetis panes? At illi dixerunt : Septem et paucos pisciculos.

Et præcepit turbæ, ut discumberent super terram. (*Matth. XV. 33, 34, 35.* — *Marc. VIII. 4, 5, 6.*)

Cum autem nolit eos jejunos dimittere, ideo tamen non statim signum facit, ut ex hac interrogatione et responsione attentiores discipulos faciat, et fidem suam ostendant dicentes : Fac panes. Et quamvis Christus plurima fecerit ut miraculi prius facti recordarentur, quia fecit eos ministros, et partiti sunt cophinos, adhuc tamen imperfectius dispositi erant. (*Chrysostomus.*)

Ipse autem Dominus non eos vituperat, ex hoc instruens nos, quod non debemus ignorantibus et non intelligentibus graviter irasci, sed eorum ignorantiæ compati. (*Theophylactus.*)

III. — Et accipiens septem panes, et pisces, et gratias agens, fregit et dedit discipulis suis. (*Matth. XV. 36.*) Ut apponerent, et apposuerunt turbæ. (*Marc. VIII. 4.*) Et comederunt omnes et saturati sunt. Et quod superfuit de fragmentis tulerunt septem sportas plenas. (*Matth. XV. 37. — Marc. VIII. 8.*)

Quod Dominus panes fregit, apertionem significat sacramentorum; quod gratias egit, ostendit quantum de salute humani generis congaudeat; quod panes discipulis dedit ut turbæ apponerent, significat quia spiritualis dona scientiæ tribuit Apostolis, et per eorum ministerium voluit Ecclesiæ suæ vitæ cibaria distribui. (*Beda.*)

IV. — Erant autem qui manducaverunt quatuor millia hominum, extra parvulos et mulieres. (*Matth. XV. 38.*)

Et dimissa turba, ascendit in naviculam : et venit in fines Magedan. (*Matth. XV. 39.*)

Dimisit eos. Et statim ascendens navim cum discipulis suis, venit in partes Dalmanutha. (*Marc. VIII. 10.*)

Mageda (et Dalmanutha nec est dubitandum eumdem locum esse. (*Augustinus*) interpretatur poma, vel nuntia; et significat



hortum, de quo dicitur. (*Cant. IV.*) "Hortus conclusus, fons signatus" in quo crescunt poma virtutum, et ubi nuntiatur nomen Domini. Docet autem quod prædicatores, ministrato verbo turbæ, ipsi intra cubiculum cordis virtutum pomis debent refici. (*Rabanus.*)

## MEDITATIO LIV.

### Petro claves regni Cœlorum promittuntur.

I. — Et egressus est Jesus, et discipuli ejus in castella (in partes *Matth. XVI. 13.*) Cæsareæ Philippi : et in via interrogabat discipulos suos dicens eis : Quem me (Filium hominis *Matth. XVI. 13*), dicunt esse homines? Qui responderunt illi dicentes. (*Marc. VIII. 27, 28.*)

Alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex Prophetis (*Matth. XVI. 14*), quia unus propheta de prioribus surrexit. (*Luc. IX. 19.*)

Postquam eduxit longe a Judæis discipulos suos, tunc de seipso interrogat, ut non timentes Judæos respondeant veritatem. (*Theophylactus.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Sciens quidem interrogat, quia decebat ut discipuli quandoque eum melius laudarent quam turbæ. (*Chrysostomus.*)

Ideo quid alii de se sentiant inquirit, ut expositis primo sententiis errantium, discipuli probarentur veritatem suæ confessionis, non de opinione vulgata, sed de ipso percepisse dominicæ revelationis arcano. (*Rabanus.*)

II. — Dixit illis Jesus : Vos autem quem me esse dicitis?

Respondens Simon Petrus dixit : Tu es Christus, Filius Dei vivi.

Respondens autem Jesus, dixit ei : Beatus es Simon Bar Jona : quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est.

Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. (*Matth. XVI. 15, 16, 17, 18.*)

Quando vero Dominus de plebis opinione interrogat, omnes respondent ; sed omnibus discipulis interrogatis, Petrus tamquam os Apostolorum et caput, pro omnibus respondet. (*Chrysostomus.*)

Mira distinctione factum est, ut Dominus ipse humilitatem assumptæ humanitatis profiteatur, *quem dicunt ... Filium hominis?*



discipulus excellentiam divinæ æternitatis ostendat. *Tu es Christus Filius Dei vivi.* (*Rabanus.*)

Beatus hic, qui ultra humanos oculos et intendisse et vidisse laudatus est, non id quod ex carne et sanguine est contuens, sed Dei Filium cœlestis Patris revelatione conspiciens : dignusque judicatus ut primus agnosceret quod divinitas esset in Christo. (*Hilarius.*)

III. — Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis : et quodcumque solveris super terram erit solutum et in cœlis. (Idem dicitur omnibus Apostolis.) (*Matth. XVI. 19.*)

Vide qualiter Christus reducit Petrum ad excelsam de ipso intelligentiam. Hæc enim ei se promittit daturum quæ sunt propria Dei solius : scilicet peccata solvere, et Ecclesiam immutabilem facere, inter tot persecutionum et tentationum procellas. (*Chrysostomus.*)

IV. — Tunc præcepit discipulis suis ut nemini dicerent quia ipse esset Jesus Christus. (*Matth. XVI. 20.*)

Et comminatus est eis, ne cui dicerent de illo. (*Marc. VIII. 30.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

At ille increpans illos, præcepit ne cui dicerent hoc.

Dicens, quia oportet Filium hominis multa pati, et reprobari a senioribus, et principibus sacerdotum, et Scribis, et occidi, et tertia die resurgere. (*Luc. IX. 21, 22. — Marc. VIII. 31.*)

Propterea præcepit eis ut nemini dicerent quia ipse est Christus : inutile enim est ipsum quidem prædicare, crucem autem ejus tacere, præparabat eos, ut postmodum dicant, quoniam ipse est Christus qui crucifixus est et resurrexit. (*Origenes.*)

Est autem sensus : Tunc me prædicate cum ista passus fuero : quia non prodest Christum prædicari, et ejus vulgare in populis majestatem, quem post paululum visuri sunt flagellatum et crucifixum. (*Hieronymus.*)

## MEDITATIO LV.

### De Transfiguratione Christi.

1. — Assumpsit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem ejus, et ducit illos in montem excelsum seorsum solos. (*Matth. XVII. 1. — Marc. IX. 1. — Luc. IX. 28.*)



Tres solummodo discipulos secum ducit, quia multi sunt vocati, pauci vero electi. Vel quia, qui nunc fidem sanctæ Trinitatis incorrupta mente servant, tunc æternæ ejus visione lætantur. (*Rabanus.*)

*Et duxit illos in montem excelsum seorsum.* In quo docet quia necesse est omnibus qui Deum contemplari desiderant, ut non in infirmis voluptatibus jaceant, sed amore supernorum semper ad cœlestia erigantur. (*Remigius.*)

2. — Et facta est dum oraret species vultus ejus altera : et vestitus ejus albus et refulgens. (*Luc. IX. 29.*)

Et transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies ejus sicut sol : vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix. (*Matth. XVII. 2.*)

Transfiguratus est coram ipsis. Et vestimenta ejus facta sunt splendentia, et candida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere. (*Marc. IX. 2.*)

Qualis enim futurus est tempore judicandi, talis Apostolis apparuit. (*Hieronymus.*)

Cum secundum hypostasis unionem, una et eadem sit gloria Verbi et carnis, transfiguratur, non quasi accipiens quod non erat, sed quod erat manifestans discipulis. (*Damascenus.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

III. — Et ecce apparuerunt illis Moyses, et Elias cum eo loquentes. (*Matth. XVII. 3.*) Et erant loquentes cum Jesu. (*Marc. IX. 3.*)

Et ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyses et Elias, visi in majestate, et dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem. (*Luc. IX. 30, 31.*)

His autem ita se habentibus, ut unus ostenderetur Dominus novi et veteri testamenti, et hæreticorum ora obturentur, et fides fiat resurrectionis; nec non qui transfigurabatur vivorum et mortuorum Dominus crederetur. (*Damascenus.*)

Aliam causam et ipse evangelista revelat, scilicet monstrare crucis gloriam, et mitigare Petrum et alios discipulos passionem timentes. (*Chrysostomus.*)

## MEDITATIO LVI.

### De voce Patris cœlitus elapsa.

I. — Petrus vero, et qui cum illo gravati erant somno. Et evigilantes viderunt majestatem ejus, et duos viros qui stabant cum illo.



Et factum est cum discederent ab illo, ait Petrus ad Jesum : (*Luc. IX. 32, 33.*)

Domine. (*Matth. XVII. 4.*) Rabbi. (*Marc. IX. 4.*) Præceptor, bonum est nos hic esse. (*Luc. IX. 33.*) Si vis faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliæ unum. (*Matth. XVII. 4.*) Nesciens quid diceret. (*Luc. IX. 33.*) Erant enim timore exterriti. (*Marc. IX. 5.*)

Christo vacante orationi, Petrus somno deprimitur : infirmus enim erat, et quod humanum erat implevit. (*Theophylactus.*)

Fortasse ideo gravati somno erant, ut resurrectionis viderent speciem post quietem. (*Ambrosius.*)

Æstimabat forsan divus Petrus imminere tempus regni Dei : et ideo approbat montis incolatum. (*Cyrillus.*)

Non est autem bonum Petre, tibi quod Christus ibi moretur : quoniam si mansisset, nequaquam tibi facta promissio consequeretur effectum : neque enim claves obtinuisses regni, nec mors tyranni abolita esset. Non quæras ante tempus felicia, ut Adam deificationem. (*Damascenus.*)

II. — Hæc autem illo loquente. (*Luc. IX. 34.*) Ecce nubes lucida obumbravit eos. Et ecce vox de nube dicens : Hic est

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui : ipsum audite.

Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, et timuerunt valde. (*Matth. XVII. 5, 6.*)

Cognosce autem nubem istam, non coacti aeris caligine picam, et quæ cœlum tenebrarum horrore subtexat, sed lucidam, quæ nos non pluvialibus aquis immadidet, sed qua mentes hominum, in voce Dei omnipotentis emissa, fidei ros rigavit : *Et vox facta est*, etc. Non Elias filius, non Moyses filius : *Hic est Filius*, quem solum videtis. (*Ambrosius.*)

III. — Et accessit Jesus, et tetigit eos : dixitque eis : Surgite et nolite timere.

Levantes autem oculos suos, neminem viderunt, nisi solum Jesum. (*Matth. XVII. 7, 8.*)

Et dum fieret vox, inventus est Jesus solus. (*Luc. IX. 36.*)

Quia vero illi jacebant et surgere non poterant, ipse clementer accedit et tangit eos, ut tactu fuget timorem, et debilitata membra solidentur.

Quos autem manu sanaverat, etiam sanavit imperio : *Surgite et nolite timere.* (*Hieronymus.*)



## MEDITATIO LVII.

### Discipuli prohibentur hanc visionem evulgari.

I. — Descendentibus illis de monte, præcepit eis Jesus, dicens : Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat. (*Matth. XVII. 9.*)

Nisi cum Filius hominis a mortuis resurrexerit. (*Marc. IX. 8.*)

Non vult ergo in populis prædicari, ne et incredibile esset pro rei magnitudine, et post tantam gloriam, apud rudes animos, crux scandalum faceret. (*Hieronymus.*)

Silentium etiam rerum gestarum quas viderant imperat, ut cum essent Spiritu sancto repleti, tunc gestarum spiritualium testes essent. (*Hilarius.*)

Non igitur erat congruum talia de Christo dicere antequam pateretur, post resurrectionem vero credibile videbatur. (*Theophylactus.*)

II. — Et verbum continuerunt apud se, conquirentes quid esset : cum a mortuis resurrexerit. (*Marc. IX. 9.*)

Illi vero resurrectionis mysterium ignorantes : verbum quidem retinentes, invicem disputabant. (*Chrysostomus.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

III. — Et ipsi tacuerunt, et nemini dixerunt, in illis diebus, quidquam ex his quæ viderant. (*Luc. IX. 36.*)

Et nota, sicut Domino in Jordane baptizato, sic etiam in monte clarificato totius Trinitatis mysterium declarari : quia gloriam illius, quam in baptismate confitemur, in resurrectione videbimus. (*Beda.*)

## MEDITATIO LVIII.

### Christus pro se et Petro solvit didrachma.

I. — Cum venissent Capharnaum accesserunt qui didrachma accipiebant, ad Petrum, et dixerunt ei : Magister vester non solvit didrachma? Ait : Etiam. (*Matth. XVII. 23.*)

Pro signorum magnitudine hi qui exigebant tributum, non audebant ipsum (Dominum) repetere, sed discipulum conveniunt. (*Hieronymus.*)

Et neque hunc cum multa vehementia, sed mansuetius : neque enim incusantes, sed interrogantes. (*Chrysostomus.*)

II. — Et cum intrasset in domum, prævenit eum Jesus, dicens : Quid tibi videtur



Simon? Reges terræ a quibus accipiunt tributum vel censum? a filiis suis, an ab alienis?

Et ille dixit : Ab alienis. Dixit illi Jesus : Ergo liberi sunt filii. (*Matth. XVII. 24,25.*)

Et Petrus respondit, *Etiam* : id est, ita est quod non solvit. Voluit autem Petrus intimare quod Herodiani peterent censum, sed Dominus prævenit eum. (*Glossa.*)

Dominus autem noster et secundum carnem et secundum Spiritum filius erat regis; vel ex David stirpe generatus, vel Omnipotentis Patris Verbum : ergo tributa quasi filius regis non debebat. (*Hieronymus.*)

III. — Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, et mitte hamum : et eum piscem qui primus ascenderit, tolle : et aperto ore ejus, invenies staterem : illum sumens, da eis pro me, et te. (*Matth. XVII. 26.*)

Sicut autem stupescis de Christi virtute, ita admirare Petri fidem, quoniam rei tam difficili obedivit. Ideoque de fide eum remunerans, copulavit eum sibi in tributi datione : quod fuit abundantis honoris. (*Chrysostomus.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## MEDITATIO LIX.

### Christus clam ad festum tabernaculorum proficiscitur.

I. — Ambulabat Jesus in Galilæam, non enim volebat in Judæam ambulare : quia quærebant eum Judæi interficere.

Erat autem in proximo dies festus Judæorum, scenopegia.

Dixerunt autem ad eum fratres ejus : Transi hinc, et vade in Judæam, ut et discipuli tui videant opera tua, quæ facis. *(Joan. VII. 1, 2, 3.)*

Quoniam quæ deitatis erant ostendebat, et quæ humanitatis : etenim fugiebat persecutores ut homo, et apparebat eis ut Deus, utrumque vere exsistens. *(Chrysostomus.)*

Celebrabant (hunc) diem festum, reminiscentes beneficiorum Domini qui tamen occisuri erant Dominum. *(Augustinus.)*

Tu signa facis, et pauci ea vident : transi ergo ad regiam urbem, ubi sunt principes, ut visis signis, laudem consequaris ab eis. Sed quia non omnes discipuli semper Dominum sequebantur, sed eorum multi in Judæa erant, ideo subdunt : *ut et discipuli tui*, etc. *(Beda.)*



II. — Dicit ergo eis Jesus : Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendo ad diem festum istum : quia meum tempus nondum impletum est.

Hæc cum dixisset ipse mansit in Galilæa. *(Joan. VII. 6, 8, 9.)*

Fortassis eum prodere volebant, et tradere Judæis : ideo dicit : *tempus meum, etc.*, hoc est tempus crucis et mortis : quia etsi vos semper sitis cum Judæis non interficient vos. *(Chrysostomus.)*

III. — Ut autem ascenderunt fratres ejus, tunc et ipse ascendit ad diem festum non manifeste, sed quasi in occulto.

Judæi ergo quærebant eum in die isto, et dicebant : Ubi est ille?

Et murmur multum erat in turba de eo. Quidam enim dicebant : Quia bonus est. Alii autem dicebant : Non, sed seducit turbas.

Nemo tamen palam loquebatur de illo propter metum Judæorum. *(Joan. VII. 10, 11, 12, 13.)*

Appellabatur autem apud Judæos dies festus, cum tamen non esset unus, sed plures. *(Augustinus.)*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ut disceremus quid nos oporteat facere, qui non possumus persecutores detinere, voluit latenter ascendere. (*Chrysostomus.*)

*Ubi est ille.* Ex multo odio et inimicitia, neque enim eum nominatim vocare volebant. (*Chrysostomus.*)

Quicumque emicuerit in aliqua gratia, alii dicunt, *bonus est*, alii, *non, sed seducit turbas.* Quod autem dictum est de eo, valet ad consolationem de quocumque hoc dictum fuerit Christiano. (*Augustinus.*)

*Nemo.* Eorum scilicet qui dicebant, *bonus est*, non qui dicebant, *seducit turbas :* hæc enim clarius sonabant, sed *bonus est* pressius susurrabant. (*Augustinus.*)

IV. — Jam autem die Festo mediante, ascendit Jesus in templum, et docebat.

Et mirabantur Judæi. (*Joan. VII. 14, 15.*)

Nam in principio festi his quæ festi erant magis attendebant : unde postea Christum attentius audierunt. (*Theophylactus.*).

Vide admirationem nequitia plenam ; non enim dicit quod in doctrina admirarentur : sed in aliam admirationem inciderunt : " Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit? " (*Chrysostomus.*)



## MEDITATIO LX.

### Mulierem in adulterio deprehensam dimittit.

I. — Jesus diluculo venit in templum, et omnis populus venit ad eum, et sedens docebat eos.

Adducunt autem Scribæ, et Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam : et statuerunt eam in medio.

Et dixerunt ei : Magister, hæc mulier modo deprehensa est in adulterio.

In lege autem Moyses mandavit nobis hujusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis?

Hoc autem dicebant tentantes eum, ut possent accusare eum. (*Joan. VIII. 2, 3, 4, 5, 6.*)

Sessio humilitatem incarnationis insinuat. Sedente ergo Domino, ad eum venit populus. Mansuetis autem et simplicibus sermonem Domini admirantibus, Scribæ et Pharisæi interrogant, non ut discant, sed ut veritati laqueos nectant. (*Alcuinus.*)

Animadverterant enim eum nimium esse mitem ; dixerunt apud seipsos. Si eam dimitti censuerit, justitiam non tenebit : lex enim quod injustum erat, jubere non poterat : et ideo legem inducunt, dicentes : *In*



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*lege autem Moyses, etc.* Ut autem mansuetudinem non perdat, in qua jam populis amabilis factus est, eam dimitti debere dicturus est. Hinc nos inveniemus ad accusandum occasionem, et reum faciemus tamquam legis prævaricatorem.

Sed Dominus in respondendo et justitiam servaturus est, et a mansuetudine non recessurus. (*Augustinus.*)

II. — Jesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra.

Cum ergo perseverarent interrogantes eum, erexit se, et dixit eis : Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.

Et iterum se inclinans, scribebat in terra.

Audientes autem unus post unum exibant, incipientes a senioribus : et remansit solus Jesus, et mulier in medio stans. (*Joan. VIII. 6, 7, 8, 9.*)

Nos instruit ut cum quolibet mala proximorum conspicimus, non statim ea temere damnemus ; sed prius ad conscientiam cordis humiliter reversi, digito discretionis ea sollicite disquiramus. (*Alcuinus.*)

Hæc vox justitiæ est. Puniatur peccatrix, sed non a peccatoribus ; impleatur lex, sed non a prævaricatoribus legis. (*Augustinus.*)



Sic igitur illi voce justitiæ tamquam telo percussi esse incipientes, et reos invenientes, unus post unum omnes recesserunt.

Relicti sunt autem duo : miseria et misericordia. (*Augustinus.*)

III. — Erigens autem se Jesus, dixit ei : Mulier ubi sunt qui te accusabant? Nemo te condemnavit.

Quæ dixit : Nemo, Domine. Dixit autem Jesus : Nec ego te condemnabo : vade, et jam amplius noli peccare. (*Joan. VIII. 10, 11.*)

Audivimus supra vocem justitiæ : audiamus nunc mansuetudinis : *Nec ego te condemnabo*, a quo te forte condemnari timuisti, quia in me peccatum non invenisti. Quid est Domine? Faves ergo peccatis? Non plane : attende quod sequitur : *vade, et jam amplius, etc.* Ergo et Dominus damnavit, sed peccatum, non hominem : nam si peccatorum auctor esset diceret : Vade, et vive ut vis : de mea liberatione esto secura : ego te quantumcumque peccaveris, etiam a gehenna, et inferni tortoribus liberabo. Non hoc dicit. (*Augustinus.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## MEDITATIO LXI.

**Septuaginta discipulos designat et instructos prædicatum mittit.**

I. — Designavit Dominus et alios septuaginta duos, et misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem, et locum quo erat ipse venturus.

Et dicebat illis : Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo dominum messis ut mittat operarios in messem suam. *(Luc. X. 1, 2.)*

Hujus etiam forma in verbis Moysi figurabatur, qui jubente Deo septuaginta elegit, quibus Deus spiritum infundebat. (*Cyrillus.*)

Sicut etiam ex duodecim bini et bini numerati fuerant, ut in eorum catalogo Matthæus ostendit : quod enim bini famularentur Dei verbo antiquum esse videtur : eduxit enim Deus Israel de Ægypto per manus Moysi et Aaron : Josue quoque et Caleb concordantes pacaverunt populum : unde dicitur, Prov. XVIII. " Frater a fratre adjutus ut civitas vallata." (*Origenes.*)

Sicut autem messis multa est omnis turba credentium, ita operarii pauci sunt Apostoli et imitatores eorum qui mittuntur ad messem. (*Beda.*)



Insinuat autem quam magnum donum est operarios mitti in messem divinam, per hoc quod dicit, dominum messis super hoc esse rogandum. (*Chrysostomus.*)

II. — Ite : ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.

Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta et neminem per viam salutaveritis. *(Luc. X. 3, 4.)*

Bonus Pastor lupos gregi suo timere non novit : ideoque isti discipuli non in prædam, sed ad gratiam diriguntur. (*Ambrosius.*)

Tanta prædicantium debet esse in Deo fiducia, ut præsentis vitæ sumptibus quamvis non provideant, tamen sibi hos non deesse certissime sciant. (*Gregorius.*)

Non hæc Dominus prohibuit (salutationes) quod benevolentiæ displiceret officium, sed quod persequendæ devotionis intentio plus placeret. (*Ambrosius.*)

III. — In quamcumque domum intraveritis, primum dicite : Pax huic domui :

Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra : sin autem, ad vos revertetur.

In eadem autem domo manete edentes, et bibentes quæ apud illos sunt : dignus

est enim operarius mercede sua. (*Luc. X. 5, 6, 7.*)

Vos quidem proferetis verbum, res autem pacis applicabitur meo judicio, ubicumque dignum esse videbitur. (*Titus.*)

Verus ergo quisque prædicator non ideo prædicare debet ut in hoc tempore mercedem accipiat: sed ideo mercedem recipere ut prædicare valeat. Quisque namque ideo prædicat ut hic laudis vel muneris mercedem recipiat, æterna mercede se privat. (*Gregorius.*)

IV. — Nolite transire de domo in domum.

Et in quamcumque civitatem intraveritis, et susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis.

Et curate infirmos, qui in illa sunt, et dicite illis : Appropinquavit in vos regnum Dei.

In quamcumque autem civitatem intraveritis, et non susceperint vos, exeuntes in plateas ejus dicite :

Etiam pulverem, qui adhæsit nobis de civitate vestra, extergimus in vos : tamen hoc scitote, quia appropinquavit regnum Dei. (*Luc. X. 7, 8, 9, 10, 11.*)

Dico vobis, quia Sodomis in die illa remissius erit, quam illi civitati. (*Luc. X. 12.*)



Quamvis modica et vilia : nihil amplius inquirentes (præter ea quæ apponuntur.) Denuntiat etiam eis ut operantes miracula homines ad suas prædicationes attraherent. Si enim prius curaveritis, deinde docueritis, prosperabitur sermo et homines credent regnum Dei appropinquare : non enim curarent, nisi hoc aliqua virtus divina perficeret. (*Theophylactus.*)

Sicut recipientibus Apostolos appropinquare regnum Dei dicitur in benedictionem, sic non recipientibus in præjudicium. Sicut adventus regis est quibusdam ad pœnam, quibusdam vero ad honorem. (*Theophylactus.*)

## MEDITATIO LXII.

### Christus formulam precandi tradit.

I. — Factum est : cum esset in quodam loco orans, ut cessavit, dixit unus ex discipulis ejus ad eum : Domine, doce nos orare sicut docuit et Joannes discipulos suos. (*Luc. XI. 1.*)

Cum novam conversationem vidissent discipuli, novam formam orationis postulaverunt, cum plures orationes continerentur in veteri testamento. (*Titus.*)

Quia præcepisti nobis petere æterna et grandia, unde erit nos ad horum pervenire

notitiam, nisi a te Deo et Salvatore nostro? (*Origenes.*)

II. — Et ait illis : Cum oratis, dicite : Pater noster qui es in cœlis : sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra. (*Luc. XI. 2.* — *Mat. VI. 9, 10.*)

Primus sermo quantæ gratiæ! Faciem tuam non audebas ad cœlum levare, et subito accepisti gratiam Christi. Ex malo servo factus es bonus filius. Ergo attolle oculos ad Patrem qui te per lavacrum genuit, qui per filium te redemit : patrem dicas quasi filius.

Cœlum est ubi culpa cessavit; ubi mortis nullum est vulnus. (*Augustinus.*)

*Sanctificetur nomen tuum*, id est, nota sit tua Sanctitas toti mundo, et laudet te decenter. (*Titus.*)

*Adveniat, etc.* id est veniat super nos Spiritus sanctus tuus, ut purificet nos. (*Gregorius Nyssenus.*)

*Fiat voluntas, etc.* quasi dicat : Præsta nobis, Domine, conversationem imitari cœlestem, quatenus quæcumque tu vis, nos etiam velimus. (*Chrysostomus.*)

III. — Panem nostrum quotidianum (Supersubstantialem. — *Mat. VI. 11.*) Da nobis hodie. (*Luc. XI. 3.*)



Et dimitte nobis debita nostra. (*Mat VI. 12.*) Peccata nostra. (*Luc. XI. 4.*)

Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. (*Matt. VI. 12.*)

Siquidem et ipsi dimittimus omni debenti nobis. (*Luc. XI. 4.*)

Et ne nos inducas in tentationem. (*Mat. VI. 13.* — *Luc. XI. 4.*)

Sed libera nos a malo. Amen. (*Matth. VI. 13.*

Panem quotidianum, qui nostræ substantiæ competit ad vitam diurnam, non tibi ipsi commendes; sed ad Deum causa ejus refugias, exponens ei necessitatem naturæ. (*Basilius.*)

Cum enim teneamus exhibere Christo omnimodam sanctitatem, qui Spiritum sanctum habitare facit in nobis, redarguendi sumus, si non observemus ei templum mundum. (*Titus.*)

Grates agendæ sunt debitoribus nostris : fiunt enim nobis si sapimus, causa indulgentiæ maximæ. (*Chrysostomus.*)

A diabolo non tentari est impossibile : sed ne a Deo relinquamur ad tentationes, hoc deprecamur. (*Titus.*)

Unusquisque petit ut a malo, hoc est ab inimico et peccato, liberetur; sed quia Deo se committit, diabolum non timet. (*Augustinus.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## MEDITATIO LXIII.

**Christus parvulos amplectitur, et manus eis imponit.**

I. — Oblati sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, et oraret. (*Mat. XIX. 13.*) Offerebant illi parvulos ut tangeret illos. (*Marc. X. 13. — Luc. XVIII. 15.*) Quod cum viderent discipuli, increpabant illos. (*Luc. XVIII. 15. — Mat. XIX. 13.*) Discipuli comminabantur offerentibus. (*Marc. X. 13.*)

Jam enim ex præcedentibus virtutibus ejus experti erant quoniam per impositionem manuum ejus, et orationem repelluntur mala. (*Origenes.*)

Discipuli expellebant pueros, causa dignitatis Christi. (*Chrysostomus.*)

II. — Quos cum videret Jesus, indigne tulit, et : (*Marc. X. 14.*) Convocans illos, dixit : Sinite pueros venire ad me, et nolite vetare eos. (*Luc. XVIII. 16.*) Ne prohibueritis eos. (*Marc. X. 14.*) Talium est enim regnum cœlorum. (*Mat. XIX. 14.*) Regnum Dei. (*Marc. X. 14. — Luc. XVIII. 16.*) Amen dico vobis : Quisquis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud. (*Marc. X. 15. — Luc. XVIII. 17.*)



Dominus autem docens eos moderata sapere, et tumorem conculcare mundanum, parvulos et in ulnis tenuit et talibus regnum cœlorum promittit. Quis enim mereatur appropinquare Christo si repellitur ab eo simplex infantia? (*Chrysostomus.*)

Signanter autem dixit : Talium est regnum cœlorum non istorum, ut ostenderet, non ætatem regnare, sed mores ; et his qui similem haberent innocentiam et simplicitatem præmium repromitti. (*Hieronymus.*)

III. — Et complexans eos, et imponens manus super illos, benedicebat eos. (*Marc. X. 16.*)

Et cum imposuisset eis manus abiit inde. (*Matt. XIX. 15.*)

Præsens locus instruit omnes parentes, ut filios suos sacerdotibus offerant ; non enim sacerdos manus imponit, sed Christus, in cujus nomine manus imponitur. (*Chrysostomus.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## MEDITATIO LXIV.

### Christus certior factus de Lazari infirmitate.

I. — Erat quidam languens Lazarus a Bethania, de castello Mariæ et Marthæ sororis ejus.

Maria autem erat quæ unxit Dominum unguento, et extersit pedes ejus capillis suis : cujus frater Lazarus infirmabatur. (*Joan. XI. 1, 2.*)

Invaserat igitur Lazarum pernicies inimica languoris; miserandi hominis corpus quotidie edax febris incendium consumebat. Aderant autem duæ sorores languenti, et casum dolentes, juvenis ægrotantis lectulo jugiter inhærebant. (*Augustinus.*)

II. — Miserunt ergo sorores ejus ad eum dicens : Domine, ecce quem amas infirmatur.

Audiens autem Jesus dixit eis : Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam. (*Joan. XI. 3, 4.*)

Non dixerunt Veni et sana; non ausæ sunt dicere : Ibi jube, et hic fiet, sed tantummodo, *Ecce quem amas infirmatur*. Quasi



dicant : Sufficit ut noveris, non enim amas et deseris. (*Augustinus.*)

Quia ipsa mors non erat ad mortem, sed potius ad miraculum : quo facto crederent homines in Christum, et vitarent veram mortem. (*Augustinus.*)

III. — Diligebat autem Jesus Martham, et sororem ejus Mariam, et Lazarum.

Ut ergo audivit quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus. (*Joan. XI. 5, 6.*)

Ille languens, illæ tristes, omnes dilecti. Habebant ergo spem, quoniam diligebantur ab eo qui est dolentium consolator, languentiumque sanator. (*Augustinus.*)

Per hoc etiam erudit nos Evangelista non tristari, si qua infirmitas facta fuerit circa bonos viros et Dei amicos. (*Chrysostomus.*)

Sanare distulit, ut mirabilius suscitaret. (*Alcuinus.*)

## MEDITATIO LXV.

### Christus quarto primum die Bethaniam venit.

I. — Post hæc dixit eis (discipulis suis) : Lazarus amicus noster dormit : sed vado ut a somno excitem eum.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Dixerunt ergo discipuli ejus : Domine, si dormit, salvus erit.

Dixerat autem Jesus de morte ejus : illi autem putaverunt quia de dormitione somni diceret. (*Joan. XI. 11, 12, 13.*)

Domino dormiebat, hominibus mortuus erat, qui eum suscitare non poterant : nam Dominus tanta facilitate excitabat de sepulcro, quanta tu excitas dormientem de lecto. (*Augustinus.*)

Si vero quis dicat, quomodo non cognoverunt discipuli mortuum esse, ab eo quod dixit, *vado ut excitem illum?* Stultum enim erat eum ire per tot stadia ut Lazarum a somno excitaret : istud dicemus, quoniam æstimabant hoc ænigma esse, qualia multa loquebatur. (*Chrysostomus.*)

II.—Tunc ergo Jesus dixit eis manifeste: Lazarus mortuus est.

Et gaudeo propter vos, ut credatis quoniam non eram ibi : sed eamus ad eum. (*Joan. XI. 14, 15.*)

Ut jam inciperent admirari, quia Dominus poterat dicere mortuum, quod nec viderat nec audiverat. Ubi meminisse debemus quod adhuc etiam ipsorum discipulorum miraculis ædificabatur fides, non ut esse inciperet, sed ut quæ cœperat cresceret. (*Augustinus.*)



III. — Venit itaque Jesus : et invenit eum quatuor dies jam in monumento habentem.

(Erat autem Bethania juxta Jerosolymam quasi stadiis quindecim. (*Joan. XI. 17, 18.*)

Est unus dies mortis quem homo trahit de mortis propagine. Sed et legem naturalem transgrediuntur homines : ecce alter dies mortis. Lex etiam Scripturæ data est divinitus per Moysen, et ipsa contemnitur : adde tertium diem mortis. Venit Evangelium, et ipsum transgrediuntur homines : ecce quartus dies mortis. Et ad tales excitandos Dominus non dedignatur accedere. (*Augustinus.*)

IV.—Multi autem ex Judæis venerant ad Martham, et Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo (*Joan. XI. 19.*)

Sed quomodo Judæi consolabantur dilectas a Christo? Aut quasi nobiles has mulieres reverentes, eas consolabantur, propter calamitatis necessitatem; aut quia hi aderant qui non mali erant : multi enim ex ipsis credebant. (*Chrysostomus.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## MEDITATIO LXVI.

### Christus antequam Lazarum suscitet, Marthæ fidem extimulat.

I. — Martha ergo ut audivit quia Jesus venit, occurrit illi : Maria autem domi sedebat.

Dixit ergo Martha ad Jesum : Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.

Sed et nunc scio quia quæcumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus. (*Joan. XI. 20, 21, 22.*)

Primo itaque non pandit sorori, volens adstantes hoc latere : quoniam si percepisset Maria Christum accedere, obviam iret, et comitarentur eam præsentes Judæi, quibus notum fore adventum Jesu Martha nolebat. (*Theophylactus.*)

Credebat enim in Christum, sed non ut oportebat : nondum enim cognoscebat quod Deus erat. (*Theophylactus.*)

Quod apparet ex hoc quod subditur : *scio quia quæcumque poposceris a Deo*, etc. ut de virtuoso quodam et approbato viro loquens. (*Chrysostomus.*)

II. — Dicit illi Jesus : Resurget frater tuus.



Dicit ei Martha : Scio quia resurget in resurrectione in novissimo die.

Dixit ei Jesus : Ego sum resurrectio et vita : qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet :

Et omnis, qui vivit, et credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc? (*Joan. XI. 23, 24, 25, 26.*)

Per hoc autem ejus intellectum elevat : non enim hoc erat solum quod quærebatur, ut solum Lazarum suscitaret : sed etiam oportebat eam et qui præsentes erant discere resurrectionem. (*Chrysostomus.*)

III. — Ait illi : Utique Domine, ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti. (*Joan. XI. 27.*)

Sciebat autem Dominus, quem nihil latet, quod credebat : sed confessionem qua salvaretur quærit. (*Alcuinus.*)

Quando hoc credidi quod Filius es Dei, credidi quia tu es vita : quia et qui credit in te, etiamsi moriatur, vivet. (*Augustinus.*)



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## MEDITATIO LXVII.

**Maria soror Lazari Christum accedit.**

I. — Et cum hæc dixisset, abiit et vocavit Mariam sororem suam silentio, dicens : Magister adest, et vocat te.

Illa ut audivit, surgit cito, et venit ad eum :

Nondum enim venerat Jesus in castellum : sed erat adhuc in illo loco, ubi occurrerat ei Martha. (*Joan. XI. 28, 29, 30.*)

Advertendum, quod suppressam vocem silentium nuncupavit : nam quomodo siluit, cum subdatur, *dicens : Magister adest, et vocat te?*

Advertendum etiam, quemadmodum Evangelista non dixerit ubi, vel quando vel quomodo Mariam Dominus vocaverit, ut hoc in verbis Marthæ potius intelligeretur, narrationis brevitate servata. (*Augusti.*)

Omnibus autem assidentibus, illa lugens et plangens non exspectavit ad se venire magistrum, neque dignitatem servavit, neque a luctu detenta est : sed surgens confestim obviavit. (*Chrysostomus.*)

Vacantius enim ibat (Jesus), ut non videatur injicere seipsum miraculo, sed rogari ab aliis. (*Chrysostomus.*)



II. — Judæi ergo, qui erant cum ea in domo, et consolabantur eam, cum vidissent Mariam quia surrexit, et exiit, secuti sunt eam dicentes : Quia vadit ad monumentum, ut ploret ibi. (*Joan. XI. 31.*)

Hoc pertinuit ad Evangelistam narrare, ut videamus quæ occasio fuerit quod plures ibi essent quando Lazarus resuscitatus est. (*Augustinus.*)

III. — Maria ergo cum venisset ubi erat Jesus, videns eum cecidit ad pedes ejus, et dicit ei : Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus. (*Joan. XI. 32.*)

O infidelis conventio! Te adhuc posito in sæculo Lazarus amicus moritur. Si amicus moritur, inimicus quid patietur? Parum est si non tibi soli superi serviunt : ecce tuum dilectum inferi rapuerunt. (*Beda.*)

## MEDITATIO LXVIII.

**Christus infremit spiritu, turbat seipsum et lacrymatur.**

I. — Jesus ergo ut vidit eam plorantem, et Judæos qui venerant cum ea plorantes, infremuit spiritu, et turbavit seipsum,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Et dixit : Ubi posuistis eum? Dicunt ei : Domine, veni, et vide.

Et lacrymatus est Jesus. (*Joan. XI. 33, 34, 35.*)

Hæc autem cuncta naturam pati Dominus connivet, cum approbando quod homo verus et non apparens fuerat, tum etiam nos monendo, ac metam mœstitiæ et jucunditatis imponendo. Nam ex toto nec compati nec mœrere ferinum, ac horum exuberantia muliebre. (*Theophylactus.*)

Hoc est, in quo rerum statu est? in quo pœnitentium ordine? Videam quem fletis ut lacrymis suis ipse me moveat. Videam si jam peccato ei cujus venia poscitur, defunctus est. (*Ambrosius.*)

II. — Dixerunt ergo Judæi : Ecce quomodo amabat eum.

Quidam autem ex ipsis dixerunt : Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere ut hic non moreretur? (*Joan. XI. 36, 37.*)

Quid est *amabat eum?* " Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam. " (*Augustinus.*)

Quia fons pietatis erat, flebat pro parte humanitatis quem resuscitare poterat per potentiam divinitatis. (*Alcuinus.*)



III. — Jesus ergo rursum fremens in semetipso, venit ad monumentum, erat autem spelunca : et lapis super positus erat ei.

Ait Jesus : Tollite lapidem. Dicit ei Martha soror ejus, qui mortuus fuerat : Domine jam fœtet, quatriduanus est enim.

Dicit ei Jesus : Nonne dixi tibi quoniam si credideris, videbis gloriam Dei?

Tulerunt ergo lapidem. (*Joan. XI. 38, 39, 40, 41.*)

Studiose Evangelista frequenter dicit quod lacrymatus est, et quod fremuit, ut discas quod vere nostram naturam induit. Quia enim hic magis aliis Evangelistis magna de eo loquitur, etiam in rebus corporalibus humiliora dicit. (*Chrysostomus.*)

Sed hoc etiam valet ad obstruendum indevotos, ut et miraculum testentur manus tollentes lapidem, et auditus vocem audiens Christi, et visus videntium Lazarum exire, et odoratus fœtorem recipiens. (*Chrysostomus.*)

Mora tollendi lapidem adjacentem ex sorore defuncti causata est : Commodum est igitur nihil interponere inter jussa Jesu, et ipsorum exsecutionem. (*Origenes.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## MEDITATIO LXIX.

### Lazarus a mortuis resuscitatur.

I. — Jesus autem elevatis sursum oculis, dixit : Pater gratias ago tibi quoniam audisti me.

Ego autem sciebam quia semper me audis, sed propter populum, qui circumstat, dixi : ut credant quia tu me misisti. (*Joan. XI. 41, 42.*)

Non igitur prece eguit : nobis oravit, ne Filius ignoretur. Cum enim sibi non proficeret deprecationis sermo, ad profectum tamen nostræ fidei loquebatur. Non inops ergo auxilii est, sed nos sumus inopes doctrinæ. (*Hilarius.*)

II. — Hæc cum dixisset, voce magna clamavit : Lazare veni foras.

Et statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes, et manus institis, et facies illius sudario erat ligata. Dixit eis Jesus : Solvite eum, et sinite abire. (*Joan. XI. 43, 44.*)

Alta Salvatoris vox, quæ Lazarum suscitavit, indicium est tubæ magnæ sonaturæ in communi resurrectione. Altius etiam clamavit, ut Gentilium ora refrenet fabulantium in



tumulis esse animas defunctorum ; nam quasi foras manentem eam advocat per clamorem. Sicut autem universalis resurrectio, in ictu oculorum proveniet, sic et hæc resurrectio singularis. (*Theophylactus.*)

Christus suscitat, quia interius per seipsum vivificat : Solvunt discipuli, quia per ministerium sacerdotum absolvuntur vivificati. (*Alcuinus*)

III. — Multi ergo ex Judæis, qui venerant ad Mariam, et Martham et viderant quæ fecit Jesus, crediderunt in eum. (*Joan. XI. 45.*)

Per eosqui Pharisæis annuntiaverunt, significantur nonnulli, qui videntes bona servorum Dei opera, odiis insequuntur et infamare conantur. (*Beda.*)

## MEDITATIO LXX.

### De Cœna apud Bethaniam.

I. — esus ante sex dies Paschæ venit Bethanim, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitavit Jesus.

Fecerunt autem ei cœnam ibi, (*Joan. XII. 1 2.*) in domo Simonis leprosi. (*Mat. XVI. 6. — Marc. XIV. 3.*) Mar-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tha ministrabat, Lazarus vero unus erat ex discumbentibus cum eo. (*Joan. XII. 2.*)

In die quæ est nona mensis, et præcedit sextum diem ante Pascha, (Judæi) epulantur splendide, et exordium festi hanc diem constituunt : quo fit ut Jesus quoque pergens Bethaniam convivaretur.

Sed attende mulieris (Marthæ) filelitatem, non enim famulabus imponit ministeriam, sed ipsamet suscepit. (*Theophylactus.*)

Lazarus vivebat, loquebatur, epulabatur, veritas ostendebatur, infidelitas udæorum confundebatur. (*Augustinus.*)

II. — Et cum esset in domo Simonis leprosi, et recumberet : veni mulier. (*Marc. XIV. 3.*)

Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici, pretiosi, et unxit pedes Jesu, et extersit pedes ejus capillis sui. (*Joan. XII. 3.*)

Maria autem non faciebat communem famulatum, sed ad solum Dominum constituit honorem, et non ut ad hominem accedit, sed ut ad Deum. (*Chrysostomus.*)

III. — Accessit ad eum mulie, (*Mat. XXVI. 7.*) habens alabastrum unguenti nardi spicati pretiosi, et fracto alabastro, effudit super caput ejus (*Marc. XV. 3.*)



recumbentis. (*Mat. XXVI. 7.*) Et domus impleta est ex odore unguenti. (*Joan. XII. 3.*)

Ostendens magnitudinem, qua eum prosequebatur reverentiæ et fidei. (*Euthymius.*)

Audies ex unguento isto, quomodo erat aliis odor bonus in vitam, aliis odor malus in mortem. (*Augustinus.*)

## MEDITATIO LXXI.

### Indignantur discipuli, præcipue Judas de effusione unguenti.

I. — Erant autem quidam « videntes discipuli (*Mat. XXVI. 8.*) » indigne ferentes intra semetipsos, et dicentes : Ut quid perditio ista unguenti facta est. (*Marc. XIV. 4.*) Potuit enim istud venumdari multo. (*Mat. XXVI. 9.*) Poterat unguentum istud venumdari plusquam trecentis denariis, et dari pauperibus. Et fremebant in eam. (*Marc. XIV. 5.*)

Dominus mentem mulieris videns permittit ; multa enim erat ejus religio, et ineffabile studium : idcirco condescendens concessit super caput suum unguentum effundi. Sicut enim Pater ejus odorem victimæ et fumum patiebatur; ita et Christus mulierem devote

unguentem cujus discipuli mentem nesciebant, querelam facientes. (*Chrysostomus.*)

Quia discipuli audierant Magistrum dicentem : (*Matth. IX.*) *Misericordiam volo et non sacrificium*, apud se cogitabant : si holocausta non acceptat, multo minus olei hujusmodi usum. (*Chrysostomus.*)

II. — Dixit ergo unus ex discipulis ejus, Judas Iscariotes, qui erat eum traditurus : Quare hoc unguentum non veniit trecentis denariis, et datum est egenis? (*Joan. XII. 4, 5.*)

Judas propterea dixerat quia fur erat; ceteri vero propter pauperum curam. (*Augustinus.*)

III. — Dicebat autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, et loculos habens, ea, quæ mittebantur, portabat. (*Joan. XII. 6.*)

Joannes de solo illo id commemorare voluit, cujus ex hac occasione furandi consuetudinem credidit intimandam.

Non tunc periit Judas quando accepit a Judæis pecuniam, ut Dominum traderet : jam fur erat, Dominum perditus sequebatur non corde, sed corpore. Voluit autem per hoc Dominus nos admonere ut malos toleremus, ne corpus Christi dividamus. (*Augustinus*)



## MEDITATIO LXXII.

### Excusat et defendit Christus Magdalenam.

I. — Sciens autem Jesus ait illis : (Sinite eam. — *Marc. XIV. 6.*) Quid molesti estis huic mulieri —? opus enim bonum operata est in me. Nam semper pauperes habetis vobiscum « Cum volueritis potestis illis bona facere — *Marc. XIV. 7* » Me autem non semper habebitis. (*Matth. XXVI. 10, 11. — Marc. XIV. — Joan. XII. 3.*)

Quisquis eum interrogasset antequam fecisset hoc mulier, non mandasset hoc fieri : sed post effusum unguentum non habebat locum discipulorum increpatio : et ideo ipse, ut non obtunderet desiderium mulieris, omnia hæc in consolationem mulieris dixit. Erudiens nos quodcumque geritur bonum a quocumque, etsi non valde diligenter factum fuerit, suscipere et augere et fovere, et non ex principio omnem diligentiam expetere. (*Chrysostomus.*)

II. — Sinite illam ut in diem sepulturæ meæ servet illud. (*Joan. XII. 7.*) Quod habuit hæc, fecit : prævenit ungere corpus meum in sepulturam. (*Marc.*

*XIV. 8.*) Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum : ad sepeliendum me fecit. (*Matth. XXVI. 12.*)

Quia futurum erat ut hæc mulier corpus Domini mortuum vellet perungere, et tamen non posset quia resurrectione anticiparetur, idcirco divina providentia actum est ut vivum Domini corpus perungeret. (*Remigius.*)

III. — Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc evangelium in toto mundo, dicetur et quod hæc fecit in memoriam ejus. (*Mat. XXVI. 13. — Marc. XIV. 9.*

Ecce autem quod dixit, factum est; et ubicumque terrarum abieris, videbis hanc mulierem famosam effectam, quod virtus prædicentis effecit. Et multi qui civitates construxerunt, et gentes multas servituti subegerunt, neque ex auditu, neque ex nomine sunt cogniti : Quoniam autem hæc mulier oleum effudit in domo leprosi cujusdam, duodecim viris præsentibus, hoc omnes concinunt per orbem terrarum; et tempus tantum pertransit; et memoriam ejus quod factum est non est labefacta. Sed quare nihil speciale promisit mulieri, sed sempiternam memoriam? Quia ex his quæ dixit intelligi potuit : Si enim opus bonum fecit, manifestum est quod et mercedem dignam suscipiet. (*Chrysostomus.*)



## MEDITATIO LXXIII.

### Christus asinam et pullum sibi adduci præcipit.

I. — Et factum est, cum appropinquasset ad Bethphage, et Bethaniam ad montem qui vocatur Oliveti, misit duos discipulos suos. (*Luc. XIX. 29.*) Dicens eis : Ite in castellum, quod contra vos est. (*Matth. XXI. 2.*) et statim introeuntes illuc. (*Marc. XI. 2.*) Invenietis asinam alligatam, et pullum. (*Mat. XXI. 2.*) Asinæ alligatum. (*Luc. XIX. 30.*) Cum ea. (*Mat. XXI. 2.*) Cui nemo unquam hominum sedit. (*Luc. XIX. 30.*) Solvite et adducite mihi. (*Matth. XXI. 2.*)

Ubi sufficienter edidit suæ potestatis experimentum, auctoritate multa singula quæque pertractat. Multa igitur fiunt miracula. Prædixit quoniam invenietis pullum indomitum : Prædicit etiam quod nemo prohibebit, sed cum audierint, silebunt. (*Chrysostomus.*)

Discipuli autem jussi ducere pullum, non refutaverunt hoc officium ut parvum, sed abierunt ut adducerent eum. (*Titus.*)

Sic quoque docet nos et infima opera cum affectu, et studio aggredi, scientes quod

quicquid intuitu Dei fit, non est parvum, sed dignum regno cœlorum. (*Basilius.*)

II. — Et si quis vobis aliquid dixerit. (*Mat. XXI. 3.*) Si quis vobis dixerit : Quid facitis. (*Marc. XI. 3.*) Si quis vos interrogaverit : Quare solvitis. (*Luc. XIX. 31.*) Dicite quia Dominus his opus habet. (*Mat. XXI. 3.*).

Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est per prophetam dicentem :

Dicite filiæ Sion : Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, et pullum filium subjugalis. (*Matth. XXI. 4, 5.*)

Noli timere filia Sion : ecce rex tuus venit sedens super pullum asinæ.

Hæc non cognoverunt discipuli ejus primum ; sed quando glorificatus est Jesus, tunc recordati sunt quia hæc erant scripta de eo : et hæc fecerunt ei. (*Joan. XII. 15, 16.*)

Non dixit discipulis : Dicatis : Dominus tuus his opus habet, vel Dominus vester : ut intelligant quia ipse sit Dominus solus, non solum animalium, sed omnium hominum : nam et peccatores, conditione quidem, sui sunt, voluntate autem sua diaboli. (*Chrysostomus.*)



Adhibetur autem huic facto propheticum testimonium, ut appareat quoniam maligni principes Judæorum eum non intelligebant in quo implebantur quæ legebant. (*Augustinus.*)

Quia reges eorum injusti fuerant, et eos obnoxios bellis faciebant, Confide, ait, hic non talis, sed mitis et mansuetus ; quod ostendit ab asino : non enim exercitum habens intrabat, sed asinum habens solum. Vide autem Evangelistæ sapientiam : non verecundatur priorem ignorantiam divulgare. (*Chrysostomus.*)

III. — Euntes autem Discipuli fecerunt sicut præcepit illis Jesus. (*Mat. XXI. 6.*) Abierunt qui missi erant, et invenerunt, sicut dixit illis, stantem pullum. (*Luc. XIX. 32.*) Invenerunt pullum ligatum ante januam foris in bivio : et solvunt eum. (*Marc. XI. 4.*)

Solventibus autem illis pullum dixerunt domini ejus ad illos : Quid solvitis pullum?

At illi dixerunt : Quia Dominus, eum necessarium habet. (*Luc. XIX. 33, 34.*)

Et dimiserunt eis. (*Marc. XI. 6.*)

Et adduxerunt asinam, et pullum : (*Mat. XXI. 7.*) Ad Jesum. (*Marc. XI. 7.*) (*Luc. XIX. 35.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Illi ergo directi cum solverent pullum, non suis verbis sunt usi, sed dixerunt sicut dixerat illis Jesus : ut agnoscas quod non suo sermone, sed verbo Dei, nec proprio, sed Christi nomine fidem populis infundere Gentilibus : atque adversariæ potestates, quæ sibi nationum obsequia vindicabant mandato cessere divino. (*Ambrosius.*)

Non autem hoc permitterent, nisi divina virtus eis incumberet, cogens illos : præsertim quia rurales exsistentes et coloni permiserunt pullum auferre. (*Theophylactus.*)

## MEDITATIO LXXIV.

### Jesus asinam conscendit Apostolorum vestibus instratam.

I. — Adduxerunt asinam, et pullum : et imposuerunt super eos vestimenta sua, et eum desuper sedere fecerunt. (*Mat. XXI. 7.*) Duxerunt pullum ad Jesum. (*Marc. XI. 7.*) Et jactantes vestimenta sua supra pullum, imposuerunt Jesum, (*Luc. XIX. 35.*) et sedit super eum. (*Marc. XI. 7.*) (*Joan. XII. 14.*)

Deinde mittunt discipuli vestes suas super asinam, et sedere faciunt Salvatorem, dum assumunt sermonem Dei, et imponunt eum super animas audientium. Vestibus exuuntur et substernunt eas in via : quia vestimenta Apostolorum, opera eorum bona sunt. Et revera solutus a discipulis asinus, et portans Jesum incedit super vestimenta Apostolorum, quando doctrinam eorum imitatur et vitam. Quis nostrum ita beatus est ut sedeat super illum Jesus? (*Beda.*)



II. — Eunte autem illo. (*Luc. XIX. 36.*) Plurima turba straverunt vestimenta sua in via : alii autem cædebant ramos (frondes, *Marc. XI. 8.*) et sternebant in via. (*Mat. XXI. 8.*) Turba autem, quæ precedebant, et quæ sequabantur, clamabant dicentes : Hosanna filio David : benedictus qui venit in nomine Domini : hosanna in altissimis. (*Mat. XXI. 9.*)

Benedictus qui venit in nomine Domini : benedictum quod venit regnum Patris nostri David : Hosanna in excelsis. (*Marc. XI. 10.*)

Multi vestimenta sua in via sternunt, quia corpora sua per abstinentiam domant, ut Dei iter ad montem parent, vel exempla bona sequentibus præbeant. Frondes autem, vel ramos de arboribus cædunt qui in doctrina veritatis, semina patrum de eorum eloquio capiunt, et hæc in via Dei ad auditoris animum venientis, humili prædicatione submittunt. (*Beda.*)

Sternamus et nos viam vitæ nostræ cædentes ramos de arboribus, id est sanctos imitantes : nam arbores sancti sunt, de quibus ille ramos cædit qui virtutem imitatur eorum. (*Theophylactus.*)

III. — Turba autem multa quæ venerat ad diem festum, cum audissent quia venit Jesus Jerosolymam :

Acceperunt ramos palmarum, et processerunt obviam ei, et clamabant : Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel. (*Joan. XII. 12, 13.*)

Multas quidem virtutes Domini viderant, sed maxime Lazari resurrectionem stupebant : nam, ut Joannes ait, cap. XII. *Propterea obviam venit ei turba, quia audierunt eum fecisse hoc signum.* (*Beda.*)

Turba igitur agnoscens Deum, regem appellat, prophetiam repetit, exspectatum quoque secundum carnem David filium venisse declarat. (*Ambrosius.*)

## MEDITATIO LXXV.

### De glorioso ingressu Christi Hierosolymam.

I. — Cum appropinquaret jam ad descensum montis Oliveti, cœperunt omnes turbæ discipulorum gaudentes laudare Deum voce magna super omnibus, quas viderant virtutibus.



Dicentes : Benedictus, qui venit rex in nomine Domini, pax in cœlo, et gloria in excelsis. (*Luc. XIX. 37, 38.*)

Frequenter quidem Jesus venit in Jerusalem, sicut Joannes testatur, nunquam tamen sibi adhibuit ministeria jumentorum, nec ramorum virentia circa se ornamenta constituit, nec ad terribilem laudem suæ divinitatis animos populi excitavit, nisi modo, quando ut pateretur ascendit. Ideo ergo cum tanta gloria ingressus est, ut amplius illorum adversum se excitaret invidiam : quia jam tempus passionis ejus instabat, et non mors eum urgebat, sed ipse magis adversum se compellebat mortem. (*Chrysostomus — Homilia 21.*)

II. — Testimonium ergo perhibebat turba, quæ erat cum eo quando Lazarum vocavit de monumento et suscitavit eum a mortuis.

Propterea et obviam venit ei turba : quia audierunt eum fecisse hoc signum. (*Joan. XII. 17, 18.*)

Dum hic triumphus ageretur, turba quæ miraculo interfuerat Lazari ad vitam restituti, Christi laudes celebrabat memorans

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

eximium illud miraculum, et reliquam turbam excitans ad excipiendum Jesum magnificis acclamationibus. (*Menochius.*)

III. — Et cum intrasset Jerosolymam, commota est universa civitas, dicens : Quis est hic?

Populi autem dicebant : Hic est Jesus Propheta a Nazareth Galilææ. (*Matth. XXI. 10, 11.*)

Merito commovebantur videntes rem mirabilem. Homo laudabatur quasi Deus, sed Deus laudabatur in homine. Puto autem quod nec ipsi qui laudabant, sciebant quid laudabant : sed Spiritus subito ingressus in eos, veritatis verba fundebat. (*Chrysostomus.*)

Sed et quando intravit Jesus Hierosolymam veram, admirantes virtutes cœlestes, dicebant : (*Psal. XXIII.*) *Quis est iste rex gloriæ?* (*Origenes.*)

## MEDITATIO LXXVI.

### De invidis sermonibus Pharisæorum.

I. — Pharisæi ergo dixerunt ad semetipsos : Videtis quia nihil proficimus? ecce mundus totus post eum abiit. (*Joan. XII. 19.*)



Turba turbavit turbam. Quid autem invidet cæca turba quia post eum abiit mundus per quem factus est mundus? (*Augustinus.*)

Mundum enim hic turbam dicunt. Videtur autem mihi hoc dictum esse eorum qui sani quidem erant, non audebant autem propalari : demum ab eventu deterrebant alios, quasi inconsummabilia tentantes. (*Chrysostomus.*)

Ac si dicerent : Quantumcumque insidiamini, tanto hic augetur, et gloria ejus intenditur : quis ergo profectus de tantis insidiis? (*Theophylactus.*)

II. — Et quidam Pharisæorum de turbis, dixerunt ad illum : Magister increpa discipulos tuos. (*Luc. XIX. 39.*)

Mira invidorum dementia : quem Magistrum appellandum non dubitant, quia vera docentem noverant, hujus discipulos, quasi melius edocti redarguendos æstimant. (*Beda.*)

III. — Quibus ipse ait : Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt. (*Luc. XIX. 40.*)

Quasi dicat : Non sine causa homines me taliter laudant, sed commoniti virtutibus quas viderunt. (*Theophylactus.*)

Crucifixo jam Domino, notis ejus tacentibus præ timore, lapides et saxa canebant,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

dum postquam emisit spiritum, terra mota est, et petræ scissæ sunt et monumenta aperta sunt. (*Beda.*)

## MEDITATIO LXXVII.

### Jesus flet super Jerusalem eamque prædicit evertendam.

I.—Ut appropinquavit, videns civitatem flevit super illam, dicens :

Quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.

Cetera tacentur per aposiopesim ut : *Fleres; pœnitentiam ageres. (Luc. XIX. 41, 42.)*

Miserebatur enim eorum Christus, qui omnes homines vult salvari : quod nobis non patuisset, nisi per aliquod humanum fieret evidens : effusæ enim lacrymæ sunt signa tristitiæ. (*Cyrillus*).

Flevit igitur pius Redemptor ruinam perfidæ civitatis, quam ipsa civitas sibi non cognoscebat esse venturam. (*Gregorius.*)

Notat suum adventum ad pacem totius mundi factum fuisse : venit enim ad hoc ut pacem prædicaret propinquis et longinquis. Sed quia annuntiatam sibi pacem recipere noluerunt, hoc eos latebat. (*Eusebius.*)



II. — Quia venient dies in te : et circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te : et coangustabunt te undique. *(Luc. XIX. 43.)*

Quomodo autem hæc completa sint, ex his quæ tradita sunt a Josepho, colligere possumus, qui cum esset Judæus, singula quoque gesta narravit consona his quæ sunt a Christo prædicta. (*Eusebius.*)

III. — Et ad terram prosternent te, et filios tuos qui in te sunt, et non relinquent in te lapidem super lapidem : eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ. (*Luc. XIX. 44.*)

Et ipsa jam ejusdem civitatis transmigratio testatur hoc quod dicitur: *Non relinquent in te lapidem*, etc. Cui ex qua culpa eversionis pœna fuerit illata subjungitur : *eo quod non cognoveris*, etc. (*Gregorius.*)

Veni enim visurus et salvaturus te. Quod si cognosceres, et in me crederes, esses pacata Romanis et ex omnibus exempta periculis. (*Theophylactus.*)

Non nego et illam Jerusalem propter habitatorum scelera fuisse destructam : sed quæro ne forte ad hanc Jerusalem fletus iste pertineat. Si enim post mysteria veritatis aliquis peccaverit, plangetur : nemo enim Gentilis fletur, sed ille qui fuit de Jerusalem et esse cessavit. (*Origenes.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

### Altera prædictio Hierosolymæ evertendæ.

IV. — Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos sub alas, et noluisti?

Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.

Dico enim vobis, non me videbitis amodo, donec dicatis : Benedictus, qui venit in nomine Domini. (*Matth. XXIII. 37, 38, 39.*)

Missum ad te Isaiam occidisti, et servum meum Jeremiam lapidasti, Ezechielem tractum per lapides excerebrasti; quomodo salvaberis, quæ ad te medicum non venire permittis? Et non dixit : Occidisti, aut lapidasti : sed *Occidis et lapidas*, id est quasi hanc propriam et naturalem consuetudinem habes ut occidas et lapides sanctos. Eadem enim fecit Apostolis quæ fecerat aliquando Prophetis. (*Chrysostomus.*)

V. — Et egressus Jesus de templo, ibat : Et accesserunt discipuli ejus, ut ostenderent ei ædificationes templi. (*Mat. XXIV. 1.*)



Ait illi unus ex discipulis suis : Magister, adspice quales lapides, et quales structuræ. (*Marc. XIII. 1.*)

Quia enim multa circa destructionem Jerusalem Dominus locutus fuerat, discipuli ejus mirabantur quod tam magna et pulchra ædificia destrui debeant, et propter hoc ostendunt ei templi decorem, qui non solum ait hæc destruenda fore, sed et quod in eis lapis super lapidem non relinqueretur. (*Theophylactus.*)

VI. — Ipse autem respondens dixit illis : Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem qui non destruatur. (*Mat. XXIV. 2. — Marc. XIII. 2.*)

Divinitus autem procuratum est ut patefacta per orbem fidei evangelistæ gratia, templum ipsum cum cæremoniis tolleretur, ne quis forte parvulus in fide, si videret illa permanere quæ a Deo sunt instituta, paulatim a sinceritate fidei quæ est in Christo Jesu, ad carnalem laberetur Judaïsmum. (*Beda.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## MEDITATIO LXXVIII.

**De ejectis altera vice venditoribus, et de prædicatione Christi in templo.**

I. — Jesus ingressus in templum, cœpit ejicere vendentes in illo, et ementes. (*Luc. XIX. 45.*) Et mensas nummulariorum, et cathedras vendentium columbas evertit. (*Matth. XXI. 12.*) Et non sinebat ut quisquam transferret vas per templum et docebat. (*Marc. XI. 16, 17.*) Dicens illis : Scriptum est : quia domus mea domus orationis est, vos autem fecistis illam speluncam latronum. (*Luc. XIX, 46. — Matth. XXI. 13.*)

Hoc erat proprium boni filii ut ad domum curreret patris, et illi honorem redderet : et tu imitator Christi factus, cum ingressus fueris in aliquam civitatem, primo ad Ecclesiam curras. Hoc etiam erat boni medici ut ingressus ad infirmam civitatem salvandam, primum ad originem passionis intenderet : nam sicut de templo omne bonum egreditur, ita de templo omne malum procedit : si enim sacerdotium integrum fuerit, tota Ecclesia floret : si autem corruptum fuerit, tota fides marcida est : sicut enim cum videris arborem pallentibus foliis, intelligis quia vitium habet in radice; sic cum videris populum indisciplinatum; sine dubio cognosce quia sacerdotium ejus non est sanum. (*Chrysostomus.*)



Mihi autem inter omnia signa quæ fecit Dominus, hoc videtur esse mirabilius, quod unus homo, et illo tempore contemptibilis in tantum ut postea crucifigeretur, Scribis et Pharisæis contra se sævientibus et videntibus lucra sua destrui, potuerit ad unius flagelli verbera tantam ejicere multitudinem, igneum enim quidquam atque sidereum radiabat ex oculis ejus, et divinitatis majestas lucebat in facie. (*Hieronymus.*)

II. — Et accesserunt ad eum cæci, et claudi in templo; et sanavit eos. (*Matth. XXI. 14.*) Videntes autem Principes sacerdotum, et Scribæ mirabilia, quæ fecit, et pueros clamantes in templo, et dicentes : Hosanna filio David : indignati sunt.

Et dixerunt ei : Audis quid isti dicunt? Jesus autem dixit eis : Utique : nunquam legistis : Quia ex ore infantium, et lactentium perfecisti laudem. (*Matth. XXI. 15. 16.*)

Nisi mensas nummulariorum subvertisset cathedrasque columbas vendentium, cæci et claudi lucem pristinam et concitum gradum in templo non meruissent recipere. (*Hieronymus.*)

Sicut autem columna si modicum obliquata fuerit, accepto pondere amplius vadit in latus; sic et cor hominis cum perversum fuerit, si alicujus viri justi opera videat vel audiat, non confirmatur, sed magis ad invidiam concitatur. Hoc modo sacerdotes concitati sunt contra Christum. (*Chrysostomus*).

Sed Christi responsio moderata fuit. Non dicit quod Scribæ audire cupiebant : Benefaciunt pueri, ut mihi testimonium perhibeant : nec rursum : Errant, pueri sunt, debetis ætati ignoscere : sed profert exemplum de VIII. Psalmo, ut tacente Domino, testimonium Scripturarum puerorum dicta firmaret. (*Hieronymus.*)

III. — Et erat docens quotidie in templo. Principes autem sacerdotum, Scribæ, et principes plebis quærebant illum perdere : Et non inveniebant quid facerent illi. Omnis enim populus suspensus erat audiens illum. (*Luc. XIX. 47, 48.*)

Timebant eum, quoniam universa turba admirabatur super doctrina ejus. (*Marc. XI. 18.*)

Redemptor noster prædicationis verba nec indignis nec ingratis subtrahit : unde postquam rigorem disciplinæ ejiciendo perversos tenuit, donum his gratiæ ostendit. (*Gregorius.*)



Decebat autem ex his quæ Christus dixerat et fecerat, eum adorare ut Deum : sed ipsi nequaquam hoc facientes quærebant eum occidere. (*Cyrillus.*)

Ab hoc autem tam iniquo proposito, ad tempus, solo timore retrahebantur. (*Glossa.*)

IV. — Et relictis illis, abiit foras extra civitatem in Bethaniam : ibique mansit. (*Matth. XXI. 17.*) Cum jam vespera esset hora, exiit in Bethaniam cum duodecim. (*Marc. XI. 11.*)

Relinquens Dominus post se tenebras in Judæorum cordibus, ut sol egrediebatur de civitate ad aliam quæ est benevola et obediens : et hoc significatur cum dicitur : *Et cum vespera esset facta*, etc. Sed occidit sol, et oritur sol : lux enim ablata a Scribis, lucet in Apostolis. (*Hieronymus.*)

## MEDITATIO LXXIX.

### Ficulnea maledictione Christi exarescit.

I. — Mane autem revertens in civitatem, esuriit. (*Mat. XXI. 18.*)

Cumque vidisset a longe ficum (Fici arborem unum secus viam. — *Matth. XXI. 19.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

habentem folia, venit si quid forte inveniret in ea : et cum venisset ad eam, nihil invenit præter folia : non enim erat tempus ficorum. *(Marc. XI. 13.)*

Et ait illi : Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum. *(Mat. XXI. 19.)* Jam non amplius in æternum ex te fructum quisquam manducet. Et audiebant discipuli ejus. *(Marc. XI. 14.)*

Maledicit ficulneam propter discipulos, ut confidant. Quia enim ubique beneficia tribuebat, nullumque puniebat : oportebat autem ejus punitivæ virtutis demonstrationem præbere, ut discerent quia posset etiam Judæos persequentes siccare : noluit hoc demonstrare in hominibus : unde in planta suæ punitivæ virtutis præbuit signum : unde ostenditur quod principaliter propter hoc ad ficulneam venit, non propter esuriem. Quis enim tam inscius est ut putet quod matutino tempore tali stimularetur esurie? aut quid est quod impediret eum comedere antequam domum exiret? Neque potest dici quod visio fructus excitavit in esurie appetitum : non enim erat ficorum tempus. Sed si esuriebat, cur de alio comedere non quærebat, sed de ficu fructus ante tempus tribuere non valente? Qua etiam pœna erat dignum ficum fructum non habere ante tempus? Ideoque ex his sufficienter syllogirari potest,



quod propriam volebat demonstrare virtutem, ut non frangerentur animis (discipuli) in ejus passione. *(Chrysostomus.)*

11. — Et arefacta est continuo ficulnea.

Et videntes discipuli, mirati sunt dicentes : Quomodo continuo aruit? *(Mat. XXI. 19, 20.)*

Et veniunt Jerosolymam.

Et cum vespera facta esset, egrediebatur de civitate.

Et cum mane transirent, viderunt ficum aridam factam a radicibus. *(Marc. XI, 15, 19, 20.)*

Ideo autem non in alia planta, sed in omnium humidissima miraculum hoc fecit, ut et hinc majus hoc miraculum appareat. Cum autem in plantis, vel in brutis fit aliquid tale, non quæràs qualiter juste siccata est ficus, si tempus non erat; hoc enim quærere est ultimæ dementiæ, quia scilicet in talibus non invenitur culpa et pœna : sed miraculum inspice, et admirare miraculi factorem. *(Chrysostomus.)*

Non facit creator injuriam possidenti : sed creatura, suo arbitrio, ad utilitatem aliorum mutatur. *(Glossa.)*

Et ut discas quoniam propter eos hoc factum est, scilicet ut ad confitendum eos erigat, audi quid deinceps dicatur. *(Chrysostomus.)*

III. — Et recordatus Petrus, dixit ei : Rabbi, ecce ficus, cui maledixisti, aruit.

Et respondens Jesus ait illis : Habete fidem Dei. (*Marc. XI. 21, 22*).

Amen dico vobis, si habueritis fidem, et non hæsitaveritis, non solum de ficulnea facietis, sed et si monti huic dixeritis : Tolle, et jacta te in mare, fiet. (*Matth. XXI. 21.*) Quia quicumque dixerit huic monti : Tollere et mittere in mare, et non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit, quia quodcumque dixerit, fiat, fiet ei.

Propterea dico vobis, omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis. (*Marc. XI. 23, 24.*)

Notanda est distinctio deprecantium. Qui perfectam habet fidem, quæ per dilectionem operatur, ille orando, vel etiam jubendo potest transferre montes spirituales, quomodo fecit Paulus de Elyma mago; qui vero tantæ vestigium perfectionis necdum conscendere queant, postulent sibi peccata dimitti, et impetrabunt, si tamen in se peccantibus aliis primo ipsi dimittant. Sin autem hoc facere contemnunt, non solum orando virtutes facere, sed nec suorum possunt veniam consequi peccatorum. (*Beda.*)



Montis nomine diabolus (*etiam*) significatur propter superbiam. Mons ad præceptum eorum qui fortes sunt in fide, tollitur de terra, et in mare projicitur : cum prædicantibus verbum Dei doctoribus sanctis, immundus spiritus ab eorum corde repellitur qui ad vitam sunt præordinati, et in turbulentis amarisque infidelium mentibus vesaniam suæ tyrannidis exercere permittitur : in quos tanto acrius desævit, quanto amplius se dolet a læsione priorum fuisse depulsum. (*Beda.*)

## MEDITATIO LXXX.

### Oblatio pauperis viduæ præfertur oblationibus divitum.

I. — Sedens Jesus contra gazophylacium, adspiciebat quomodo turba jactaret æs in gazophylacium et multi divites jactabant multa. (*Marc. XII, 41.*) Respiciens autem vidit eos qui mittebant munera sua in gazophylacium, divites. (*Luc. XXI. 1.*)

Erat autem laudabilis consuetudo apud Judæos, ut scilicet habentes et volentes aliquid in gazophylacio ponerent, quod esset pro sacerdotibus et pauperibus et viduis, ut exinde nutrirentur. (*Theophylactus.*)

Dominus autem sicut operantes in domo sua discutit, ita et dona ferentes respicit : et quem dignum viderit laudat : quem reprobum, damnat. (*Beda.*)

II. — Cum venisset autem vidua una pauper, misit duo minuta, quod est quadrans. (*Marc. XII. 42.*)

Vidit autem et quamdam viduam pauperculam mittentem æra minuta duo. (*Luc. XXI. 2.*)

Duos obolos offerebat, quos cum sudoribus ad diurnum victum acquisierat : vel quæ quotidie, per aliena poscit suffragia, Deo donat, ostendens ei suam paupertatem fructiferam. Vincit igitur alios, et justa censura coronatur a Deo. (*Cyrillus.*)

III. — Et convocans discipulos suos, ait illis : Amen (vere *Luc. XXI. 3.*) dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit, qui miserunt in gazophylacium.

Omnes enim ex eo quod abundabat illis, miserunt (in munera Dei. *Luc. XXI. 4.*)

Hæc vero de penuria sua (ex eo quod deest illi. *Luc. XXI. 4.*) Omnia quæ habuit misit totum victum suum. (*Marc. XII.*



*43, 44.*) Omnem victum suum, quem habuit, misit. (*Luc. XXI. 4.*)

Acceptabile enim est Deo quicquid bono animo obtulerimus, qui cor, et non substantiam pensat, nec perpendit quantum in ejus sacrificio, sed ex quanto proferatur. (*Beda.*)

Dominus noster non quanta dentur consuevit attendere, sed voluntatis largitatem, et ob hoc etiam parva magna facit, et magna sæpe attenuat, quando non hilari promptitudine quæ fiunt insumuntur. (*Chrysostomus in Genes. Homil. 42.*)



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



## PARS TERTIA.

### De miraculis patratis inter ægros et male habentes; quam proinde Nosocomium Domini nostri Jesu Christi nominabimus.

### ADHORTATIO.

Multi Jesum sequuntur usque ad fractionem panis : sed pauci usque ad bibendum calicem passionis. (*Imitat. Lib. II, XI. 1.*)

## CÆCI ILLUMINATI.

### MEDITATIO LXXXI.

**Christus duobus cæcis restituit visum.**

1. — Transeunte Jesu, secuti sunt eum duo cæci clamantes, et dicentes : Miserere nostri, Fili David.



Cum autem venisset domum, accesserunt ad eum cæci. Et dicit eis Jesus : Creditis quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei : Utique, Domine. (*Mat. IX. 27, 28.*)

Non autem parva hic Judæorum accusatio est : cum hi quidem oculis carentes, et auditu solum fidem suscipiant : illi autem habentes visum non attestentur miraculis quæ fiebant. Vide autem et eorum desiderium : neque enim simpliciter recesserunt, sed cum clamore, et nihil aliud quam misericordiam postulantes. Filium autem David vocabant, quia nomen honoris esse videbatur. (*Chrysostomus*).

Qui autem cæcis reddere poterat visum non ignorabat si crederent : sed ideo interrogavit, ut fides eorum quæ gestabatur corde, dum confiterentur ore digna fieret ampliori mercede. (*Remigius.*)

Et non propter hoc solum : sed ut ostenderet quoniam digni erant curatione : et ut non aliquis dicat, quoniam si misericordia solum salvabat, omnes salvari oportebat. Ideo etiam fidem ab eis expetit, ut ad excelsius eos reducat : quia enim dixerant eum filium David, erudit quod oportet de eo majora sentire. Unde non dixit, Creditis quoniam possum rogare Patrem sed, *Creditis quoniam possum hoc facere?* De quorum responsione sequitur, quod, non ultra

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

filium David eum vocant, sed altius elevantur et dominationem confitentur. (*Chrysostomus.*)

II. — Tunc tetigit oculos eorum dicens : Secundum fidem vestram fiat vobis. (*Matth. IX. 29.*)

Dicit autem hoc, fidem eorum affirmans, et contestans, quoniam non adulationis erant verba quæ dixerant. (*Chrysostomus.*)

III. — Et aperti sunt oculi eorum et comminatus est illis Jesus, dicens : Videte ne quis sciat.

Illi autem exeuntes, diffamaverunt eum in tota terra illa. (*Matth. IX. 30, 31.*)

Dominus quidem propter humilitatem fugiens jactantiæ gloriam, hoc præceperat : et illi propter memoriam gratiæ non possunt tacere beneficium. (*Hieronymus.*)

Quod autem alteri dixit (*Luc. VIII.*) *Vade et annuntia gloriam Dei* non est contrarium : erudit enim nos prohibere eos qui volunt nos, propter nos, laudare. Si autem ad Domini gloriam refertur non debemus prohibere, sed magis injungere ut hoc fiat. (*Chrysostomus.*)



## MEDITATIO LXXXII.

**Cæcus et mutus, a dæmonio liberatus, videt et loquitur.**

*Vide Meditationem CVII.* De cæco et muto.

## MEDITATIO LXXXIII.

**Cæcus Bethsaïdæ curatur.**

I.—Veniunt Bethsaïdam, et adducunt ei cæcum, et rogabant eum ut illum tangeret.

Et apprehensa manu cæci, eduxit eum extra vicum : et exspuens in oculos ejus impositis manibus suis, interrogavit eum si quid videret. (*Marc. VIII. 22, 23.*)

Scientes quia tactus Domini sicut leprosum mundare, ita cæcum illuminare valeret. (*Beda.*)

Videtur namque Bethsaida multa infidelitate fuisse infecta : unde Dominus exprobrat ei (*Matth. I.*) : *Væ tibi Bethsaida*, etc. In hac ergo adductum cæcum extra vicum eduxit : non enim erat vera adducentium fides. (*Theophylactus.*)

Spuit quidem et manus imponit cæco, volens ostendere quod verbum divinum operationi adjunctum mirabiliter proficit;

UANL UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

manus enim operationis est ostensiva, sputum vero sermonis ex ore prolati. (*Chrysostomus.*)

II. — Et adspiciens ait : Video homines velut arbores ambulantes.

Deinde iterum imposuit manus super oculos ejus : et cœpit videre : et restitutus est ita ut clare videret omnia. (*Marc. VIII. 24, 25.*)

Ideo autem non statim eum perfecte facit videre, sed in parte, quia non perfectam fidem habebat : nam secundum fidem datur medela. (*Theophylactus.*)

III. — Et misit illum in domum suam, dicens : Vade in domum tuam : et si in vicum introieris nemini dixeris. (*Marc. VIII. 26.*)

Hoc quidem præcepit ei, quia infideles erant, ut dictum est, ne forte ab eis in anima læderetur, et ipsi non credentes gravius crimen incurrant. (*Theophylactus.*)

Vel exemplum suis tribuit, ne de his quæ faciunt mirandis, favorem vulgi requirant. (*Beda.*)



## MEDITATIO LXXXIV.

### Christus aperit oculos cæci nati.

I. — Præteriens Jesus vidit hominem cæcum a nativitate :

Et interrogaverunt eum discipuli ejus : Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur?

Respondit Jesus : Neque hic peccavit, neque parentes ejus : sed ut manifestentur opera Dei in illo. (*Joan. IX. 1, 2, 3.*)

Numquid vel ipse sine originali peccato natus erat, vel vivendo nihil addiderat? Habebant ergo peccatum et ipse et parentes ejus, sed non ipso peccato factum est ut cæcus nasceretur. Ipse autem causam dicit quare cæcus sit natus. (*Augustinus.*)

Alia itaque est percussio qua peccator percutitur, ut sine retractatione puniatur; alia qua peccator percutitur ut corrigatur; alia qua quisque percutitur non ut præterita corrigat, sed ne ventura committat; alia per quam nec præterita culpa corrigitur, nec futura prohibetur; sed dum inopinata salus percussionem sequitur, salvantis virtus cognita ardentius amatur. (*Gregorius.*)

II. — Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est : venit nox, quando nemo potest operari.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi. (*Joan. IX. 4, 5.*)

Cum Filius se operari opera Patris asseruit, sua et Patris opera eadem esse monstravit : quæ sunt infirma salvare, debilia roborare, homines illuminare. (*Chrysostomus.*)

Ibi erit nox, ubi nemo potest operari, sed recipere quod operatus est. Cum vivis fac si quid facturus es : ultra enim neque fides est, neque labor, neque pœnitentia. (*Chrysostomus.*)

III. — Hæc cum dixisset, exspuit in terram, et fecit lutum ex sputo, et linivit lutum super oculos ejus,

Et dixit ei : Vade, lava in natatoria Siloe (*quod interpretatur missus*). Abiit ergo, et lavit, et venit videns. (*Joan. IX. 6, 7.*)

Non quod lutum quidquam per se efficere posset ad illuminandum cæcum, sed ut eo facto se Deum ostenderet. Ut enim figulus, si vas quod habet in manibus confringitur, ex eodem luto illud reparat : ita qui hominem fecerat ex luto, per lutum illum reparat, reddens ei quod deerat. (*Menochius.*)

Et etiam volens ostendere quoniam non alienus est a lege et veteri testamento, mittit eum ad Siloe. Non autem erat timendum



ne Siloe sumeret hanc gloriam : multi enim lavantes ibi oculos, nullo tali beneficio sunt potiti. Et iterum ut discas cæci fidem, qui non contradixit neque cogitavit apud seipsum : lutum solet magis excæcare : multoties lavi in Siloe, et in nullo sum adjutus : si quam virtutem haberet, præsens utique curaret; sed simpliciter obedivit. (*Chrysostomus.*)

## MEDITATIO LXXXV.

### Qui cæcus fuerat miraculum narrat vicinis.

I. — Vicini, et qui viderant eum prius quia mendicus erat, dicebant : Nonne hic est, qui sedebat, et mendicabat? Alii dicebant : Quia hic est.

Alii autem : Nequaquam, sed similis est ei. Ille vero dicebat : Quia ego sum. (*Joan. IX. 8, 9.*)

Mirabilis Dei clemencia quo descendebat? Eos qui mendicabant cum multa devotione curabat, et hinc Judæorum os obstruens, quoniam non præclaros, non insignes, neque principes, sed ignobiles sua dignos ducebat providentia : etenim in salutem omnium venerat.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Non verecundatus est de priori cæcitate neque formidavit furorem plebis, neque renuit ostendere seipsum, ut prædicet benefactorem. *Ille autem dicebat, Quia ego sum.* (*Chrysostomus.*)

II. — Dicebant ergo ei : Quomodo aperti sunt tibi oculi?

Respondit: Ille homo qui dicitur Jesus, lutum fecit : et unxit oculos meos, et dixit mihi : Vade ad natatoria Siloe, et lava. Et abii, lavi, et video. (*Joan. IX. 10, 11.*)

Ecce annuntiator factus est gratiæ, ecce evangelizat et confitetur Judæis. Cæcus ille confitebatur, et cor impiorum stringebatur, quia non habebant in corde quod jam ille habebat in facie. (*Augustinus.*)

III. — Et dixerunt ei : Ubi est ille? Ait : Nescio.

Adducunt eum ad Pharisæos, qui cæcus fuerat.

Erat autem sabbatum quando lutum fecit Jesus, et aperuit oculos ejus. (*Joan. IX. 12, 13, 14.*)

Dicebant autem hoc *Ubi est ille?* occisionem meditantes : jam enim adversus ipsum conspiraverant. Christus autem non aderat his qui curabantur, non enim quærebat gloriam, neque se ostentare. Recedebat etiam semper curans Jesus, ut omnis suspicio tolleretur signorum. Qui enim non cognoscebant eum, qualiter ob gratiam ejus se curatos confiterentur? Unde sequitur : ait : *Nescio.* Judæi igitur quærentes, volebant eum invenire, ut eum ducerent ad Pharisæos; quia vero non habuerunt eum, ducunt cæcum, ut scilicet vehementius eum interrogarent. (*Chrysostomus.*)



## MEDITATIO LXXXVI.

### Idem qui cæcus fuit examinatur a Pharisæis.

I.—Iterum ergo interrogabant eum Pharisæi quomodo vidisset. Ille autem dixit eis : Lutum mihi posuit super oculos et lavi, et video. (*Joan. IX. 15.*)

Vide autem qualiter non turbatur cæcus : nam quando quidem turbis dicebat sine periculo interrogatus, non ita magnum erat veritatem dicere : mirabile autem est nunc, quod in ampliori periculo constitutus, neque negat, neque contraria dicit prioribus. (*Chrysostomus.*)

II. — Dicebant ergo ex Pharisæis quidam : Non est hic homo a Deo, qui

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sabbatum non custodit, alii autem dicebant : Quomodo potest homo peccator hæc signa facere? Et schisma erat inter eos. (*Joan. IX. 16.*)

Malitiose autem quod factum est silentes, æstimatam prævaricationem in medium ferebant : non enim dicebant, quoniam sabbato curat, sed quoniam sabbatum non servat. Alii dicebant: *Quomodo potest homo peccator*, etc. A signis enim inducebantur, sed imbecilliter erant dispositi : congruum enim erat ostendere qualiter sabbatum non solvitur : sed nondum hanc habebant mentem quod Deus esset, ut possent respondere, quoniam Deus sabbati hæc fecit. (*Chrysostomus.*)

*Et schisma erat inter eos.* Dies enim erat Christus qui inter lucem et tenebras dividit. (*Augustinus.*)

III. — Dicunt ergo cæco iterum : Tu quid dicis de illo qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit : Quia propheta est. (*Joan. IX. 17.*)

Adhuc quidem inunctus in corde, nondum Dei Filium confitebatur : non mentitur tamen : ipse enim Dominus de seipso ait : (*Luc. IV.*) " Non est Propheta sine honore nisi in patria sua. "



## MEDITATIO LXXXVII.

### Vocantur parentes ejus qui cæcus natus fuit.

I. — Non crediderunt ergo Judæi de illo, quia cæcus fuisset et vidisset, donec vocaverunt parentes ejus, qui viderat :

Et interrogaverunt eos, dicentes : Hic est filius vester, quem vos dicitis quia cæcus natus est? quomodo ergo nunc videt? (*Joan. IX. 18, 19.*)

Quia pharisæi cæcum attonitum facere non voluerunt, sed videbant eum cum omni propalatione benefactorem suum prædicantem, per parentes putabant Christi miraculum annihilare. (*Chrysostomus.*)

O iniqui! quis pater eligeret talia mentiri de filio? Solum non dicunt, quem vos fecistis cæcum. Duobus autem his ad negationem eos inducere conantur : et in hoc quod dicunt, *quem dicitis quia natus est cæcus*, et in hoc quod subdunt : *quomodo ergo nunc videt?* (*Augustinus.*)

Quasi dicant : Aut hoc falsum est ut nunc videat, aut primum quod cæcus fuerit; sed constat hoc esse verum quod videt : falsum ergo fuit quod cæcum eum dicebatis. (*Theophylactus.*)

II. — Responderunt eis parentes ejus et dixerunt : Scimus quia hic est filius noster, et quia cæcus natus est :

Quomodo autem nunc videat, nescimus : aut quis ejus aperuit oculos, nos nescimus : ipsum interrogate : ætatem habet, ipse de se loquatur. (*Joan. IX. 20, 21.*)

Quasi dicant : Juste cogeremur loqui pro infante, quia ipse pro se loqui non posset. Cæcum a nativitate novimus, sed loquentem. (*Augustinus.*)

Qualiter ergo grati fuerint parentes, qui eorum quæ sciebant quædam tacuerunt propter timorem Judæorum? (*Chrysostomus.*)

III. — Hæc dixerunt parentes ejus, quoniam timebant Judæos : jam enim conspiraverant Judæi, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret.

Propterea parentes ejus dixerunt : Quia ætatem habet, ipsum interrogate. (*Joan. IX. 22, 23.*)

In quo ostendit Evangelista, illos non per ignorantiam, sed propter metum talia respondisse. (*Alcuinus.*)

Imbecilliores enim filio erant, qui testis aderat intrepidus veritatis, illuminatos habens oculos intellectus a Deo. (*Theophylactus.*)

Jam non erat malum fieri extra synagogam : illi expellebant, Christus suscipiebat. (*Augustinus.*)



## MEDITATIO LXXXVIII.

### Rursus ad concilium vocatur ille a nativitate Cæcus.

I. — Vocaverunt ergo rursum hominem, qui fuerat cæcus, et dixerunt ei : Da gloriam Deo : nos scimus quia hic homo peccator est.

Dixit ergo eis ille : Si peccator est nescio : unum scio, quia cæcus cum essem, nunc video. (*Joan. IX. 24, 25.*)

Non autem manifeste dicunt : Nega quoniam Christus te curavit; sed sub prætextu religionis ad hoc eum inducere volunt: *Da gloriam Deo.* Quasi dicant : Confitere quia hic nihil est operatus. (*Chrysostomus.*)

Nega quod accepisti. Hoc plane non est Deo gloriam dare, sed Deum potius blasphemare. (*Augustinus.*)

Numquid modo timuit cæcus (dicendo : *Si peccator est nescio?*) Absit : sed voluit Christum a rei testimonio, et non a sua voce

ab incusatione eripere, et suam responsionem facere fide dignam ab accepto beneficio. (*Chrysostomus.*)

II. — Dixerunt ergo illi: Quid fecit tibi? quomodo aperuit tibi oculos?

Respondit eis: Dixi vobis jam et audistis: quid iterum vultis audire? Numquid et vos vultis discipuli ejus fieri? (*Joan. IX. 26, 27.*)

Quia igitur nequiverunt evertere quod factum est, ad priores redeunt sermones, rursus modum curationis inquirentes, sicut canes quidem venationem, nunc huc, nunc illuc investigantes. (*Chrysostomus.*)

Quid est, *Numquid et vos*, nisi quia jam ego sum, numquid et vos vultis? Jam video sed non invideo. Hæc loquebatur jam stomachans adversus duritiam Judæorum et ex cæco videns, non ferens cæcos. (*Augustin.*)

III. — Maledixerunt ergo ei, et dixerunt: Tu discipulus illius sis: nos autem Moysi discipuli sumus.

Nos scimus quia Moysi locutus est Deus: hunc autem nescimus unde sit. (*Joan. IX. 28, 29.*)

Maledictum est, si cor discutias, non si verba perpendas. Tale maledictum super nos et super filios nostros. (*Augustinus.*)



Itane sequimini servum et dorsum ponitis contra Dominum, quia per Moysen prædictus est Deus: habetis enim Dominum dicentem: (*Joan. V. 46.*) "Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi: de me enim ille scripsit." (*August.*)

## MEDITATIO LXXXIX.

### Cæcus ille tandem ejicitur e synagoga.

I. — Respondit ille homo, et dixit eis: In hoc enim mirabile est, quia vos nescitis unde sit, et aperuit meos oculos:

Scimus autem quia peccatores Deus non audit: sed si quis Dei cultor est, et voluntatem ejus facit, hunc exaudit.

A sæculo non est auditum quia quis aperuit oculos cæci nati. (*Joan. IX. 30, 31, 32.*)

Peccatores tamen exaudit Deus. Si enim non exaudiret, frustra publicanus diceret. (*Luc. XVIII.*) "Deus propitius esto mihi peccatori:" ex illa confessione meruit justificationem, quomodo ipse cæcus illuminationem. (*Augustinus.*)

Dicendum est, quoniam quod dictum est, Deum non exaudire peccatores, hoc signifi-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cat, quod facere miracula Deus peccatoribus non concedit. Cum vero veniam implorant de commissis, translati sunt de gradu peccantium ad statum pœnitentium. (*Theophilactus.*)

II. — Nisi esset hic a Deo, non poterat facere quidquam. (*Joan. IX. 33.*)

Si confitemini quoniam Deus peccatores non audit : hic autem miraculum fecit, et tale quale nullus hominum fecit : manifestum est virtutem qua hoc fecit, majorem esse quam quæ est secundum hominem virtus. (*Chrysostomus.*)

Hæc enim quæ facta sunt a Domino, a quo fierent nisi a Deo? aut quando a discipulis talia fierent, nisi in eis Dominus habitaret? (*Augustinus.*)

III. — Responderunt, et dixerunt ei : In peccatis natus es totus, et tu doces nos? Et ejecerunt eum foras. (*Joan. IX. 34.*)

Ac si dicant : a prima ætate in peccatis es. Hic igitur ejus cæcitatem exprobrant, ostendentes quod propter peccata factus est cæcus : quod rationem non habebat. Donec ergo exspectabant eum negaturum esse, fide dignum esse putabant : sed nunc eum ejiciunt. (*Chrysostomus.*)



Ipsi illum magistrum fecerant, ipsi ut discerent toties interrogaverunt, et ingrati docentem projecerunt. (*Augustinus.*)

## MEDITATIO XC.

### Cæcus credit Jesum esse Filium Dei eumque adorat.

I. — Audivit Jesus quia ejecerunt eum foras : et cum invenisset eum, dixit ei : Tu credis in Filium Dei?

Respondit ille et dixit : Quis est Domine, ut credam in eum? (*Joan IX. 35, 36.*)

Ostendit Evangelista, quoniam propter hoc venit Jesus ut ei loqueretur. Interrogat autem, non ignorans, sed volens seipsum notum facere, et ostendens quoniam multum appretiatur ejus fidem : quasi dicat : "Plebs conviciata est mihi, sed nulla mihi est cura illorum :" unius cura est, ut tu credas. Melior est faciens voluntatem Dei, quam decies mille iniqui. (*Chrysostomus.*)

II. — Et dixit ei Jesus : Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est. (*Joan. IX. 37.*)

Hoc autem dicit, ut reducat ei in memoriam sanitatem, et quia ab ipso virtutem videndi acceperat. (*Theophylactus.*)

III. — At ille ait : Credo Domine. Et procidens adoravit eum. (*Joan. IX. 38.*)

Modo lavat faciem cordis ejus. Denique jam facie lota cordis, et mundata conscientia agnoscit illum non Filium hominis tantum, quod ante crediderat, sed jam Filium Dei, qui carnem susceperat. Parum est credere : vis videre qualem credat? *Et procidens, adoravit eum.* (*Augustinus.*)

## MEDITATIO XCI.

**Christus, occasione hujus Miraculi, perstringit Pharisæorum Cæcitatem.**

I. — Et dixit Jesus : In judicium ego in hunc mundum veni : ut qui non vident videant, et qui vident cæci fiant. (*Joan. IX. 39.*)

Dies enim erat inter lucem et tenebras discurrens. Recte autem subditur : *ut qui non vident videant :* quia de tenebris liberat. Sed quid est quod sequitur : *et qui vident cæci fiant?* audi quod sequitur.

II. — Et audierunt quidam ex Pharisæis, qui cum ipso erant, et dixerunt ei : Numquid et nos cæci sumus? (*Joan. IX. 40.*)



Hoc enim eos movebat. *Et qui vident cæci fiant.* (*Augustinus.*)

Intellexerunt Pharisæi se notari, atque ideo dicunt : Numquid et nos cæci sumus. (*Menochius.*)

III. — Dixit eis Jesus : Si cæci essetis, non haberetis peccatum : Nunc vero dicitis : Quia videmus. Peccatum vestrum manet. (*Joan. IX. 41.*)

Id est, si vos cæcos diceritis, et ad medicum recurreretis, non haberetis peccatum. Nunc quia dicitis, videmus, medicum non quæritis, in cæcitate vestra manebitis. Hoc ergo quod paulo ante dixit : Ego veni *ut qui non vident videant :* id est, qui se non videre confitentur et medicum quærunt ut videant, et *qui vident cæci fiant :* id est qui se putant videre et medicum non quærunt, in sua cæcitate permaneant.

## MEDITATIO XCII.

**Cæco mendico restituitur visus antequam Christus ingrederetur Jericho.**

I. — Factum est autem, cum appropinquaret Jericho, cæcus quidam sedebat secus viam, mendicans.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Et cum audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc esset.

Dixerunt autem ei, quod Jesus Nazarenus transiret. (*Luc. XVIII. 35, 36, 37.*)

Multus autem erat populus circa Christum, et cæcus eum quidem non noverat, sentiebat autem effectum, et rapiebat per affectum quod non hausit adspectus.

Et oculati quidem secundum opinionem loquebantur; cæcus vero vera clamabat; alia docetur et alia prædicat. (*Cyrillus.*)

II. — Et clamavit, dicens : Jesu fili David miserere mei.

Et qui præibant, increpabant eum ut taceret. Ipse vero multo magis clamabat : Fili David miserere mei. (*Luc. XVIII. 38, 39.*)

Quis te docuit hæc, o homo? Num perlegisti libros privatus luminibus? Unde igitur nosti luminare mundi? Vere Dominus illuminat cæcos. In judaismo autem nutritus, non ignoravit quod de progenie David Deus secundum carnem nasceretur : et ideo ei ut Deo loquitur : *miserere mei.* (*Cyrillus.*)

Quidam eum confitentem fidem compescebant. Sed per inhibitiones hujusmodi non impediebatur ejus audacia. Novit enim fides omnibus repugnare, et in omnia triumphare : utile enim est pro cultu divino pudorem deponere : nam si causa pecuniæ impudentes sunt nonnulli, pro animæ salute non decet bonam induere impudicitiam? (*Cyril.*)



III. — Stans autem Jesus jussit illum adduci ad se. Et cum appropinquasset, interrogavit illum.

Dicens : Quid tibi vis faciam? At ille dixit : Domine, ut videam.

Et Jesus dixit illi : Respice, fides tua te salvum fecit. (*Luc. XVIII. 40, 41, 42.*)

Sistit autem Christum vox invocantis in fide, et invocantes in fide respicit; et ideo merito vocat cæcum, et accedere jussit : ut qui prius fide eum tetigerat, appropinquaret et corpore. Appropinquantem cæcum Dominus interrogat. Dispensative interrogat, non quasi ignorans : sed ut scirent adstantes quod non petebat pecuniam, sed divinam efficaciam, ut a Deo. (*Cyrillus.*)

At ubi petitionis modum cæcus explicuit, tunc, cum summa majestate, præcepit ei ut videret.

Adspice tamen quid assumat medicus ab eo cui collata est sanitas : sequitur enim : *fides tua te salvum fecit.* Pro fide enim venduntur beneficia : diffunditur enim gratia quam suscepit fides. Et sicut ab aliquo fonte, hi quidem parvis vasis modicum aquæ hauriunt, hi vero majoribus multum, fonte non distinguente mensuras : et secundum fene-

stras quæ aperiuntur magis vel minus, splendor solis infunditur : ita secundum capacitatem intentionis infunditur gratia. (*Chrysostomus.*)

IV. — Et confestim vidit, et sequebatur illum magnificans Deum. Et omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo. (*Luc. XVIII. 43.*)

Ex quo patet quod a duplici cæcitate liberabatur, corporali scilicet et intellectuali : neque enim glorificasset ut Deum, nisi vere vidisset : sed et aliis factus est occasio glorificandi Deum. (*Cyrillus.*)

## MEDITATIO XCIII.

**Cæco alteri mendico restituitur visus, postquam egressus est ex Jericho.**

I. — Proficiscente eo de Jericho, et discipulis ejus, et plurima multitudine, filius Timæi Bartimæus cæcus, sedebat juxta viam mendicans.

Qui cum audisset, quia Jesus Nazarenus est, cœpit clamare et dicere : Jesu fili David, miserere mei. (*Marc. X. 46, 47.*)

Ascendente ad cœlos Domino, et multis fidelium sequentibus, immo cunctis ab



initio mundi electis, una cum illo, januam regni cœlestis ingredientibus, mox Gentium populus cœpit suæ illuminationis spem habere, qui mendicat juxta viam sedens; quia necdum iter veritatis ingrediens, ad hoc pervenire contendit. (*Hieronymus.*)

II. — Et comminabantur ei multi ut taceret. At ille multo magis clamabat : Fili David miserere mei.

Et stans Jesus præcepit illum vocari. Et vocant cæcum dicentes ei : Animæquior esto : surge, vocat te.

Qui, projecto vestimento suo, exsiliens venit ad eum. (*Marc. X. 48, 49, 50.*)

Populus etiam Gentium, agnita fama nominis Christi, particeps ejus fieri quærebat : cui contradicebant multi, primo Judæi, deinde etiam Gentiles, ne illuminandus Christum invocaret : nec tamen impugnantium furor, eos qui ad vitam erant præordinati, valebat salute privare. Clamantem cæcum transiens audivit : quod enim propter nos natus et passus est Jesus, quasi transiit, quia hæc actio temporalis est. Clamantem autem cæcum Dominus vocat, cum populo Gentium prædicatores verbum fidei mittit. Projecto autem vestimento exsilit qui, abjectis mundi retinaculis, expedito mentis gressu ad largitorem æternæ lucis properat. (*Beda.*)

III. — Et respondens Jesus dixit illi : Quid tibi vis faciam? Cæcus autem dixit ei : Rabboni, ut videam.

Jesus autem ait illi : Vade, fides tua te salvum fecit. Et confestim vidit, et sequebatur eum in via. (*Marc. X. 51, 52.*)

Imitemur ergo et nos eum : non divitias, non terrena bona, non honores a Domino quæramus, sed lucem quam videre cum solis Angelis possumus, ad quam via fides est. Videt autem et sequitur qui bonum quod intelligit operatur.

(*Annotatio*) Dicendum est cum Augustino, Cornelio, Jansenio et aliis, hic esse duo diversa miracula, quamquam inter se simillima. Matthæus enim facit narrationem de duobus cæcis illuminatis, quando Marcus de unico cæco narrat : videtur in Marco esse quæstionem de illo cæco cujus illuminatio magis famam comparavit.

## MEDITATIO XCIV.

### Christus Jerichonte digressus duos cæcos illuminat.

I. — Egredientibus illis ab Jericho, secuta est eum turba multa.



Et ecce duo cæci sedentes secus viam audierunt,quia Jesus transiret: et clamaverunt, dicentes : Domine miserere nostri, Fili David. (*Matth. XX. 29, 30.*)

Neminem labor itineris impedivit, quia amor spiritalis fatigationem non sentit; neminem possessionum suarum recordatio retraxit, quia ingrediebantur possessionem regni cœlestis.

Hi (duo cæci) currentium strepitum audiebant, et personas non videbant, nihil solutum habentes de toto corpore nisi vocem : et ideo, quia pedibus eum sequi non poterant, voce sequebantur. (*Chrysostomus.*)

II. — Turba autem increpabat eos ut tacerent. At illi magis clamabant, dicentes : Domine miserere nostri, Fili David.

Et stetit Jesus, et vocavit eos, et ait : Quid vultis ut faciam vobis?

Dicunt illi : Domine, ut aperiantur oculi nostri. (*Matth. XX. 31, 32, 33.*)

Videbant enim sordidas vestes, et non considerabant conscientiæ claritatem. Ecce fatua sapientia hominum : existimant enim injuriam pati magnus, si a pauperibus honoratur. (*Chrysostomus.*)

Primo clamabant, quia cæci erant : secundo magis clamabant, quia vetabantur ad lumen accedere. (*Hilarius.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Vocari autem jubet (Jesus) ne turbæ prohibeant : et interrogat quid velint, ut ex responsione eorum, manifesta debilitas appareat, et virtus ex remedio cognoscatur. (*Hieronymus.*)

III. — Misertus autem eorum Jesus, tetigit oculos eorum. Et confestim viderunt et secuti sunt eum. (*Mat. XX. 34.*)

Tetigit autem ut homo carnaliter, sanavit ut Deus. (*Chrysostomus.*)

Præstat enim artifex quod natura non dederat : aut certe quod debilitas tulerat, misericordia donat. (*Hieronymus.*)

Hi autem, sicut ante donationem fuerunt perseverantes, ita et post donationem non fuerunt ingrati. (*Chrysostomus.*)

## CLAUDI

## MEDITATIO XCV.

### Christus cæcos et claudos curat in templo.

I. — Accesserunt ad eum cæci, et claudi in templo; et sanavit eos. (*Matth. XXX. 14.*)

In templo enim Dei, id est in Ecclesia, non sunt omnes videntes, neque recte ambulantes; sed qui ex eis intelligunt quia nullius est opus, nisi Christi ut sanentur, accedentes ad verbum Dei sanantur. (*Origenes.*)



II. — Videntes autem Principes sacerdotum, et Scribæ mirabilia, quæ fecit et pueros clamantes in templo, et dicentes Hosanna Filio David : indignati sunt.

Et dixerunt ei : Audis quid isti dicunt? Jesus autem dixit eis : Utique : nunquam legistis : Quia ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem? (*Matth. XXI. 15, 16.*)

Hoc autem et typus Gentium erat, et Apostolis non parva consolatio : ut enim non angustiarentur, qualiter idiotæ exsistentes possent prædicare, prævenientes pueri, eorum ejecerunt timorem : quoniam scilicet dabit eis sermonem qui hos facit laudem cantare. Hoc etiam miraculum significat quod Christus conditor erat naturæ : quia pueri significativa loquebantur, et Prophetis consona : viri autem insipientia et insania plena. (*Chrysostomus.*)

III. — Et relictis illis, abiit foras extra civitatem in Bethaniam : ibique mansit. (*Matth. XXI. 17.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Hinc autem intelligendum est quod Dominus tantæ fuerit paupertatis, et ita nulli adulatus sit, ut in urbe maxima nullum hospitem, nullam invenerit mansionem : sed in vico parvulo, apud Lazarum sororesque ejus habitaret : eorum quippe viculus Bethania est. (*Hieronymus.*)

Ut scilicet ibi maneret corporaliter, ubi et spiritualiter repausabat : nam sanctorum virorum est, quod non gaudent ubi epulæ largæ sunt, sed ubi sanctitas floret. (*Chrysostomus.*)

## CONCURVATA.

### MEDITATIO XCVI.

**Christus mulierem XVIII annis infirmam sabbato sanat.**

I. — Erat Jesus docens in synagoga eorum sabbatis.

Et ecce mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem et octo; et erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere.

Quam cum videret Jesus, vocavit eam ad se, et ait illi : Mulier, dimissa es ab infirmitate tua.



Et imposuit illi manus, et confestim erecta est, et glorificabat Deum. (*Luc. XIII. 10, 11, 12, 13.*)

Ad expugnationem autem corruptionis, et mortis, et invidiæ diaboli contra nos, prodiit incarnatio verbi; et hoc apparet ex ipsis eventibus. (*Cyrillus.*)

Brutorum siquidem caput humi deflexum est, terram cernit : caput hominis erectum est in cœlum, oculi superna conspiciunt : convenit enim ei quærere superna, transcendere terrena intuitu. (*Basilius.*)

Ostendens autem Dominus adventum suum dissolutivum esse humanarum passionum, mulierem sanavit. (*Cyrillus.*)

II. — Respondens autem archisynagogus, indignans quia sabbato curasset Jesus : dicebat turbæ : Sex dies sunt in quibus oportet operari : in his ergo venite, et curamini et non in die sabbati. Respondens autem ad illum Dominus dixit : Hypocritæ, unusquisque vestrum sabbato non solvit bovem suum, aut asinum a præsepio, et ducit adaquare?

Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligavit satanas, ecce decem et octo annis, non oportuit solvi a vinculo isto die sabbati? (*Luc. XIII. 14, 15, 16.*)



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Hortatur ceteris diebus dispersos, et propriis vacantes operibus, non sabbato, videre et mirari prodigia Domini, ne forte credant. Sed dic, lex prohibuit ab opere manuali die sabbati abstinere : numquid ab eo quod verbo et ore fit?

Cesses ergo comedere et potare ac loqui, et psallere in sabbato. Et si nec legem legis, cur tibi sabbatum? ceterum, si manuale opus lex prohibuit, quomodo manuale opus est feminam verbo erigere? (*Cyrillus.*)

Bene dicit hypocritam principem synagogæ : quia faciem habebat legis cultoris, mens vero ejus erat versuti et invidi. (*Chrysostomus.*)

Malebat siquidem mulierem, tamquam quadrupedia cernere terram, quam hominum staturam recipere, dummodo Christus non magnificaretur. (*Cyrillus.*)

III. — Et cum hæc diceret, erubescebant omnes adversarii ejus : et omnis populus gaudebat in universis quæ gloriose fiebant ab eo. (*Luc. XIII. 17.*)

Non erat eis quid responderent : sed ipsi sibi erant irrefragabilis reprehensio : sed populus lætabatur de signis. Nam claritas operum omnem quæstionem solvebat, apud eos qui non quærebant mentibus perversis. (*Cyrillus.*)



## DÆMONIACI.

## MEDITATIO XCVII.

### Obsessus a dæmone liberatur in synagoga.

I. — Descendit in Capharnaum civitatem Galilææ. (*Luc. IV. 31.*)

Et statim sabbatis ingressus in synagogam. (*Marc. I. 21.*) Ibi docebat illos sabbatis. (*Luc. IV. 31.*)

Et stupebant super doctrina ejus : erat enim docens eos, quasi potestatem habens, et non sicut scribæ. (*Marc. I. 22.*) In potestate erat sermo ipsius. (*Luc. I. 32.*)

Quamvis sciret quod inobedientes essent et duri cordis, tamen visitat illos, sicut bonus medicus, illos qui ultima laborant ægritudine, tentat sanare. Docebat autem in synagogis confidenter, secundum illud Isaiæ XLV. " Nequaquam occulte locutus sum, nec in obscuro loco terræ. " In sabbato quoque disputabat cum eis, quia vacabant.

Mirati sunt ergo de doctrinæ virtute et potestatis magnitudine. Non blandus (sermo ipsius) sed imperiosus ad salutem. (*Cyrillus.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

II. — Erat in synagoga eorum homo in spiritu immundo (*Marc. I. 23.*) habens dæmonium immundum, et exclamavit voce magna,

Dicens : Sine, quid nobis, et tibi Jesu Nazarene? venisti perdere nos? scio te quis sis, sanctus Dei. (*Luc. IV. 33, 34, — Marc. I. 24.*)

Sermo etiam doctoris in potestate fit, cum ea quæ docet operatur : qui enim facto destruit quod prædicat contemnitur. (*Beda.*)

Nec quemquam movere debet, quod Jesu Nazareni nomen, in hoc libro, diabolus dixisse primus inducitur. Est hujus impudentiæ diabolus, ut inter homines aliquid primus usurpet, et ad homines quasi novum deferat, quo terrorem suæ potestatis incutiat. (*Ambrosius.*)

Non dicebat eum Sanctum Dei, quasi aliis Sanctis similis : sed quasi eo singulariter Sancto exsistente, cum articuli adjectione : neque tamen hoc dicebat quasi eum veraciter nosset, sed se cognoscere fingebat. (*Athanasius.*) Putaverunt enim dæmones, quod per hujusmodi laudem, facerent ipsum inanis gloriæ amatorem, ut abstineret ab eorum contrarietate, ut pote gratia gratiam recompensans. (*Cyrillus.*)

III. — Et comminatus est ei Jesus. (*Marc. I. 25.*) Et increpavit illum (*Luc. IV. 35.*)



dicens : Obmutesce, et exi de homine. (*Marc. I. 25. — Luc. IV. 35.*)

Et discerpens eum spiritus immundus. (*Marc. I. 26.*) Cum projecisset illum dæmonium in medium. (*Luc. IV. 35.*)

Exclamans voce magna, exiit ab eo. (*Marc. I. 26.*) Nihilque illum nocuit. (*Luc. IV. 35.*)

Quamvis igitur vera fateretur, (diabolus) compescebat tamen ejus sermonem. Nefas est enim ut, cum adsit nobis Scriptura divina, instruamur a diabolo. (*Athanasius.*)

Divina autem permissione, liberandus a dæmone homo projicitur in medium, ut virtus patefacta Salvatoris, plures ad viam salutis invitet. (*Beda.*)

IV. — Et mirati sunt omnes, ita ut conquirerent inter se dicentes : Quidnam est hoc? Quænam doctrina hæc nova? (*Marc. I. 27.*)

Et factus est pavor in omnibus, et colloquebantur ad invicem, dicentes : Quod est hoc verbum, quia in potestate et virtute imperat immundis spiritibus. (*Luc. IV. 36.*) Et obediunt ei (*Marc. I. 27*) — et exeunt. (*Luc. IV. 36.*)

Et processit rumor ejus statim in omnem regionem Galileæ. (*Marc. I. 28.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Et divulgabatur fama de illo in omnem locum regionis. (*Luc. IV. 37.*)

Quasi dicant : Quale est præceptum hoc quod præcepit. *Exi ab eo*, et exit? (*Theophylactus.*)

Expellere quidem dæmonia et homines sancti, sed in verbo Dei possunt : ipsum autem Dei Verbum propria potestate virtutes operatur. (*Beda.*)

## MEDITATIO XCVIII.

### Christus Capharnaï multos dæmones ejicit.

I. — Vespere autem facto, cum occidisset sol. (*Marc. I. 32.*) Obtulerunt ei multos dæmonia habentes : et ejiciebat spiritus verbo. (*Mat. VIII. 16.*)

Quia turbæ considerabant neminem licere die sabbati curare, hujus gratia, solis exspectabant occasum ut curandos ad Jesum adducant. (*Theophylactus.*)

Christus autem Dei Filius auctor humanæ salutis, fons et origo totius pietatis, cœlestem medicinam tribuebat. Dæmones enim et morbos solo verbo repellebat, ut his signis et virtutibus ostenderet se ad salutem generis humani venisse. (*Remigius.*)



II. — Exibant autem dæmonia a multis clamantia, et dicentia : Quia tu es Filius Dei. (*Luc. IV. 41.*)

Dæmonia Filium Dei confitentur, et sicut postea dicitur, *sciebant ipsum esse Christum.* Quia cum jejunio fatigatum eum diabolus videret, verum hominem intellexit : sed quia tentando non prævaluit, utrum Filius Dei esset dubitabat : nunc autem per signorum potentiam, vel intellexit, vel potius suspicatus est esse Filium Dei. (*Beda.*)

III. — Et increpans non sinebat ea loqui : Quia sciebant ipsum esse Christum. (*Luc. IV. 41.*)

Quia « non est speciosa laus in ore peccatorum » (*Eccli XV.*) Sed ipsi Apostoli præcipiuntur reticere de illo, ne divina majestate prædicata, passionis dispensatio differretur. (*Beda.*)

## MEDITATIO XCIX.

### Christus in regione Gerasenorum duos dæmoniacos curat.

I. — Cum venisset trans fretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

exeuntes, sævi nimis, ita ut nemo posset transire per viam illam.

Et ecce clamaverunt dicentes : Quid nobis et tibi, Jesu fili Dei? Venisti huc, ante tempus torquere nos? (*Mat. VIII. 28, 29.*)

Quoniam homines Christum hominem esse dicebant : venerunt dæmones divinitatem ejus divulgantes, ut qui mare procellosum et rursus quietum non audierunt, dæmones audirent clamantes. (*Chrysostomus.*)

Quia vero nullus eos afferre audebat ad Christum propter sævitiam, hos dæmoniacos, Christus ad eos vadit. Qui alios prohibebant pertransire, obstruentem sibi viam invenerunt. Etenim flagellabantur invisibiliter, intolerabilia patientes ex Christi præsentia. (*Chrysostomus.*)

II. — Erat autem non longe ab illis grex multorum porcorum pascens.

Dæmones autem rogabant eum, dicentes : Si ejicis nos hinc mitte nos in gregem porcorum. (*Mat. VIII. 30, 31.*)

Sed ideo non petierunt ut in homines mitterentur, quia illum cujus virtute torquebantur, humanam speciem gestare videbant. Nec etiam petierunt ut in pecora mitterentur, quia pecora Dei præcepto, munda sunt animalia, et tunc in templo Dei offerebantur. Præ aliis autem immundis in porcos mitti petierunt, quia nullum animal est immundius porco : unde et porcus dicitur quasi spurcus, eo quod in spurcitiis delectetur : sic et dæmones spurcitiis peccatorum delectantur. Non autem petierunt ut in aera mitterentur, propter nimiam cupiditatem nocendi hominibus. (*Remigius.*)



III. — Et ait illis : Ite : at illi exeuntes abierunt in porcos, et ecce impetu abiit totus grex per præceps in mare : et mortui sunt in aquis.

Pastores autem fugerunt : et venientes in civitatem, nuntiaverunt omnia, et de eis, qui dæmonia habuerant. (*Mat. VIII. 32, 33.*)

Non ut concederet Salvator dæmonibus quod petebant dixit, *Ite* : sed ut per interfectionem porcorum, hominibus salutis occasio præberetur. (*Hieronymus.*)

Ideo autem porcos dæmones occiderunt, quia ubique homines in mæstitiam mittere student, et de perditione lætantur. Damni etiam magnitudo augebat ejus quo factum erat famam : a multis enim divulgabatur : scilicet ab his qui curati erant, a porcorum dominis, et a Pastoribus. (*Chrysostomus.*)

IV. — Et ecce tota civitas exiit obviam Jesu : et viso eo rogabant, ut transiret a finibus eorum. (*Mat. VIII. 34.*)

Sed cum deceret eos adorare et admirari virtutem, emittebant eum a se. Intuere autem et Christi mansuetudinem post virtutem : quia enim beneficia adepti abigebant eum, non restitit, sed recessit : et eos qui indignos se nuntiaverunt ejus doctrina dereliquit, dans eis doctores liberatos a dæmonibus, et porcorum pastores. (*Chrysostomus.*)

(*Annotatiuncula.*) Matthæus duos dæmoniacos, Marcus et Lucas unum tantum occurrisse narrant : eamdem historiam verbis Marci et Lucæ recenseamus.

## MEDITATIO C.

### Dira sors hominis a dæmonibus obsessi.

I. — Navigaverunt ad regionem Gerasenorum, quæ est contra Galilæam. (*Luc. VIII. 26.*)

Venerunt trans fretum maris in regionem Gerasenorum.

Et exeunti ei de navi. (*Marc. V. 1, 2.*) Cum egressus esset ad terram. (*Luc. VIII. 27.*) Statim occurrit illi de monumentis homo in spiritu immundo. (*Marc. V. 2.*) Occurrit illi vir quidam, qui habebat dæmonium, jam temporibus multis, et vestimento non induebatur, neque in domo manebat, sed in monumentis. (*Luc. VIII. 27.*)



Cum autem Dominus descendisset a mari, occurrit et aliud terribilius miraculum : nam dæmoniacus, tamquam servus videns dominum, servitutem confitetur. (*Chrysostomus.*)

Visitant autem dæmones mortuorum sepulcra, volentes imbuere homines periculosa doctrina, quod scilicet animæ mortuorum dæmones fiunt. (*Chrysostomus.*)

Quod autem nudus petebat defunctorum sepulcra dæmoniacæ ferocitatis erat indicium. Permittit autem quosdam dispensative Deus subesse dæmonibus, ut nos perpendamus per eos, quales sunt dæmones erga nos, ut renuamus eis subjici velle; et sic uno patiente ædificantur quamplures. (*Cyrillus.*)

II. — Qui domicilium habebat in monumentis, et neque catenis jam quisquam poterat eum ligare : quoniam sæpe compedibus et catenis vinctus, dirupisset catenas, et compedes comminuisset, et nemo poterat eum domare. (*Marc. V. 3, 4.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

In domo non habitabat : hoc est in conscientia sua non requiescebat, in monumentis manebat : id est in mortuis operibus, hoc est peccatis delectabatur. (*Augustinus.*)

Vel quid sunt corpora perfidorum nisi quædam sepulcra in quibus Dei verba non habitant. (*Ambrosius.*)

Quod autem compedibus ferreis et catenis ligabatur, significat graves et duras leges Gentium quibus, etiam in eorum Republica, peccata cohibentur. (*Augustinus.*)

III. — Et semper die ac nocte in monumentis, et in montibus erat, clamans, et concidens se lapidibus. (*Marc. V. 5.*)

Quod autem vinculis disruptis agebatur a dæmonio in desertum, significat quod etiam ipsis transgressis legibus (*humanis*), ad ea celera cupiditate ducebatur quæ jam vulgarem consuetudinem excederent. (*Augustinus.*)

## MEDITATIO CI.

Dæmones ab hominibus exire jubet.

I.—Videns autem Jesum a longe,cucurrit. (*Marc. V. 6.*) Procidit ante illum. (*Luc. VIII. 28*) et adoravit eum. (*Marc. V. 6.*)



Et exclamans voce magna dixit : Quid mihi et tibi est Jesu Fili Dei altissimi. (*Luc. VIII. 28.— Marc. V. 7.*)Obsecro te, ne me torqueas. (*Luc. VIII. 28.*) Adjuro te per Deum ne me torqueas. (*Marc. V. 7.*)

Vide dæmonem duplici passione divisum, audacia et timore : reluctatur et orat. Quamvis enim mali sint dæmones, sciunt tamen quod ipsos propter peccata exspectat ultimo aliqua pœna : quia vero nondum eis tempus ultimæ pœnæ advenerat firmissime cognoscebant; maxime cum permissum esset eis, hominibus commisceri. Sed quia Christus comprehenderat eos tanta mala perpetrare, putabant, quod propter factorum excessum, ultimum punitionis tempus minime exspectarent; propter hoc supplicant ne torqueantur. (*Chrysostomus.*)

II. — Dicebat enim illi : Exi spiritus immunde ab homine. (*Marc. V. 7.*)

Præcipiebat enim spiritui immundo, ut exiret ab homine. Multis enim temporibus arripiebat illum, et vinciebatur catenis, et compedibus custoditus : et ruptis vinculis agebatur a dæmonio in deserta. (*Luc. VIII. 29.*)

Magnum enim tormentum est dæmoni a læsione hominis cessare : et tanto dimittit gravius quanto possidet durius. (*Beda.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Attendas inexpugnabilem virtutem Christi : conquassat satanam, cui verba Christi sunt ignis et flamma : secundum quod Psalmista dicit : (*Ps. XLVI.*) " Liquefacti sunt montes a facie Dei " idest sublimes, et superbæ virtutes.

III. — Interrogavit autem illum Jesus, dicens : Quod tibi nomen est? At ille dixit : Legio, (*Luc. VIII. 30.*) Mihi nomen est, quia multi sumus. (*Marc. V. 9.*) Quia intraverant dæmonia multa in eum. (*Luc. VIII. 30.*) Et deprecabatur eum multum ne se expelleret extra regionem. (*Marc. V. 10.*) Et rogabant illum ne imperaret illis ut in abyssum irent. (*Luc. VIII. 31.*)

Non velut inscius nomen inquirit, sed ut confessa peste quam tolerabat, virtus curantis gratior emicaret. (*Chrysostomus.*)

Sed et nostri temporis sacerdotes qui per exorcismi gratiam dæmones ejicere norunt, solent dicere, patientes non aliter valere curari, nisi omne quod ab immundis spiritibus vigilantes dormientesve pertulerint, confitendo patenter exponant. (*Beda.*)



## MEDITATIO CII.

**Dæmonibus ire concessum in porcos.**

I. — Erat autem ibi circa montem grex porcorum magnus, pascens.

Et deprecabantur eum spiritus. (*Marc. V. 11, 12.*) Ut permitteret eis in illos ingredi. (*Luc. VIII. 32.*)

Dicentes : Mitte nos in porcos, ut in eos introeamus.

Et concessit (permisit *Luc. VIII. 32.*) eis statim Jesus. (*Marc. V. 12, 13.*)

Dæmones autem cœlestis luminis claritatem sustinere non poterant, ut qui oculis dolent, radios solis ferre non possunt. (*Ambrosius.*)

Et ideo turba immundorum spirituum petit mitti in conformem sibi gregem immundorum porcorum. (*Cyrillus.*)

Quod si super porcos potestatem non habent; multo magis nullum habent dominium contra homines factos ad imaginem Dei. Oportet ergo Deum solum timere; contemnere autem illos. (*Augustinus.*)

Dominus autem concessit eis potestatem, ut hoc, inter cetera, fiat nobis causa salutis, et roboris spes. (*Cyrillus.*)

II. — Exierunt ergo dæmonia (spiritus immundi *Marc. V. 13.*) ab homine, et

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

intraverunt in porcos : et impetu abiit grex per præceps in stagnum, et suffocatus est. (*Luc. VIII. 33.*) Magno impetu grex præcipitatus est in mare ad duo millia, et suffocati sunt in mare. (*Marc. V. 13.*)

Considerare ergo oportet, quod dæmones pravi sunt, et hostiles his qui eis sunt subditi : ut potest patere ex eo quod præcipitaverunt et suffocaverunt porcos in aquis. (*Cyrillus.*)

III. — Quod ut viderunt factum, qui pascebant (eos *Marc. V. 14.*) fugerunt, et nuntiaverunt in civitate et in villas (*Luc. VIII. 34.*) et in agros. Et egressi sunt videre quid esset factum. (*Marc. V. 14.*)

Fugam autem pastores arripiunt ne cum porcis perirent : et hujusmodi terrorem civibus intulerunt. Duxit autem eos ad Salvatorem damni necessitas. Ubi considera, quod dum Deus homines punit in rebus, confert beneficium animabus. (*Titus.*)

## MEDITATIO CIII.

### Geraseni exeunt ad Christum et hominem curatum vident.

I. — Exierunt autem videre quod factum fuerat et venerunt ad Jesum : et



invenerunt hominem (illum qui a dæmonio vexabatur. *Marc. V. 15.*) sedentem vestitum, ac sana mente ad pedes ejus, et timuerunt. (*Luc. VIII. 35.*)

Veniunt et vident, scilicet juxta pedes a quibus nactus erat salutem, quem antea nec catenæ compescere poterant : vestitum et sanæ mentis qui continuo nudus erat. Et sic agnoscentes signum mirati sunt passionis remedium, et obstupuerunt in facto. (*Titus.*)

II. — Et narraverunt illis, qui viderant, qualiter factum esset ei, qui dæmonium habuerat (*Marc. V. 16.*) Quomodo sanus factus esset a legione (*Luc. VIII. 36.*) et de porcis. (*Marc. V. 16.*)

Hoc igitur miraculum partim visu, partim verbis comperiunt.

III. — Et rogaverunt illum omnis multitudo regionis Gerasenorum ut discederet ab ipsis. (*Luc. VIII. 37.*)

De finibus eorum. (*Marc. V. 17.*) Quia magno timore tenebantur.

Ipse autem ascendens navim reversus est. (*Luc. VIII. 37.*)

Rogaverunt ut ab eis discederet, vel quia ejus præsentia se considerabant indignos,

vel quia similia aut majora damna timebant, si diutius apud eos moraretur, vel plures curaret. Sed miseri isti et imbecilles fontem salutis a se deprecabantur abire, cujus instructione eatenus indigebant qui vera in spiritualibus discretione carebant. (*Dyonisius.*)

Attendas autem Christi humilitatem : postquam enim collatis a se talibus beneficiis emittebant eum, non obstat, sed discedit, eos qui se ipsos indignos sua doctrina promulgaverant relinquens. (*Chrysostomus.*)

## MEDITATIO CIV.

**Christus eum qui curatus fuerat, sequi se volentem remittit ad suam domum.**

I. — Cumque ascenderet navim, cœpit illum deprecari, qui a dæmonio vexatus fuerat. (*Marc. V. 13.*) Vir a quo dæmonia exierant, ut cum eo esset. Dimisit autem eum Jesus.

Timebat enim ne aliquando invenientes eum dæmones reintrarent in eum. Dominus vero remittit eum in domum suam, innuens ei quod quamvis ipse præsens non esset, tamen sua virtus ipsum custodiret : simul etiam curatus aliis prosit. (*Theophylactus.*)



II. — Non admisit eum, sed ait illi : Vade (redi. *Luc. VIII. 39.*) in domum tuam ad tuos, et annuntia illis quanta tibi Dominus fecerit, et misertus sit tui. (*Marc. V. 19.*)

Vide Salvatoris humilitatem : non dixit, Denuntia omnia quæ feci tibi, sed Omnia quæ fecit tibi Dominus : sic et tu, cum aliquid boni feceris, non tibi sed Deo attribuas. (*Theophylactus.*)

III. — Et abiit per universam civitatem, prædicans quanta illi fecisset Jesus. (*Luc. VIII. 38.*)

Et abiit, et cœpit prædicare, in Decapoli, quanta sibi fecisset Jesus et omnes mirabantur. (*Marc. V. 20.*)

Licet autem aliis sanatis præceperit nemini dicere, convenienter tamen huic præcipit quod annuntiet : quoniam omnis illa regio dæmonibus detenta sine Deo manebat.

Et sic illos qui se indignos sua doctrina promulgaverant derelinquens, statuit eis eum in magistrum qui fuerat a dæmonibus liberatus. (*Chrysostomus.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## MEDITATIO CV.

### Dæmonium mutum ejicitur.

I. — Ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentem. (*Matth. IX. 32.*)

Non autem naturæ erat hæc passio : sed ex dæmonis insidiis : ideoque et aliis indiguit qui eum adducerent : neque enim per seipsum rogare poterat sine voce exsistens, neque aliis supplicare, dæmone animam cum lingua colligante, propter hoc nec petit fidem ab eo : sed confestim ægritudinem sanat. (*Chrysostomus.*)

II. — Et ejecto dæmonio, locutus est mutus, et miratæ sunt turbæ, dicentes : Numquam apparuit sic in Israel. (*Matth. IX. 33.*)

In quo rerum ordo servatus est : nam dæmon prius ejicitur, et tunc reliqua corporis officia succedunt. (*Hilarius.*)

Præponebant quidem ceteris eum, non quia curabat solum, sed quoniam facile et velociter infinitas ægritudines et insanabiles sanabat. Hoc autem maxime Pharisæos contristabat : quoniam omnibus eum præponebant, non solum his qui tunc erant; sed et his qui unquam geniti fuerunt in



Israel : unde Pharisæi concitati e contrario detrahebant. (*Chrysostomus.*)

III. — Pharisæi autem dicebant : In principe dæmoniorum ejicit dæmones. (*Matth. IX. 34.*)

Scribæ namque et Pharisæi facta Domini negabant quæ poterant, et quæ non poterant negare, in sinistram partem interpretabantur secundum illud Psalmi LXV " In multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui. "

## MEDITATIO CVI.

### Dæmones confitentur Christum esse Deum.

I. — Spiritus immundi, cum illum videbant, procidebant ei. (*Marc. III. 11.*)

Procidebant utique Domino, et qui habebant plagas infirmitatum corporalium, et qui spiritibus vexabantur immundis : sed infirmi simplici intentione obtinendæ salutis, dæmoniaci autem, vel potius in eis habitantes dæmones, vi divini timoris coacti, non solum ad procidendum ei, verum etiam ad confitendum ejus majestatem compulsi. (*Beda.*)

II. — Et clamabant dicentes : Tu es Filius Dei. (*Marc. III. 11, 12.*)

Ubi miranda est Arianorum cæcitas, qui post resurrectionis gloriam Filium Dei negant, quem dæmones adhuc mortali carne indutum Filium Dei profitentur. (*Beda.*)

III. — Et vehementer comminabatur eis ne manifestarent illum. (*Marc. III. 12.*)

Peccatori enim dixit Deus : " Quare tu enarras justitias meas? " *Psal. XLIX.* Prohibetur ergo Dominum prædicare peccator, ne quis dum prædicantem audit, sequatur errantem : improbus enim magister est diabolus, qui falsa veris sæpe permiscet, ut specie veritatis testimonium fraudis obtegat. (*Beda.*)

## MEDITATIO CVII.

### Cæcus et mutus expulso dæmone videt et loquitur.

I. — Oblatus est ei dæmonium habens, cæcus et mutus, et curavit eum ita ut loqueretur et videret. (*Matth. XII. 22.*)

Erat ejiciens dæmonium, et illud erat mutum. Et cum ejecisset dæmonium, locutus est mutus. (*Luc. XI. 14.*)

Miranda est nequitia dæmonis. Utrumque ingressum oppilavit per quem ille erat crediturus, scilicet et auditum et visum.



Sed Christus utrumque aperuit. (*Chrysostomus.*)

Dæmonium enim habens cæcus et mutus est qui non credit, et subditus est diabolo qui non intelligit et non confitetur ipsam fidem, vel qui non dat laudem Deo. (*Augustinus.*)

II. — Et stupebant omnes turbæ et dicebant : Numquid hic est filius David? (*Matth. XII. 23.*)

Tria igitur signa simul in uno homine perpetrata sunt. Cæcus videt, mutus loquitur, possessus a dæmone liberatur : quod quotidie completur in conversione credentium, ut expulso primum dæmone, fidei lumen adspiciant; deinde ad laudes Dei tacentia prius ora laxentur. (*Remigius.*)

Hoc autem miraculo peracto, extollebat eum multitudo præconiis, et gloria quæ Deum decet. (*Cyrillus.*)

III. — Quidam autem ex eis. (*Luc. XI.*) Pharisæi audientes. (*Mat. XII. 24.*) Et Scribæ qui ab Jerosolymis descenderant, dicebant : Quoniam Beelzebub habet, et quia in principe dæmoniorum ejicit dæmonia. (*Marc. III. 22.*)

Dixerunt : Hic non ejicit dæmonia, nisi in Beelzebub principe dæmoniorum. (*Matth. XII. 24. — Luc. XI. 15.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Beelzebub Deus erat Accaron, vir muscarum interpretatur, ex cujus spurcissimo ritu principem dæmoniorum cognominabant. Nihil ergo sordidius invenientes quod Domino objicerent, dicebant eum in Beelzebub ejicere dæmonia. (*Remigius.*)

## MEDITATIO CVIII.

### Christus calumnias Pharisæorum, et Scribarum confutat.

1. — Ipse autem sciens cogitationes eorum, dixit eis : Omne regnum divisum contra se (in se ipsum divinum. *Luc. XI. 17.*) desolabitur. (*Matth. XII. 25.*) Non potest regnum illud stare. (*Marc. III. 25.*) Et omnis civitas, vel domus divisa contra se non stabit. (*Matth. XII. 25.*) Et domus supra domum cadet. (*Luc. XI. 17.*) Non potest domus illa stare. (*Marc. III. 25.*)

Superius quidem et de hoc Christum accusaverant, quia in Beelzebub ejiceret dæmonia : sed tunc quidem eos non increpavit, concedens eis et a pluribus signis cognoscere ejus virtutem, et a doctrina discere ejus magnitudinem. Sed quia permanebant eadem dicentes jam increpat



eos, quamvis eorum accusatio valde irrationabilis esset.

Invidia autem non quærit quid dicat, sed solum ut dicat. Neque tamen Christus eos contempsit, sed respondet cum decenti mansuetudine; docens nos mites esse inimicis, et non turbari, etiam si talia dicant quæ nos in nobis non recognoscimus, neque habent aliquam rationem. (*Chrysostomus.*)

Nihil est in terra regno potentius; sed tamen per altercationem perit. Quid autem dicendum est de civitate, vel de domo? Sive magnum sive parvum fuerit, contra seipsum pugnans perit. (*Chrysostomus.*)

Quomodo enim concordia parvæ res crescunt, sic discordia maximæ dilabantur. (*Hieronymus.*)

11. — Si autem et satanas in se ipsum divisus est. (*Luc. XI. 18.*) Et si satanas satanam ejicit. (*Matth. XII. 26.*) Quomodo stabit regnum ejus? quia dicitis in Beelzebub me ejicere dæmonia. (*Luc. XI. 18.*) Quomodo potest satanas satanam ejicere? (*Marc. III. 23.*)

Si satanas pugnat contra se, et dæmon inimicus est dæmoni : deberet jam mundi venire consummatio; nec habent in eo locum adversariæ potestates, quarum inter se bellum pax hominum est. (*Hieronymus.*)

III. — Et si ego in Beelzebub ejicio dæmones, filii vestri in quo ejiciunt? Ideo ipsi judices vestri erunt. (*Matth. XII. 27.*) Si autem ego in spiritu Dei (in digito Dei. *Luc. XI. 20.*) ejicio dæmones, igitur pervenit in vos regnum Dei. (*Matth. XII. 28. — Luc. XI. 20.*)

Idcirco autem digne judices sunt in eos constituti, quibus id dedisse Christus adversus dæmones potestatis reperitur, quod ipse est negatus habuisse. (*Hilarius.*)

Vel quia Apostoli bene sibi conscii erant, nihil malæ artis se ab eo didicisse. (*Rabanus.*)

Vobis veniunt bona : propter quid vestram impugnatis salutem? Hoc enim est signum a Prophetis traditum præsentiæ Filii Dei, tanta fieri potestate divina. (*Chrysostomus.*)

IV. — Aut quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, et vasa ejus diripere, nisi prius alligaverit fortem. Et tunc domum illius diripiet. (*Matth. XII. 29.*)

Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet. Si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat, et spolia ejus distribuet. (*Luc. XI. 21, 22.*)



Qui non est mecum, contra me est : et qui non colligit mecum dispergit. (*Luc. XI. 23. — Matth. XII. 30.*)

Fortem eum vocat, antiquam ejus ostendens tyrannidem quæ ex nostra desidia orta est. (*Chrysostomus.*)

Alligavit autem fortem, quia potestatem illi ademit impediendi voluntatem fidelium a sequendo Christo, et obtinendo regno Dei. (*Augustinus.*)

Domum ergo ejus diripuit : quia ereptos a diaboli laqueis eos quos suos esse prævidit, Ecclesiæ adunavit; vel quia omnes mundi partes Apostolis et eorum successoribus ad vertendum distribuit.

Ostendit igitur per manifestam parabolam, dicens, quia non concordat in fallaci operatione cum dæmonibus, ut calumniabantur; sed virtute divinitatis homines a dæmonibus liberavit. (*Rabanus.*)

## MEDITATIO CIX.

### Filia Chananææ liberatur a dæmonio.

I. — Abiit Jesus in fines Tyri et Sidonis et ingressus domum, neminem voluit scire, et non potuit latere. (*Marc. VII. 24.*) Ecce mulier chananæa a finibus illis egressa. (*Matth. XV. 22.*) Statim ut

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

audivit de eo, cujus filia habebat spiritum immundum, intravit et procidit ad pedes ejus.

Erat enim mulier Gentilis, Syrophænissa genere. Et rogabat eum ut dæmonium ejiceret de filia ejus. (*Marc. VII. 25, 26.*)

Clamavit dicens ei : Miserere mei Domine fili David : filia mea male a dæmonio vexatur. (*Matth. XV. 22.*)

Sic ergo factum est ut Salvator a discipulis proditus non esset, ab aliis tamen qui ingredientem domum viderant proditus est, et incepit sciri quod esset in domo. A suis ergo noluit prædicari : requiri autem se voluit, et ita factum est. (*Augustinus.*)

Denique mulier Chananæa audiens de illo intravit ad eum; quæ nisi prius subjecisset se Deo, Judæorum beneficium consecuta non esset. (*Augustinus.*)

Magna fides Chananeæ hic notatur. Deum credit, ubi Dominum vocat hominem, ubi dicit Filium David. Nihil ex merito postulat, sed solam misericordiam Dei efflagitat. Nec dicit : Miserere filiæ, sed, *Miserere mei;* et ut magis eum ad compassionem moveat, totum ei dolorem enarrat. (*Glossa Anselmi.*)

11. — Qui non respondit ei verbum. Et accedentes discipuli ejus rogabant



eum dicentes : Dimitte eam quia clamat post nos.

Ipse autem respondens ait : Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel.

At illa venit, et adoravit eum dicens : Domine adjuva me. (*Matth. XV. 23, 24, 25.*)

Qui dixit illi : Sine prius saturari filios : non est enim bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus. (*Marc. VII. 27.*)

Differendo etiam et non respondendo, patientiam mulieris et perseverantiam nobis ostendit. Ideo etiam non respondit, ut discipuli pro ea rogarent : ostendens per hoc, necessarias esse preces Sanctorum ad aliquid impetrandum. (*Glossa Anselmi.*)

Sed quia mulier vidit nihil posse Apostolos, inverecunda facta est bona inverecundia. Quando videbatur ut angustiata recederet, tunc propius venit. (*Chrysostomus.*)

Nota quod ista Chananæa perseveranter primum Filium David, deinde Dominum vocat, et ad extremum Deum adoravit. (*Hieronymus.*)

Quanto ergo magis mulier multiplicabat supplicationes, tanto et ipse multiplicabat negationem : et non adhuc Judæos oves vocat, sed filios, illam autem canem. (*Chrysostomus.*)

III. — At illa respondit, et dixit illi. (*Marc. VII. 28.*) Etiam Domine, nam et catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. (*Matth. XV. 27.*) Et catelli comedunt sub mensa de micis puerorum. (*Marc. VII. 28.*)

Tunc respondens Jesus ait illi : O mulier, magna est fides tua : fiat tibi, sicut vis. (*Matth. XV. 28.*)

Et ait illi : Propter hunc sermonem vade, exiit dæmonium a filia tua. (*Marc. VII. 29.*)

Mira autem hujus mulieris fides, patientia et humilitas prædicantur : fides qua credebat sanari posse filiam suam : patientia, qua toties contempta in precibus perseverat : humilitas, quod se non canibus sed catulis comparat. (*Hieronymus.*)

Propter hoc autem Christus tardabat : præsciebat enim eam hoc dicturam, nec occultari volebat tantam mulieris virtutem. (*Chrysostomus.*)

IV. — Et sanata est filia ejus ex illa hora. (*Matth. XV. 28.*)

Et cum abiisset domum suam, invenit puellam jacentem supra lectum, et dæmonium exiisse. (*Marc. VII. 30.*)

Hinc descendit consuetudo in Ecclesia, ut fideles pro suis parvulis fidem Deo promittant, quando ipsi non sunt tantæ ætatis et rationis ut per se fidem Deo promittere valeant : quatenus sicut fide istius mulieris sanata est filia ejus, ita et fide virorum catholicorum peccata parvulis relaxentur. (*Remigius.*)



## MEDITATIO CX.

### Dæmon quem ejicere discipuli non potuerunt, pellitur a Christo.

I. — Accessit ad Jesum homo genibus provolutus ante eum dicens. (*Mat. XVII. 14.*) Magister attuli filium meum ad te habentem spiritum mutum :

Qui ubicumque eum apprehenderit, allidit illum, et spumat, et stridet dentibus, et arescit. (*Marc. IX. 16, 17.*) Ecce spiritus apprehendit eum, et subito clamat, et elidit, et dissipat eum cum spuma, et vix discedit dilanians eum. (*Luc. IX. 39.*)

Domine miserere filio meo, quia lunaticus est : et male patitur : nam sæpe cadit in ignem, et crebro in aquam. (*Matth. XVII. 14.*) Magister, obsecro te, respice in filium meum, quia unicus est mihi. (*Luc. IX. 38.*)

Considerandum est, quod quandoque qui patiuntur, credunt, et deprecantur pro sua salute : quandoque autem, pro eis, alii faciunt, sicut nunc qui genibus volvitur, pro filio rogat : quandoque vero a semetipso Salvator etiam a nullo rogatus sanat. (*Origenes.*)

Medici ergo loquuntur quæ volunt : quia nec immundum spiritum arbitrantur, sed corporalem aliquam passionem. Nos autem qui Evangelio credimus, dicemus hanc passionem immundum spiritum in hominibus operari. (*Origenes.*)

Considerandum est, quod nisi providentia hic homo esset munitus, dudum periisset : dæmon enim qui ipsum in ignem et in aquam mittebat, interfecisset eum omnino, nisi Deus eum refrenasset. (*Chrysostomus.*)

II. —Obtuli eum discipulis tuis. (*Matth. XVII. 15.*) Et rogavi discipulos tuos ut ejicerent illum. (*Luc. IX. 40.*) Et non potuerunt curare eum. (*Matth. XVII. 15.*)

Respondens autem Jesus, ait : O generatio incredula et perversa quousque (quomodo) (usquequo) (quamdiu) patiar vos? (*Mat. XVII. 16.— Marc. IX. 13. — Luc. IX. 41.*) Afferte huc illum ad me. (*Matth. XVII. 16.*) Adduc huc filium tuum. (*Luc. IX. 41.*)

Non putes quod leviter ad te pervenerim; stupenda est dignitas tua, nec statim te molestavi : ad discipulos tuos accessi primo : nunc quia non curaverunt, cogor proficisci ad te. (*Titus.*)



Unde offenditur Christus accusatis Sanctis, quibus est commissum verbum prædicationum sacrarum; propter quod Dominus increpat eum et concordes ei; quasi dicat : Causa tuæ infidelitatis, gratia effectum sortita non est. (*Cyrillus.*)

III. — Et cum accederet, elisit illum dæmonium, et dissipavit.

Et increpavit Jesus spiritum immundum, et sanavit puerum, et reddidit illum patri ejus. (*Luc. IX. 42, 43.*) Exiit ab eo dæmonium, et curatus est puer ex illa hora. (*Matth. XVII. 17.*)

Postquam discipulos excusaverat, ducit patrem pueri ad spem benignam credendi, quod ab hoc malo eripietur : et ut inducatur pater ad fidem futuri miraculi, videns dæmonem tumultum pati ex hoc solum quod vocabatur, increpavit eum : non ille qui patiebatur, sed dæmon increpatur. (*Chrysostomus.*)

In quo facto reliquit exemplum prædicatoribus, ut vitia persequantur, homines vero sublevent. (*Remigius.*)

IV.—Stupebant autem omnes in magnitudine Dei; omnibusque mirantibus in

omnibus quæ faciebat, dixit ad discipulos suos : Ponite vos in cordibus vestris sermones istos : Filius enim hominis futurum est ut tradatur in manus hominum.

At illi ignorabant verbum istud, et erat velatum ante eos, ut non sentirent illud : et timebant eum interrogare de hoc verbo. (*Luc. IX. 44, 45.*)

Cunctis igitur admirantibus signa, ipse prænuntiat Passionem : non enim signa salvant, sed crux beneficia præstat. (*Titus.*)

Dicet autem aliquis forsan : qualiter ignoraverunt discipuli crucis Christi mysterium, cum per umbram legis in pluribus locis tangeretur? Sed, ut Paulus commemorat " usque ad hodiernum diem, quando legitur Moyses, velamen adjacet cordi eorum. " Expedit ergo accedentes ad Christum dicere. (*Ps. CVIII.*) " Detege oculos meos, et contemplabor mirabilia de lege tua. " (*Cyrillus.*)

## MEDITATIO CXI.

### Accuratior ejusdem rei descriptio ex sancto Marco.

1. — Dixit Jesus : O generatio incredula, quamdiu apud vos ero? quamdiu vos patiar? afferte illum ad me.



Et attulerunt eum. Et cum vidisset eum, statim spiritus conturbavit illum : et elisus in terram volutabatur spumans.

Et interrogavit patrem ejus : Quantum temporis est ex quo ei hoc accidit? At ille ait : Ab infantia.

Et frequenter eum in ignem, et in aquas misit ut eum perderet : sed si quid potes, adjuva nos, misertus nostri. (*Marc. IX. 18, 19, 20, 21.*)

Probabile est multos præsentium scandalizatos, ea quæ non conveniebant, de discipulis cogitasse : unde sequitur : Qui eis respondens dixit : *O generatio, etc.* In quo ostendit, et mortem se desiderare, et grave ei esse cum illis conversari. (*Chrysostomus.*)

In tantum autem non est homini iratus, sed vitio, ut statim intulerit *afferte illum, etc.* (*Beda.*)

Permisit vexari puerum, ut ex hoc sciremus dæmonis impietatem, qui occidisset eum, nisi fuisset a Domino adjutus. (*Theophylactus.*)

Erubescat Julianus, qui dicere audet omnes homines absque peccati contagione nasci in carne, tamquam innocentes per omnia, ut Adam quando creatus est. Quid enim habuit iste puer ut ab infantia dæmonio vexaretur acerbissimo, si nullo originalis peccati vinculo tenebatur : quia constat

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

illum adhuc proprium non habere potuisse peccatum? (*Beda.*)

II. — Jesus autem ait illi : Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. Et continuo exclamans pater pueri, cum lacrymis aiebat : Credo Domine; adjuva incredulitatem meam.

Et cum videret Jesus concurrentem turbam, comminatus est spiritui immundo, dicens illi : Surde et mute spiritus ego præcipio tibi, exi ab eo : et amplius ne introeas in eum. (*Marc. IX. 22, 23, 24.*)

Exprimit (Pater pueri) in verbis suæ petitionis, fidei defectum.

Cum enim dicit, *si quid potes*, manifestat se de ejus potentia dubitare : quia viderat filium suum a discipulis Christi curatum non esse. (*Glossa.*)

Aptum autem responsum Dominus dedit petenti; ipse enim ait : *si quid potes adjuva nos :* et Dominus: *si potes* inquit *credere.* At contra leprosus qui fideliter clamabat. (*Matth. VIII.*) " Domine si vis potes me mundare" congruum suæ fidei accepit responsum " Volo : mundare " (*Beda.*)

Quæ autem sunt omnia quæ possibilia sunt credenti, nisi quæ in nomine Jesu,



idest salutis, postulantur cum lacrymis. (*Hieronymus.*)

Dicamus, quoniam multiplex est fides, introductoria scilicet et perfecta. Hic autem incipiens credere, Salvatorem deprecabatur ut apponeret reliquum ad suam virtutem. (*Chrysostomus.*)

Ideo cum videret turbam concurrere, comminatus est spiritui immundo : nolebat enim coram turba curare, ut ostentationem fugere doceret. (*Theophylactus.*)

III. — Et exclamans, et multum discerpens eum exiit ab eo, et factus est sicut mortuus, ita ut multi dicerent : Quia mortuus est.

Jesus autem tenens manum ejus, elevavit eum, et surrexit. (*Marc. IX. 25, 26.*)

Quod comminatur, divinæ attribuitur potestati : quod vero dicit non solum, *exi ab eo*, sed, *et amplius noli introire in eum*, ostendit quia ad reintrandum promptus erat, quia ille nondum erat in fide perfectus, sed hoc jussio Domini inhibebat. (*Chrysostomus.*)

Quem autem hostis impius mortuo similem reddidit, hunc pius Salvator piæ dextræ tactu salvavit. (*Beda.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## MEDITATIO CXII.

### Quam ob causam discipuli non potuerunt ejicere hoc dæmonium.

I. — Cum Jesus introisset in domum, discipuli ejus secreto interrogabant eum : Quare nos non potuimus ejicere eum? (*Marc. IX. 27.*)

Dixit illis Jesus : Propter incredulitatem vestram. Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc illuc, et transibit, et nihil impossibile erit vobis. (*Matth. XVII. 19.*)

Timebant (discipuli) ne forte collatam sibi gratiam amisissent : receperant enim potestatem jam spirituum immundorum. (*Chrysostomus.*)

Crediderant quidem Apostoli, nondum tamen erant perfectæ fidei : nam Domino in monte demorante, et ipsis cum turbis residentibus, quidam tepor eorum fidem retardaverat. (*Hilarius.*)

Unde manifestum est hinc, quoniam et discipuli in fide infirmati sunt, sed non omnes : columnæ enim illæ non aderant, scilicet Petrus et Jacobus et Joannes. (*Chrysostomus.*)



Si autem dixeris : Ubi Apostoli montes sustulerunt? Illud dicam, quia multa majora fecerunt, mortuos plurimos suscitantes. (*Chrysostomus.*)

II. — Hoc autem genus non ejicitur nisi per orationem, et jejunium. (*Matth. XVII. 20.*)

Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione, et jejunio. (*Marc. IX. 28.*)

Qui orat cum jejunio, duplices habet alas, etiam ipsis ventis leviores. Neque enim oscitat et torpet orans quod et multi patiuntur; sed est igne vehementior, et terra fixior : ideoque talis maxime dæmoniis adversatur : nihil enim est homine decenter orante potentius. Si autem infirmum est tibi corpus ad continue jejunandum, non tamen ad orandum; et si jejunare non potes, potes tamen non lascivire. (*Chrysostomus.*)

III. — Et inde profecti prætergradiebantur Galilæam : nec volebat quemquam scire. (*Marc. IX. 29.*)

Conversantibus autem eis in Galilæam, dixit illis Jesus : Filius hominis tradendus est in manus hominum.

Et occident eum, et tertia die resurget. Et contristati sunt vehementer. (*Matth. XVII. 21, 22.*)

At illi ignorabant verbum : et timebant interrogare eum. (*Marc. IX. 31.*)

Sæpe Dominus mysteria suæ passionis discipulis prædixit, ut quando acciderent, tanto levius ea ferrent quanto præcognita haberent. (*Remigius.*)

Prædicente autem hæc Domino, tristati sunt discipuli, non attendentes ad illud quod dixerat, *et tertia die resurget*, nec considerantes quis esset, cui ad destruendam mortem, trium dierum tempus sufficeret. (*Chrysostomus.*)

Porro quod contristabantur vehementer, non de infidelitate venit : verum, pro dilectione Magistri, nihil de eo sinistrum et humile patiuntur audire. (*Hieronymus.*)

## FEBRICITANTES.

### MEDITATIO CXIII.

**Reguli filius febricitatus Christi verbo sanatur.**

I. — Venit Jesus iterum in Cana Galilææ, ubi fecit aquam vinum. Et erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum.

Hic cum audisset quia Jesus adveniret a Judæa in Galilæam, abiit ad eum, et



rogabat eum ut descenderet, et sanaret filium ejus : incipiebat enim mori. (*Joan. IV. 46, 47.*)

Rememorat nobis Evangelista miraculum perpetratum in Cana Galilææ de aqua conversa in vinum, ut augeret Christi præconium : quia Galilæi non solum propter miracula Hierosolymis facta, sed et propter ea quæ apud ipsos facta erant receperunt Jesum. (*Theophylactus.*)

Qui rogabat, nonne credebat? Quid a me exspectas audire? Dominum interroga quid de illo senserit.

Arguit hominem in fide tepidum, aut frigidum, aut omnino nullius fidei : sed tentare cupientem de sanitate filii sui. (*Augustinus.*)

Sed mementote etiam quæ petiit; et aperte agnoscetis quia in fide dubitavit. Poposcit namque ut descenderet et sanaret filium ejus.

Minus itaque in illum credidit, quem non putavit posse salutem dare, nisi præsens esset et corpore. (*Gregorius.*)

II. — Dixit ergo Jesus ad eum : Nisi signa, et prodigia videritis, non creditis.

Dixit ad eum regulus : Domine descende prius quam moriatur filius meus.

Dixit ei Jesus : Vade, filius tuus vivit. Credidit homo sermoni, quem dixit ei Jesus, et ibat. (*Joan. IV. 48, 49, 50.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Sed Dominus qui rogatur ut vadat, quia non desit ubi invitatur indicat : solo jussu salutem reddidit, qui voluntate omnia creavit. Hic superbia nostra retunditur, qui in hominibus non naturam, qua ad imaginem Dei facti sunt, sed honores et divitias veneramur. Redemptor vero noster, ut ostenderet quoniam quæ alta sunt hominibus, sanctis despicienda sunt, et quæ despicienda sunt hominibus, despicienda non sunt sanctis, ad filium reguli ire noluit, ad servum Centurionis ire paratus fuit. (*Greg.*)

III. — Jam autem eo descendente, servi occurrerunt ei, et nuntiaverunt dicentes, quia filius ejus viveret.

Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit Et dixerunt ei : Quia heri, hora septima, reliquit eum febris. (*Joan. IV. 51, 52.*)

Qui quidem obviaverunt, non ut annuntiarent solum, sed quasi æstimantes de reliquo superfluam esse Christi præsentiam, quem credebant accedere. Quod autem regulus non integre credidit neque sane, ostenditur ex hoc quod sequitur. Volebat enim scire utrum casu, vel ex præcepto Christi hoc factum esset. (*Chrysostomus.*)

IV. — Cognovit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Jesus : Filius tuus vivit : et credidit ipse et domus ejus tota. (*Joan. IV. 53.*)



Si ergo propterea credidit quia nuntiatum est ei quod filius ejus esset sanus, et comparavit horam nuntiantium horæ prænuntiantis : quando rogabat, nondum credebat. (*Augustinus.*)

Unde datur intelligi et in fide gradus esse, sicut et in aliis virtutibus ; quibus est initium, incrementum atque perfectio. Hujus ergo fides initium habuit cum filii salutem petiit ; incrementum dum credidit sermoni Domini dicentis : *Filius tuus vivit :* deinde perfectionem obtinuit nuntiantibus servis. (*Beda.*)

Ad solum sermonem crediderunt plures Samaritani : ad illum miraculum sola illa domus credidit ubi est factum. (*Augustinus.*)

## MEDITATIO CXIV.

### Socrus Petri magnis febribus liberatur.

I. — Surgens Jesus de synagoga, introivit in domum Simonis (*Luc. IV. 38.*) = Petri (*Matth. VIII. 14.*) — et Andreæ, cum Jacobo, et Joanne. (*Marc. I. 29.*)

Sed cur intravit in domum Petri? Mihi videtur cibum assumpturus. Apud discipu-

los enim divertebat honorans eos, et avidiores ex hoc faciens. Non est dedignatus sub vilia tuguria piscatorum intrare, erudiens per omnia, humanum conculcare tumorem. (*Chrysostomus.*)

II. — Decumbebat autem socrus Simonis febricitans. (*Marc. I. 30.*) Tenebatur magnis febribus. (*Luc. IV. 38.*) Et statim dicunt ei de illa. (*Marc. I. 30.*) Et rogaverunt illum pro ea. (*Luc. IV. 38.*) Et cum venisset Jesus vidit socrum jacentem et febricitantem. (*Mat. VIII. 14.*)

Attende autem Petri ad Christum reverentiam : habens enim socrum domi febricitantem, non traxit eum in domum, sed exspectavit doctrinam compleri, et alios curari. Ab exordio enim erudiebatur quæ aliorum erant sibi ipsi præponere.

Discipuli autem, tamquam exinde utilitatem aliquam recepturi, socrum Petri sanari precabantur. (*Chrysostomus.*)

III. — Et stans super illam imperavit febri. (*Luc. IV. 39.*) Et tetigit manum ejus. (*Matth. VIII. 15.*)

Accedens elevavit eam, apprehensa manu ejus : et continuo dimisit eam febris. (*Marc. I. 31.*) Et continuo surgens ministrabat illis. (*Luc. IV. 39.*)



Quia ægritudo curabilis erat modo curationis suam virtutem ostendebat, faciendo quod ars medicinalis non operatur, ut scilicet simul perfectam restituat sanitatem.

In hoc ergo quod dicitur, quod surrexit et *ministrabat eis*, et Christi virtutis signum est, et dispositionis mulieris quam erga Christum ostendebat. (*Chrysostomus.*)

## HEMORRHOISSA.

### MEDITATIO CXV.

**Mulier sanguinis profluvio laborans sanatur.**

I. — Contigit dum iret Jesus, a turbis comprimebatur. (*Luc. VIII. 42.*) Et ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis. (*Mat. IX. 20.*) Quæ in medicos erogaverat omnem substantiam suam. (*Luc. VIII. 43.*)

Et fuerat multa perpessa a compluribus medicis : et erogaverat omnia sua, nec quidquam profecerat. (*Marc. V. 26.*) Nec ab ullo potuit curari. (*Luc. VIII. 43.*) Sed magis deterius habebat.

Cum audisset de Jesu, venit in turba. (*Marc. V. 26, 27.*) Accessit retro, et teti-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

git fimbriam vestimenti ejus. (*Mat. IX. 20. — Luc. VIII. 44.*)

Dicebat enim intra se : Si tetigero tantum vestimentum ejus : salva ero. (*Matt. IX. 21. — Marc. V. 28.*)

Et confestim siccatus est fons sanguinis ejus. (*Marc. V. 29.*) Confestim stetit fluxus sanguinis ejus. (*Luc. VIII. 44.*) Et sensit corpore quia sanata esset a plaga. (*Marc. V. 29.*)

Hæc autem mulier sanguine fluens, non in domo, non in urbe accedit ad Dominum, quia juxta legem urbibus excludebatur: sed in itinere ambulante Domino : ut dum pergit ad aliam (*ad filiam scilicet Jairi*) alia curaretur. (*Hieronymus.*)

Ideo non libera propalatione ad Christum venit, quia verecundebatur propter passionem immundam se existimans: etenim apud legem multa immunditia æstimabatur hæc passio : propter hoc latet et occultatur. (*Chrysostomus.*)

In quo laudanda est ejus humilitas : quia non ad faciem accessit, sed retro, et indignam se judicavit pedes Domini tangere : et non plenitudinem vestimenti tetigit, sed tantum fimbriam, habuit enim Dominus fimbriam juxta legis præceptum. Pharisæi etiam fimbrias habebant quas magnificabant, in quibus etiam spinas appendebant. Sed



fimbriæ Domini non habebant vulnerare, sed sanare. *Dicebat enim intra se : Quia si tetigero tantum vestimentum ejus : salva ero.* In quo fides ejus admiranda est, quia desperans de salute medicorum, in quos sua erogaverat, intellexit cœlestem adesse medicum, et in eo totam suam intentionem collocavit. (*Remigius.*)

Sicut autem cum aliquis oculum lucernæ lucenti adhibet, aut igni spinas, statim operationem illorum experitur : sic quidem qui fidem affert potenti curare, statim curationem consequitur.

11. — Et statim Jesus in semetipso cognoscens virtutem, quæ exierat de illo, conversus ad turbam, aiebat : Quis tetigit vestimenta mea? (*Marc. V. 30.*) Negantibus autem omnibus, dixit Petrus, et qui cum illo erant. (*Luc. VIII. 45.*) Discipuli sui. (*Marc. V. 31.*) Præceptor, turbæ te comprimunt et affligunt. (*Luc. VIII. 45.*) Vides turbam comprimentem te, et dicis : Quis me tetigit? (*Marc. V. 31.*)

Et dixit Jesus: Tetigit me aliquis, nam ego novi virtutem de me exiisse. (*Luc. VIII. 46.*) Et circumspiciebat videre, eam, quæ hoc fecerat. (*Marc. V. 32.*)

Audivit autem Dominus tacitas mulieris considerationes, et tacens liberavit tacen-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tem, passus sua sponte sanitatis rapinam : sed postea miraculum publicat. (*Græcus.*)

Primo enim solvit femineum metum, ne remorsum conscientiæ pateretur quasi surripiens gratiam; secundo corrigit eam, quia latere putaverat; tertio fidem ejus exprimit cunctis, ut et alii imitentur : proditque non minus miraculum retentione sanguinis, dum ostendit sibi cuncta patere. (*Chrysostomus.*)

Insuper principem synagogæ persuadebat indubitabiliter credere, quod a laqueis mortis eripiet filiam ejus. (*Cyrillus.*)

III. — Videns autem mulier, quia non latuit. (*Luc. VIII. 47.*) Timens et tremens, sciens quod factum esset in se, venit et procidit ante eum. (*Marc. V. 33.*)

Procidit ante pedes ejus. (*Luc. VIII. 47.*) Et dixit ei omnem veritatem. (*Marc. V. 33.*) Et ob quam causam tetigerit eum indicavit coram omni populo : et quemadmodum confestim sanata sit. (*Luc. VIII. 47.*) At Jesus conversus et videns eam dixit : Confide filia, fides tua te salvam fecit. (*Mat. IX. 22.*) Vade in pace. (*Marc. V. 34. — Luc. VIII. 48.*) Et esto sana a plaga tua. (*Marc. V. 34.*) Et salva facta est mulier ex illa hora. (*Mat. IX. 22.*)



Ob hoc autem Dominus non statim eam manifestaverat, ut ostenso quod omnia sibi liquent, faciat mulierem prædicare quod factum est, ut suspicione miraculum careat. (*Chrysostomus.*)

Eamdem autem sanitatem quam nacta est mulier ex contactu, verbis confirmavit Salvator : *Filia fides tua, etc.* Id est : esto sana a tuo flagello : et sanat quidem primo per fidem animam, deinde vero corpus. (*Origenes.*)

Vocat autem filiam jam fidei causa sanatam : fides enim gratiam adoptionis impendit. (*Titus.*)

## HYDROPICUS.

### MEDITATIO CXVI.

**Christus hydropicum curat.**

I. — Factum est cum intraret Jesus in domum cujusdam principis Pharisæorum sabbato manducare panem, et ipsi observabant eum.

Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. (*Luc. XIX. 1, 2.*)

Quamvis Dominus malitiam Pharisæorum cognosceret, tamen eorum fiebat conviva, ut prodesset præsentibus per verba et miracula.

Neglectis igitur Judæorum insidiis, liberat a morbo hydropicum : qui metu Pharisæorum remedia non postulabat propter sabbatum,sed solum adstabat,ut ex adspectu misertus ejus salvaret eum : quod Dominus cognoscens, non postulat ab eo si vellet salvus fieri : sed protinus eum sanavit. (*Cyrillus.*)

II. — Et respondens Jesus dixit ad legisperitos, et Pharisæos, dicens : Si licet sabbato curare?

At illi tacuerunt, ipse vero apprehensum sanavit eum, ac dimisit. (*Luc. XIV. 3, 4.*)

In sua autem interrogatione deridet eos, sicut amentes : Deo enim benedicente sabbato, ipsi prohibent operari bona in eo : dies autem quæ bonorum operam non admittit, maledicta est. (*Theophylactus.*)

III. — Et respondens ad illos dixit : Cujus vestrum asinus, aut bos in puteum cadet, et non continuo extrahet illum die sabbati?

Et non poterant ad hæc respondere illi. (*Luc. XIV. 5, 6.*)

In quo, sic observatores suos Pharisæos convincit, ut eosdem etiam avaritiæ condemnet, qui in liberatione animalis suæ



avaritiæ consulebant. Quanto ergo magis Christus hominem, qui multo melior est pecore, debuit liberare? (*Beda.*)

## LEPROSI.

### MEDITATIO CXVII.

**Leprosus tactu sanatur a Christo.**

I. — Cum descendisset de monte secutæ sunt eum turbæ multæ. (*Matth. VIII. 1.*) Et factum est, cum esset in una civitatum. (*Luc. V. 12.*) Venit ad eum leprosus. (*Marc. I. 40.*) Vir plenus lepra, et videns Jesum. (*Luc. V. 12.*) Adorabat eum. (*Matth. VIII. 2.*) Genu flexo. (*Marc. I. 40.*) Et procidens in faciem, rogavit eum, dicens : Domine, si vis, potes me mundare. (*Luc. V. 12.*)

Descendente Domino, hoc est inclinante se ad infirmitatem et impotentiam ceterorum, quando misertus est imperfectioni eorum, vel infirmitati. (*Origenes.*)

Demonstratur autem doctoribus ut in prædicatione sua sermonem habeant temperatum, et sicut viderint unumquemque capere posse, ita et verbum Dei annuntiant. (*Haymo.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Inter ceteros autem qui montem non ascenderant, et leprosus sursum ascendere non valebat, quasi peccatorum bajulans pondus : lepra enim peccatum animarum nostrarum. Ideo ergo Dominus de altitudine cœli, quasi de excelso monte descendit, ut lepram peccatorum nostrorum mundaret. (*Chrysostomus.*)

Sicut de cœlestibus montibus ad salvandos carnales descendente, venit ad eum leprosus et adorabat eum. Antequam peteret adorare cœpit, cultum ostendens. (*Origenes.*)

Quod in faciem procidit humilitatis est et pudoris, ut unusquisque, de vitæ suæ maculis erubescat : sed confessionem verecundia non repressit : ostendit vulnus, remedium postulavit dicens, *Domine si vis, etc.* De voluntate Domini non quasi pietatis incredulus dubitavit, sed quasi iniquitatis suæ conscius non præsumpsit. (*Ambrosius.*)

Addiscamus ex verbis leprosi corporalium infirmitatum medelam non quærere : sed divino beneplacito totum committere qui novit opportuna, et omnia judicio disposuit. (*Titus.*)

II. — Jesus autem, misertus ejus, extendit manum suam : et tangens eum, ait illi : Volo : Mundare. (*Marc. I. 41.*) Et confestim mundata est lepra ejus.



(*Matth. VIII. 3.*) Confestim lepra discessit ab illo. (*Luc. V. 13.*) Et cum dixisset, statim discessit ab eo lepra, et mundatus est. (*Marc. I. 42.*)

Ideo tetigit, leprosum, ut probaret quia contaminari non poterat qui alios liberabat. Simulque illud mirabile quod eo sanavit genere quo fuerat obsecratus. *Si vis* inquit leprosus, *potes me mundare : Volo* inquit; ecce habes voluntatem : *Mundare*, et jam habes pietatis effectum. (*Beda.*)

Nihil medium inter opus Dei atque præceptum, quia in præcepto est opus " dixit enim et facta sunt " Psal. CXLVIII. (*Beda.*)

III. — Et comminatus est ei, statimque ejecit illum.

Et dicit ei : Vide, nemini dixeris. (*Marc. I. 43, 44.*) Ipse præcepit illi ut nemini diceret, sed, vade, ostende te sacerdoti, (Principi sacerdotum *Marc. I. 44.*) et offer, pro emundatione tua, (munus quod præcipit *Matth. VIII. 4.*) sicut præcepit Moyses, in testimonium illis. (*Luc. V. 14.*)

Tempus nondum est mea opera prædicare : tua non indigeo prædicatione. Per hoc autem docet nos, ex nostris operibus hono-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

rem apud homines, pro retributione non quærere. (*Chrysostomus.*)

Mittit autem eum ad sacerdotes, primum propter humilitatem, ut sacerdotibus deferre videretur; deinde ut videntes leprosum mundatum, si crederent Salvatori, salvarentur; si vero non crederent inexcusabiles fierent : et simul ne quod in eo sæpissime criminabantur, legem infringere videretur. (*Hieronymus.*)

IV. — At ille egressus cœpit prædicare, et diffamare sermonem. (*Marc. I. 45.*) Perambulabat autem magis sermo de illo. (*Luc. V. 15.*) Ita ut jam non posset manifeste introire in civitatem, sed foris in desertis locis esset, et conveniebant ad eum undique. (*Marc. I. 45.*)

Turbæ multæ ut audirent, et curarentur ab infirmitatibus suis.

Ipse autem sedebat in desertum et orabat. (*Luc. V. 15, 16.*)

Unius autem perfecta salvatio multas ad Dominum cogit turbas. Ut enim leprosus exterius se sanatum doceret, perceptum beneficium, etiam jussus non tacet. (*Beda.*)

Redemptor autem noster per diem miracula in urbibus exhibet, et ad orationis studium in nocte pernoctat : ut perfectis, videlicet prædicatoribus innuat quatenus



nec activam amore speculationis funditus deserant, nec contemplationis gaudia operationis nimietate contemnant; sed quieti contemplantes sorbeant quod occupati erga proximos loquentes profundant. (*Gregorius.*)

## MEDITATIO CXVIII.

### Decem leprosi mundantur, unicus gratias agit.

I. — Factum est dum iret in Jerusalem, transibat per mediam Samariam, et Galilæam.

Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt a longe :

Et levaverunt vocem, dicentes : Jesu præceptor, miserere nostri. (*Luc. XIV. 11, 12, 13.*)

Conversabantur autem ad invicem, quia fecerat eos unanimes communitas passionis; et præstolabantur transitum Jesu, solliciti donec advenientem Christum viderent : *qui steterunt a longe* : eo quod lex Judæorum lepram immundam judicat, lex autem evangelica non externam sed internam asserit esse immundam. (*Titus.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

Putabant enim quod Christus eos fastidiret ad modum aliorum. Sic ergo adstiterunt loco, sed facti sunt proximi deprecando " Prope enim est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate." (*Psal. CXLV.*) (*Theophylactus.*)

II. — Quos ut vidit, dixit : Ite, ostendite vos sacerdotibus. Et factum est, dum irent, mundati sunt.

Unus autem ex illis, ut vidit quia mundatus est, regressus est, cum magna voce magnificans Deum.

Et cecidit in faciem suam ante pedes ejus, gratias agens : et hic erat Samaritanus. (*Luc. XVII. 14, 15, 16.*)

Hinc poterit quisquis conjicere quod nihil impedit quemquam placere Deo, etsi de genere profano processerit, dummodo bonum gerat propositum. Nullus etiam natus ex sanctis superbiat : novem enim, qui Israelitæ erant, ingrati fuerunt. (*Theophylactus.*)

III. — Respondens autem Jesus dixit : Nonne decem mundati sunt? et novem ubi sunt?

Non est inventus qui rediret, et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.

Et ait illi : Surge, vade : quia fides tua te salvum fecit. (*Luc. XVII. 17, 18, 19.*)



Ne fias ex novem ingratis unus; sed decimum imitare; etenim quamvis Samaritanus erat, alios tamen animi gratitudine exsuperabat. (*Greg. Nazianze. in sanctum lavacrum.*)

Si autem fides salvum fecit eum qui se ad agendas gratias inclinavit : ergo perfidia perdit eos qui de acceptis beneficiis Deo dare gloriam neglexerunt : quapropter fidem per humilitatem augeri debere, sicut in parabola superiori decernitur, ita hic ipsis rebus ostenditur. (*Beda.*)

## MANCUS.

## MEDITATIO CXIX.

### Manco manum aridam Christus restituit.

I. — Factum est autem et in alio sabbato, ut intraret in synagogam, et doceret. (*Luc. VI. 6.*) Et ecce homo manum habens aridam. (*Matth. XII. 10.*) Erat ibi. (*Marc. III. 1.*) Et manus ejus dextra erat arida.

Observabant autem Scribæ, et Pharisæi si in sabbato curaret. (*Luc. VI. 6, 7.*)

Et interrogabant eum dicentes : Si licet sabbatis curare? (*Matth. XII. 10.*)

Ut invenirent unde accusarent eum. (*Luc. VI. 7.*)

Suspicantes quod rursus quosdam curaturus esset, interrogatione eum anticipant, ut cum respondisset licitum esse, sumerent occasionem illum jam accusandi tamquam transgressorem,et ita prohiberent et illum ne curaret, et alios qui propter sanitates fuissent crediturí. Malebant enim suæ gentis homines morbis corrumpi, quam Christum glorificari. (*Euthymius in capit. 12. Matth.*)

Homo autem iste humanum genus significat in fecunditate boni operis arefactum, pro manu in primo parente ad pomum extensa, quam sanavit innocens manus in cruce extensa. (*Beda.*)

II. — Ipse vero sciebat cogitationes eorum : et ait homini qui habebat manum aridam : Surge, et sta in medium. Et surgens stetit.

Ait autem ad illos Jesus : Interrogo vos si licet sabbatis benefacere, animam salvam facere, an perdere? (*Luc. VI. 8, 9.*) At illi tacebant. (*Marc. III. 4.*) Ipse autem dixit illis : Quis erit ex vobis homo, qui habeat ovem unam, et si ceciderit hæc sabbatis in foveam, nonne tenebit, et levabit eam?



Quanto magis melior est homo ove? Itaque licet sabbatis benefacere. (*Matth. XII. 11, 12.*)

Hic est mos adversarii : pascit in se doloris morbum aliorum præconiis : unde sequitur : *Surge et sta in medio :* ut forsan incitaret ad pietatem crudelem Pharisæum, et ipsa passio flammas mitigaret livoris. (*Cyrillus.*)

Nimis est idonea quæstio (Domini). Nam si licet in sabbato benefacere, nec aliquid obstat ut laborantes a Deo misericordiam consequantur, desinas colligere adversus Christum calumniam : si autem non licet in sabbato benefacere , et lex prohibet animarum salutem, factus es legis accusator. Ipsam quoque sabbati sanctionem si velimus discutere, ad opus pietatis introductam fuisse reperiemus. Jussit enim in sabbato feriari : " Ut quiescat inquit, (Deut. V.) puer tuus et ancilla tua, bos tuus, et quodlibet pecus tuum. " Qui vero bovis miseretur et ceterorum pecorum, quomodo non miserebitur hominis gravi morbo perplexi? (*Cyrillus.*)

III. — Et circumspiciens eos cum ira, contristatus super cæcitate cordis eorum, dixit homini : Extende manum tuam. (*Marc. III. 5.*) Et extendit, et restituta est manus ejus. (*Luc. VI. 10.*) Sanitati sicut altera. (*Matth. XII. 13.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Et tu qui putas manum habere te sanam, cave ne avaritia vel sacrilegio contrahatur. Extende sæpius eam, ut proximum juves : ut viduæ præsidium feras : eripias injuria quem vides injuste contumeliæ subjacere : extende ad pauperem, qui te obsecrat, extende ad Dominum pro peccatis tuis; sic manus extenditur, sic sanatur. (*Ambrosius.*)

IV. — Ipsi autem repleti sunt insipientia, et colloquebantur ad invicem quidnam facerent Jesu. (*Luc. VI. 11.*)

Cernis o Pharisæe, operantem divina, ac superna majestate liberantem languentes, et mortem portas ex livore. (*Cyrillus.*)

## MORBIDUS.

### MEDITATIO CXX.

**Morbidus per 38 annos sabbato curatur.**

I. — Erat quidam homo ibi (*ad Probaticam piscinam*) triginta et octo annos habens in infirmitate sua.

Hunc cum vidisset Jesus jacentem, et cognovisset quia jam multum tempus haberet, dicit ei : Vis sanus fieri? (*Joan. V. 5, 6.*)



Non confestim a principio sanavit; sed primum eum familiarem sibi fecit, per interrogationem futuræ fidei faciens viam. Non expetit fidem ut in cæcis fecit, quia hic nondum sciebat eum manifeste quis esset. Nam alii quidem ex aliis ejus virtutem cognoscentes, convenienter hæc audiebant; alii vero, nondum eum cognoscentes, sed per signa eum cognituri, post miracula requiruntur de fide. (*Chrysostomus.*)

II. — Respondit ei languidus : Domine hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam : dum venio enim ego, alius ante me descendit.

Dicit ei Jesus : Surge : tolle grabatum tuum, et ambula.

Et statim sanus factus est homo ille : et sustulit grabatum suum, et ambulabat. Erat autem Sabbatum in die illo. (*Joan. V. 7, 8, 9.*)

Non autem turbatus est ad interrogationem, neque dixit, injuriari mihi venisti, quando interrogas si volo sanus fieri, sed mansuete respondet. Non noverat quis esset qui interrogabat, neque quod curaturus esset eum : opinabatur autem fortasse utilem sibi fore Christum ad mittendum eum in aquam. Sed Christus ostendit quod verbo omnia potest facere. (*Chrysostomus.*)

UANL UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Heri in lecto decumbebas, derelictus et neglectus, nec habebas hominem, qui cum aqua turbata esset, te in piscinam mitteret, hodie invenisti hominem quidem et deum, seu potius deum hominem. (*Gregor. Nazianz. In Sanct. lavacrum.*)

III. — Dicebant ergo Judæi illi, qui sanatus fuerat : Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum.

Respondit eis : Qui me sanum fecit, ille mihi dixit : Tolle grabatum tuum, et ambula.

Interrogaverunt eum : Quis est ille homo, qui dixit tibi : Tolle grabatum tuum, et ambula?

Is autem qui sanus fuerat effectus nesciebat quis esset. Jesus enim declinavit a turba constituta in loco. (*Joan. V. 10, 11, 12, 13.*)

Si quidem mediocri corde et humano ingenio consideremus hoc miraculum facientem, quod ad potestatem pertinet, non magnum aliquid fecit; et quod ad benignitatem, parum fecit. Tot jacebant, et unus curatus est, cum posset uno verbo omnes erigere. Quid ergo intelligendum est, nisi quia potestas illa et bonitas magis agebat quid animæ in factis ejus, pro salute sempiterna intelligerent, quam quid pro temporali salute corpora mererentur. (*Augustinus.*)



IV. — Postea invenit eum Jesus in templo, et dixit illi : Ecce sanus factus es : jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

Abiit ille homo, et nuntiavit Judæis quia Jesus esset, qui fecit eum sanum. (*Joan. V. 14, 15.*)

Dominus quidem Jesus et in turba eum videbat, et in templo. Ille autem languidus Jesum in turba non agnoscit, in templo agnoscit. (*Augustinus.*)

Quia si gratiam conditoris cognoscere volumus, et ad ejus visionem venire, fugienda est turba cogitationum et affectuum pravorum; declinanda sunt pravorum conventicula : fugiendum est ad templum, ut nosmetipsos templum Dei studeamus facere, quos Deus invisere et in quibus manere dignetur. (*Alcuinus.*)

Vide quod hic tanto tempore pro peccatis cruciabatur : non enim temporis mensura peccata judicantur, sed ipsa delictorum natura. Si autem hic non omnes pro peccatis torquentur, non confidamus : nihil enim nos hic pati pro peccatis, signum est majoris illic futuri supplicii. Non autem omnes ægritudines sunt ex peccatis, sed plures. Quædam enim et a pigritia fiunt, quædam propter probationem, sicut in Job. (*Chrysostomus.*)

## MEDITATIO CXXI.

**Christus factum istud a calumniis Judæorum defendit.**

I. — Propterea persequebantur Judæi Jesum, quia hæc faciebat in sabbato.

Jesus autem respondit eis : Pater meus usque modo operatur, et ego operor.

Propterea ergo magis quærebant eum Judæi interficere : quia non solum solvebat sabbatum, sed et Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. (*Joan. V. 16, 17, 18.*)

Quod Dominus ait, *Pater meus usque modo operatur*, continuationem quamdam operis ejus, quæ universam creaturam continet atque administrat ostendit. Neque enim sicut structuram ædium cum fabricaverit quis abscedit, atque illo cessante stat opus ejus, ita mundus; vix ictu oculi stare potest, si ei Deus regimen suum subtraxerit. (*Augustinus.*)

Hæc dicendo, quod ei esset æqualis voluit intelligi; consequens esse ostendens ut quoniam pater operatur, et Filius operetur : quia Pater sine Filio non operatur. Ergo non hic irascebantur quia patrem suum dicebat Deum, sed quod longe alio modo quam homines. (*Augustinus.*)



II. — Respondit itaque Jesus, et dixit eis :

Amen, amen dico vobis : non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem : quæcumque enim ille fecerit, hæc et Filius similiter facit. (*Joan. V. 19.*)

Quid scandalizati estis quia Patrem meum dixi Deum, et quia æqualem me feci Deo. Ita sum æqualis, ut ille me genuerit, non ut ille a me, sed ego ab illo sim. Filio hoc est esse quod posse. Quia ergo substantia Filii de Patre est, ideo potentia Filii de Patre est : quia ergo Filius non est a se : ideo non potest a se. Sic ergo *non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem* : quia videre Filii hoc est natum esse de Patre : non alia visio est ejus et alia substantia ejus : totum quod est, de Patre est. (*Augustinus.*)

III. — Pater enim diligit Filium, et omnia demonstrat ei quæ ipse facit : et majora his demonstrabit opera, ut vos miremini.

Sicut enim Pater suscitat mortuos et vivificat : sic et Filius quos vult, vivificat.

Neque enim Pater judicat quemquam : sed omne judicium dedit Filio.

Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem : Qui non honorificat Filium non honorificat Patrem qui misit illum. (*Joan. V, 20, 21, 22, 23.*)

Vide quomodo Verbum Christi mentem nostram huc atque illuc ducit, et uno carnis loco remanere non sinit ; ut versando exerceat, exercendo mundet, mundando capaces factos impleat. Paulo enim ante dicebat, quia demonstrat Pater Filio quidquid facit Videbam quasi Patrem facientem, et Filium exspectantem : modo rursus video Filium facientem, Patrem vacantem. (*Augustinus.*)

Conclusa igitur sunt omnia adversum hæretici furoris ingenia. Filius est, quia a se nihil facit : Deus est, quia quæcumque Pater facit et ipse eadem facit : unum sunt quia exæquantur in honore; non est Pater ipse quia missus est. (*Hilarius.*)

IV. — Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, et credit ei qui misit me, habet vitam æternam, et in judicium non venit, sed transit a morte ad vitam. (*Joan. V. 24.*)

Videmus autem homines amatores præsentis vitæ temporalis ac finiendæ, sic pro illa laborare ut quando veniat mortis metus, quid possunt faciant non ut auferant, sed ut differant mortem. Si ergo tanto labore, tanta cura agitur ut aliquantulum plus vivatur : Quomodo agendum est ut semper vivatur? Et si prudentes dicuntur qui omnibus modis agunt, ut differant mortem et vivant paucos dies; quam stulti sunt qui sic vivunt ut perdant æternum diem. (*Augustinus.*)



## MORTUI RESUSCITATI.

### MEDITATIO CXXII.

**Jairus Christum deprecatur pro filia sua moribunda.**

I.—Ecce venit vir cui nomen Jairus. (*Luc. VIII. 41.*) de Archisynagogis. (*Marc. V. 22.*) Et ipse princeps synagogæ erat. (*Luc. VIII. 41.*) Et videns Jesum procidit ad pedes ejus. (*Marc. V. 22.*) — Et adorabat eum. (*Mat. IX. 18.*) Rogans eum ut intraret in domum ejus.

Quia unica filia erat ei fere annorum duodecim, et hæc moriebatur. (*Luc. VIII. 41, 42.*)

Accessit autem non aliquis infimorum, sed princeps synagogæ, ut magis obturarentur Judæorum ora. Accessit autem ad Christum causa necessitatis : urget enim

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

aliquando dolor ad agendum ea quæ decent, secundum illud (*Psal. XXXI:*) " In camo et freno maxillas eorum constringe qui non approximant ad te " (*Titus.*)

Luctus magnus, quia puella unigenita, et duodecim annorum; quando incipit esse flos ætatis. (*Chrysostomus.*)

II. — Et deprecabatur eum multum, dicens : Quoniam filia mea in extremis est, veni, impone manum super eam, ut salva sit, et vivat. (*Marc. V. 23.*)

Domine, filia mea modo defuncta est : sed veni, impone manum tuam super eam, et vivet. (*Mat. IX. 18.*)

Vide autem (*Jairi*) grossitiem. Duo enim expetit a Christo : et accedere ipsum, et manum imponere. Hoc etiam Syrius ille Naaman a Propheta expetebat. Etenim et visu indigent et sensibilibus rebus qui grossitius dispositi sunt. (*Chrysostomus.*)

III. — Et surgens Jesus sequebatur eum, et discipuli ejus. (*Matth. IX. 19.*) Abiit cum illo, et sequebatur eum turba multa, et comprimebant eum. (*Marc. V. 24.*)

Miranda est autem pariter atque imitanda Domini humilitas et mansuetudo : nam mox ut rogatus est, rogantem cœpit sequi.



Hic subditos et prælatos pariter instruxit : subditis exemplum obedientiæ reliquit ; prælatis vero instantiam et sollicitudinem docendi demonstravit : ut quotiescumque audierint aliquem mortuum in anima, statim adesse studeant. (*Chrysostomus.*)

## MEDITATIO CXXIII.

### Filia Jairi nuntiatur mortua : Christus eam resuscitat.

I. — Venit quidam ad principem synagogæ, dicens ei : Quia mortua est filia tua, noli vexare illum. (*Luc. VIII. 49.*) — *Marcus etiam plures venisse scribit.* Veniunt ab Archisynagogo, dicentes : Quia filia tua mortua est : quid ultra vexas Magistrum? (*Marc. V. 35.*)

Jesus autem audito verbo (hoc *Luc.*) quod dicebatur, ait archisynagogo (patri puellæ. — *Luc.*)

Noli timere : tantummodo crede (*Marc. V. 36,*) et salva erit. (*Luc. VIII. 50.*)

Fidem Dominus exigit ab invocantibus eum, non quia indiget adminiculo aliorum : ipse namque et Dominus et largitor est fidei : sed ne videretur ex acceptione perso-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

narum sua dona conferre, ostendit quod credentibus favet, ne sine fide accipiant beneficia, et ea per infidelitatem aboleant : vult enim benefaciens durare gratiam, et sanans inconcussum permanere remedium. (*Augustinus.*)

II. — Cum venisset Jesus in domum principis. (*Mat. IX. 23.*)

Non permisit intrare secum quemquam nisi Petrum, et Jacobum et Joannem (fratrem Jacobi *Marc. V. 37*), et patrem et matrem puellæ.

Flebant autem omnes, et plangebant illam. (*Luc. VIII. 51, 52.*)

Cum vidisset tibicines et turbam tumultuantem. (*Mat. IX. 23.*)

Et flentes, et ejulantes multum, ingressus, ait illis : Quid turbamini, et ploratis? (*Marc. V. 38, 39.*)

Nolite flere. (*Luc. VIII. 52.*)

Recedite : non est enim mortua puella, sed dormit. Et deridebant eum (*Matth. IX. 24.*) — (*Marc. V. 40.*) scientes quod mortua esset. (*Luc. VIII. 53.*)

Non humilis Christus ad ostentationem voluit aliquid operari. (*Theophylactus.*)

dA hoc etiam illud nota, quod deflentes exclusit a domo, et indignos ostendit hujus



visione. Quod si tunc exclusit, multo magis nunc : tunc enim nondum patuerat in somnum mortem fuisse conversam. Nullus ergo de cetero se contemnat, injuriam inferens Christi victoriæ, qui superavit mortem, et eam in somnum convertit. (*Chrysostom.*)

Hominibus quidem (puella) mortua erat, qui suscitare nequiverant; Deo dormiebat in cujus dispositione et anima vivebat, et caro resuscitanda quiescebat. Unde mos apud Christianos obtinuit ut mortui, qui resurrecturi non dubitantur, dormientes vocentur. (*Beda.*)

III. — Et cum ejecta esset turba intravit. (*Mat. IX. 25.*)

Ipse vero, ejectis omnibus assumit patrem, et matrem puellæ, et qui secum erant, et ingreditur ubi puella erat jacens.

Et tenens manum puellæ, ait illi : Talitha cumi, quod est interpretatum. — Puella (tibi dico) surge. (*Marc. V. 40, 41.*) Et reversus est spiritus ejus, et surrexit continuo. (*Luc. VIII. 55.*)

Et ambulabat : erat autem annorum duodecim. (*Marc. V. 49.*) Et jussit illi dari manducare. (*Luc. VIII. 55.*)

Non autem erant digni ut viderent mysterium resurgentis qui resuscitantem indignis contumeliis irridebant. (*Hieronymus.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Tenens autem Dominus manum puellæ sanavit eam : beatus enim si cujus manus sapientia teneat, inducat in penetralia sua, jubeat manducare : panis enim cœlestis est Dei verbum : inde et illa sapientia quæ Dei corporis et sanguinis altaria replevit alimentis " Venite inquit (*Prov. IV. 5,*) edite panes meos, et bibite vinum quod miscui vobis." (*Ambrosius.*)

IV. — Obstupuerunt (parentes ejus *Luc. VIII. 56*) stupore magno.

Et præcepit illis vehementer ut nemo id sciret. (*Marc. V. 42, 43.*) Ne alicui dicerent quod factum erat. (*Luc. VIII. 56.*)

Et exiit fama hæc in universam terram illam. (*Matth. IX. 26.*)

Stupefactos miraculo et pene clamantes parentes cohibet ne factum prædicent : ostendens quod largitor bonorum est, non autem cupidus gloriæ; datque totum, nihil recipiens : qui vero venatur operum gloriam aliquid quidem exhibuit, aliquid vero recepit. (*Græcus.*)



## MEDITATIO CXXIV.

### Filius unius viduæ mortuus suscitatur a Christo.

I. — Et factum est : deinceps ibat in civitatem quæ vocatur Naim : et ibant cum eo discipuli ejus, et turba copiosa.

Cum autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ : et hæc vidua erat : et turba civitatis multa cum illa. (*Luc. VII. 11, 12.*)

Mira Dominus miris annectit ; et supra quidem accersitus occurrit, hic vero non vocatus accedit. (*Cyrillus.*)

Divino autem nutu multa turba Dominum comitatur ut multi essent testes tanti miraculi. (*Beda.*)

Ærumnæ molem brevibus verbis explicuit. Mater vidua erat, et non sperabat ultra filios procreare : non habebat in quem adspectum dirigeret vice defuncti : hunc solum lactaverat, solus aderat alacritatis causa in domo : quicquid matri dulce ac pretiosum, hic solus exstiterat. (*Gregorius Nyssenus.*)

II. — Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi : Noli flere.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Et accessit et tetigit loculum, (hi autem qui portabant steterunt). Et ait : Adolescens, tibi dico, surge.

Et resedit qui erat mortuus, et cœpit loqui. Et dedit illum matri suæ. (*Luc. VII. 13, 14, 15.*)

Miseranda passio, et ad fletum et lacrymas potens provocaret, unde : *Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus*, etc. (*Cyrillus.*)

Quasi dicat : Desiste quasi mortuum flere, quem mox vivum resurgere videbis. (*Beda.*)

Ideo autem non solo verbo peragit miraculum, sed et feretrum tangit, ut cognoscas efficax esse sacrum Christi corpus ad humanam salutem. (*Cyrillus.*)

III. — Accepit autem omnes timor : et magnificabant Deum, dicentes : Quia propheta magnus surrexit in nobis : et quia Deus visitavit plebem suam.

Et exiit hic sermo in universam Judæam de eo, et in omnem circa regionem.

Et nuntiaverunt Joanni discipuli ejus de omnibus his. (*Luc. VII. 16, 17, 18.*)

Idoneum est dicere, quod septem resurrectiones ante dominicam narrantur : quarum prima est filii Sareptanæ, secunda filii Sunamitis, tertia quæ facta est in reliquiis Elisei, quarta quæ facta est in Naim, quinta filiæ Archisynagogi, sexta Lazari, septima in Christi passione, multa namque corpora sanctorum surrexerunt; octava est Christi, qui expers mortis remansit ulterius, in signum quod communis resurrectio, quæ futura est in octava ætate non tollitur morte, sed indissolubilis permanebit. (*Ambrosius.*)



## MEDITATIO CXXV.

### Lazarus ante quatriduanum mortuus vitæ restituitur.

*Vide meditationes lxiv, lxv, lxvi, lxvii, lxviii, lxix.*

I. — Erat autem quidam languens Lazarus a Bethania, de castello Mariæ et Marthæ sororis ejus. (*Joan. XI. 1.*)

Miserunt ergo sorores ejus ad eum, dicentes : Domine, ecce quem amas infirmatur.

Audiens autem Jesus dixit eis : Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam. (*Joan. XI. 3, 4.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Mansit ergo in eodem loco duobus diebus. (*Joan. XI. 6.*)

Inter omnia miracula, quæ Dei Filius, ut suam panderet divinitatem operatus est supereminet hoc, et quasi quemdam obtinet principatum quod circa Lazarum fecit. Et quidem singula opera ejus admiratione dignissima sunt. (*Cyrillus ibidem.*)

Multam devotionem et fidei magnitudinem exprimebant (Maria et Martha) dicentes, *ecce quem amas infirmatur :* tantam enim potentiam in Domino esse credebant, quod mirum videretur qualiter virum sibi dilectum infirmitas potuerit occupare. (*Theophylactus.*)

II. — Post hæc dixit eis (discipulis suis): Lazarus amicus noster dormit : sed vado, ut a somno excitem eum. (*Joan XI. 11.*)

Dixerat autem Jesus de morte ejus : illi autem putaverunt quia de dormitione somni diceret.

Tunc ergo Jesus dixit eis manifeste : Lazarus mortuus est. (*Joan. XI, 13, 14.*)

Secundum potentiam suam dixit dormientem, sicut et Apostolus dicit; (*I. Thess. V.*) " De dormientibus autem nolo vos ignorare. " Dormientes appellavit, quia resurrecturos prænuntiavit. Sed quomodo interest in ipsis qui quotidie dormiunt et exsurgunt,



quid quisque videat in somnis; alii sentiunt læta somnia, alii torquentia : sic unusquisque cum causa sua dormit, cum causa sua surgit. (*Augustinus.*)

Non autem cum dixerit Dominus "*Lazarus mortuus est*" adjecit, vado ut resuscitem eum : non enim volebat verbis prædicere quod per opera debebat certificare, vanam gloriam nos ubique fugere docens. (*Chrysostomus.*)

III. — Venit itaque Jesus : et invenit eum quatuor dies jam in monumento habentem. (*Joan. XI. 17.*)

Et dixit : Ubi posuistis eum? Dicunt ei : Domine, veni, et vide. (*Joan. XI. 34.*)

Jesus ergo, venit ad monumentum : erat autem spelunca : et lapis superpositus erat ei.

Ait Jesus : Tollite lapidem. Dicit ei Martha soror ejus, qui mortuus fuerat : Domine jam fœtet, quatriduanus est enim. (*Joan. XI. 38, 39.*)

Quod et interrogat (*locum sepulti*), vocationem nostram, quæ fit in occulto, arbitror significare. Prædestinatio enim nostræ vocationis occulta est, cujus secreti signum est interrogatio Domini quasi nescientis, cum ipsi nesciamus : vel quod ignorare se

peccatores, alio loco Dominus ostendit, dicens : (*Matth. VII.*) " Non novi vos : " Quia in disciplina et præceptis ejus non sunt peccata. (*Augustinus.*)

IV. — Tulerunt ergo lapidem : Jesus autem voce magna clamavit : Lazare veni foras.

Et statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes, et manus institis, et facies illius sudario erat ligata. Dixit eis Jesus : Solvite eum, et sinite abire. (*Joan. XI. 41, 43, 44.*)

Sunt enim nonnulli qui, latente tantum cogitatione peccati, sibi mortem consciscunt ; sed tales se vivificare significans Dominus suscitavit filiam Archisynagogi.

Alii vero ipsum malum quo delectantur agendo, mortuum suum quasi extra portas efferunt : et hos se suscitare demonstrans, suscitavit filium viduæ extra portas civitatis. Quidam vero etiam peccati consuetudine se quasi sepeliendo corrumpunt : et ad hos etiam erigendos adest gratia Salvatoris : ad quod intimandum resuscitavit Lazarum quatuor dies in monumento habentem.

Quanto autem gravior est mors animæ, tanto acrior pœnitentis fervor insistat. Unde jacentem in conclavi mortuum levi voce resuscitat : delatum foras juvenem pluribus dictis corroborat : ad quatriduanum vero



suscitandum fremuit spiritu, lacrymas fudit, et voce magna clamavit. Sed et hic notandum, quod publica noxia publico egent remedio : levia peccata, secreta queunt pœnitentia deleri. Puella in domo jacens paucis arbitris resurgit : juvenis extra domum turba multa comitante suscitatur : Lazarus de monumento vocatus multis populis innotuit. (*Beda, Cap. XXXIII, in Luc.*)

## MUTILATUS.

### MEDITATIO CXXVI.

#### Christus Malcho abscissam aurem restituit.

I. — Videntes autem hi, qui circa ipsum erant, quod futurum erat, dixerunt ei : Domine, si percutimus in gladio? (*Luc. XXII. 49.*)

Simon ergo Petrus habens gladium eduxit eum : et percussit pontificis servum : et abscidit auriculam ejus dexteram. Erat autem nomen servo Malchus. (*Joan. XVIII. 10.*)

Sed qualiter jussus non peram habere neque duo vestimenta, gladium habet? Mihi videtur hunc formidans præparasse dudum. (*Chrysostomus.*)

Vel ad opus agni illo indigens, ferebat hunc etiam post cœnam. (*Theophylactus.*)

Qui percussit, secundum Joannem, Petrus erat : quem autem percussit, Malchus vocabatur. (*Augustinus.*)

Eruditus enim in lege Petrus promptus affectu, qui sciret Phinees reputatum ad justitiam quod sacrilegos peremisset, percussit principis servum. (*Ambrosius.*)

II.—Dixit ergo Jesus Petro : Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum ? (*Joan. XVIII. 11.*)

Factum autem Petri Dominus improbavit, et progredi ultra prohibuit. Etenim ille ad patientiam commonendus fuit. (*Augustinus.*)

Non solum autem minis eum cohibuit ut Matthæus refert, sed et aliter consolatur eum dicens : *Calicem quem dedit mihi Pater*, etc. Ostendens quoniam non illorum virtutis quæ fiebant erant, sed suæ concessionis; et quod non est Deo contrarius, sed obediens usque ad mortem. (*Chrysostomus.*)

III. — Respondens autem Jesus, ait : Sinite usque huc. Et cum tetigisset auriculam ejus, sanavit eam. (*Luc. XXII. 51.*)



Nunquam enim pietatis suæ Dominus obliviscitur. Illi justo mortem inferunt, iste persequentium vulnera sanat. (*Beda.*)

Magnum est quod factum est, non solum quia curavit, sed quia curavit eum qui super eum venerat, et paulo post alapam daturus erat. (*Chrysostomus.*)

## MEDITATIO CXXVII.

**Mutus, cæcus, simulque a dæmone obsessus, linguam et oculos recipit.**

*Vide inter dæmoniacos.* (*Medit. CVII.*)

# MUTUS ET SURDUS.

## MEDITATIO CXXVIII.

**Mutus et surdus aures ac linguam recipit.**

I. — Jesus exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad Mare Galilææ inter medios fines Decapoleos.

Et adducunt ei surdum, et mutum, et deprecabantur eum, ut imponat illi manus. (*Marc. VII. 31, 32.*)



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Surdus et mutus est qui nec aures audiendi verba Dei habet, nec os aperit pro loquendis: quales necesse est ut hi qui loqui jam, et audire divina eloquia didicerunt, Domino sanandos offerant. (*Beda.*)

II. — Et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas ejus : et exspuens tetigit linguam ejus :

Et suspiciens in cœlum, ingemuit, et ait illi : Ephpheta, quod est adaperire.

Et statim apertæ sunt aures ejus, et solutum est vinculum linguæ ejus, et loquebatur recte. (*Marc. VII. 33, 34, 35.*)

Seorsum autem a turbulentis cogitationibus, et actibus inordinatis, sermonibusque incompositis educitur qui sanari meretur. Digiti autem qui in aures mittuntur, verba, vel dona Spiritus sunt, de quo dicitur (*Exod. VIII.*) " Digitus Dei est hic. " Sputum autem diviva Sapientia est, quæ solvit vinculum labiorum humani generis, ut dicat : " Credo in Deum Patrem omnipotentem " et cetera. Suscipiens autem in cœlum ingemuit, id est gemere nos docuit, et in cœlum thesauros cordis nostri erigere ; quia per gemitum compunctionis intimæ frivola lætitia carnis purgatur. Apertæ sunt autem aures ad hymnos et cantica et psalmos. Solvit linguam, ut eructet verbum bonum,



quod non possunt mina nec verbera cohibere. (*Hieronymus.*)

III. — Et præcepit illis ne cui dicerent. Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant.

Et eo amplius admirabantur dicentes : Bene omnia fecit : et surdos fecit audire, et mutos loqui. (*Marc. VII. 36, 37.*)

Si autem sciebat eos, tanto magis prædicaturos quanto magis ne prædicarent eis præcipiebat : ut quid hæc præcipiebat? Nisi pigris volebat ostendere quanto gaudiosius, quanto ferventius eum prædicare debeant, quibus jubet ut prædicent, quando illi qui prohibebantur, tacere non poterant? (*Augustinus.*)

## PARALYTICI.

### MEDITATIO CXXIX.

**Christus paralytico dimittit prius peccata.**

I. — Jesus iterum intravit Capharnaum (civitatem suam. *Mat. IX. 1.*) post dies.

Et auditum est quod in domo esset, et convenerunt multi, ita ut non caperet

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

neque ad januam, et loquebatur eis verbum. (*Marc. II. 1, 2.*)

Factum est in una dierum, et ipse sedebat docens. Et erant Pharisæi sedentes, et legis doctores, qui venerant ex omni castello Galilææ, et Judææ, et Jerusalem : et virtus Domini erat ad sanandum eos. (*Luc. V. 17.*)

Non quasi mutus acciperet potestatem alterius, sed quasi Deus et Dominus propria operabatur virtute. Quia vero necessarium erat, ubi tanta Scribarum et Pharisæorum turba convenerat, aliquid fieri ex his quæ virtuti attestarentur ipsius coram eis qui eum parvipendebant; factum est quoddam miraculum in paralytico : in quo, quia defecisse videbatur medicinalis ars, portabatur a proximis ad supernum et cœleste remedium. (*Cyrillus.*)

II. — Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto. (*Mat. IX. 2.*) Qui a quatuor portabatur. (*Marc. II. 3.*) Et quærebant eum inferre, et ponere ante eum.

Et non invenientes qua parte illum inferrent præ turba.(*Luc. V. 18, 19.*) Et cum non possent offerre eum illi præ turba. (*Marc. II. 4.*) Ascenderunt supra tectum.



(*Luc. V. 19.*) Nudaverunt tectum ubi erat : et patefacientes submiserunt grabatum in quo paralyticus jacebat. (*Marc. II. 4.*) Per tegulas summiserunt eum cum lecto in medium ante Jesum. (*Luc. V. 19.*)

Primum omnium unusquisque æger petendæ precatores salutis debet adhibere, per quos vitæ nostræ compago resoluta, actuumque nostrorum clausa vestigia, verbi cœlestis remedio reformentur. Sint igitur aliqui monitores mentis, qui animum hominis quamvis exterioris corporis debilitate torpentem ad superiora erigant. (*Ambrosius. lib. 5. Luc. cap. 5.*)

III. — Cum autem vidisset Jesus fidem illorum, ait paralytico. (*Marc. II. 5.*) Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. (*Mat. IX. 2. — Marc. II. 5. — Luc. V. 20.*) Et cœperunt cogitare Scribæ, et Pharisæi, dicentes (intra se : Hic blasphemat. (*Mat. IX. 3.*) Quis est hic qui loquitur blasphemias. (*Luc. V. 21.*) Erant illic quidam de Scribis sedentes et cogitantes in cordibus suis :

Quid hic sic loquitur? blasphemat. (*Marc. II. 6, 7.*) Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? (*Marc. II. 7.— Luc. V. 21.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Pensate quantum valeat fides propria apud Deum, apud quem tantum valuit fides aliena. (*Ambrosius.*)

Mira Domini humilitas : despectum et debilem, totisque membrorum dissolutum compagibus filium vocat, quem sacerdotes non dignarentur attingere : aut certe ideo filium, quia dimittuntur ei peccata sua. (*Beda.*)

Ubi datur nobis intelligentia, propter peccata plerasque evenire corporum debilitates. Et idcirco forsitan prius dimittuntur peccata ; ut causis debilitatis ablatis sanitas restituatur. (*Hieronymus.*)

Scribæ autem diffamare volentes, etiam nolentes fecerunt clarere quod factum est, hoc enim est superabundantia ejus sapientiæ quod sua per inimicos manifestat. (*Chrysostomus.*)

## MEDITATIO CXXX.

**Christus, dimissis paralytico peccatis, eumdem sanitati restituit.**

I. — Ut cognovit Jesus (spiritu suo *Marc. II. 8.*) cogitationes eorum, respondens dixit ad illos : (*Luc. V. 22.*) Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?

Quid est facilius dicere : Dimittuntur tibi peccata tua : an dicere : Surge, et ambula. (*Mat. IX. 5. — Marc. II. 9. — Luc. V. 23.*)



O Pharisæi, quia dicitis, *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Respondeo vobis : Quis potest secreta cordis scrutari, nisi solus Deus? qui per Prophetas dicit (*Jerem. XVII.*) " Ego Dominus scrutans corda et probans renes. " (*Cyrillus.*)

Si ergo increduli estis erga primum, scilicet remissionem peccati, ecce aliud adjicio dum intima vestra patefacio : quia etiam aliud dum paralytici corpus consolido. (*Chrysostomus.*)

II. — Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait Paralytico : Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam. (*Mat. IX. 6. — Marc. II. 10, 11. Luc. V. 24.*) Et confestim consurgens coram illis, tulit lectum, in quo jacebat : et abiit in domum suam, magnificans Deum. (*Luc. V. 25.*)

Ut cognoscatis quoniam qui apparet vobis homo, potestatem habeat tamquam deus respicite. Quia remittere peccata latentem habet demonstrationem : ad erigendum autem sua auctoritate paralyticum manifesta opus erat demonstratione, facit quod manifestum est in signum ejus quod erat occul-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tum, et per hoc et per illud facit fidem quod hoc possit et illud. (*Euthymius, ibid.*)

Sortiti sumus etiam nos ab eo tam mirabilem gratiam : dictum est enim discipulis, (*Joan. XX.*) " Quorum remiseritis peccata remittuntur eis. " Quomodo autem non magis ipse peccata dimittit, qui ceteris potestatem faciendi hoc tradit? (*Cyrillus.*)

III. — Videntes autem turbæ timuerunt, et magnificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus. (*Mat. IX. 8.*)

Surrexit ille : et, sublato grabato, abiit coram omnibus, ita ut mirarentur omnes, et honorificarent Deum, dicentes : Quia nunquam sic vidimus. (*Marc. II. 12.*)

Stupor apprehendit omnes, et magnificabant Deum. Et repleti sunt timore, dicentes : Quia vidimus mirabilia hodie. (*Luc. V. 26.*)

Divini operis miracula malunt timere quam credere. Si autem credidissent, non timuissent utique, sed dilexissent : perfecta enim dilectio foras timorem excludit. (*Ambrosius.*)

Magni timoris res est, non dimissis a Christo peccatis, in mortem resolvi : quia nullus est in domum æternam reditus, si cui indulta non fuerit venia delictorum. Cessante autem timore, honor Deo redditur quod potestas hominibus hac via data sit per verbum ejus, et peccatorum remissionis, et corporum resurrectionis, et reversionis in cœlum. (*Hilarius.*)



## MEDITATIO CXXXI.

### Servi paralytici herus mittit seniores Judæorum ad Christum.

I. — Cum Jesus implesset omnia verba sua in aures plebis, intravit Capharnaum. Centurionis autem cujusdam servus male habens, erat moriturus : qui illi erat pretiosus. (*Luc. VII. 1, 2.*)

Strenuus quidem in bellis erat iste centurio, et militibus Romanis præfectus. Quia vero specialis servus ejus domi languens jacebat, considerans quales Salvator erga ceteros virtutes agebat sanando languidos, et judicans quod non secundum vires humanas hæc agebantur miracula, mittit ad eum ut ad Deum, non habito respectu ad apparens organum quo cum hominibus conversabatur. (*Eusebius.*)

II. — Et cum audisset de Jesu, misit ad eum seniores Judæorum rogans eum ut veniret, et salvaret servum ejus. (*Luc. VII. 3.*)

Qualiter Matthæus dicit quod ipse (centurio) dixit : " Non sum dignus ut intres sub tectum meum : " Lucas autem hic dicit, quoniam rogat ut veniat? Sed mihi videtur quod Lucas significat nobis Judaicas blanditias. Credibile enim est ut eum vellet abire centurio, retraheretur a Judæis blandientibus, et dicentibus, quia nos euntes ducemus eum : unde et eorum preces adulationibus plenæ sunt. (*Chrysostomus.*)

III. — At illi cum venissent ad Jesum rogabant eum sollicite, dicentes ei : Quia dignus est ut hoc illi præstes.

Diligit enim gentem nostram : et Synagogam ipse ædificavit nobis.

Jesus autem ibat cum illis. (*Luc. VII. 4, 5, 6.*)

Seniores quidem Judæorum pro modicis sumptibus ad opus synagogæ datis gratiam poscunt : sed Dominus non propter hoc, sed pro majori causa, volens scilicet generare credulitatem in cunctis mortalibus per suam virtutem, seipsum exhibuit. (*Eusebius.*)

Quod utique non ideo faciebat quia abiens curare non poterat : sed ut formam tibi daret humilitatis imitandæ. (*Ambrosius.*)



## MEDITATIO CXXXII.

### Idem herus centurio Christum per amicos adit, et alloquitur.

I. — Et cum jam non longe esset a domo, misit ad eum centurio amicos, dicens : Domine noli vexari : non enim sum dignus ut sub tectum meum intres. (*Luc. VII. 6.*)

Centurio vero militari tumore deposito, reverentiam sumit, et ad fidem facilis, et ad honorificentiam promptus, non enim hominis, sed Dei potestate conjecit dari a Christo hominibus sanitatem. Judæi quidem dignitatem ejus prætenderant : iste vero indignum se asseruit non solum beneficii, sed etiam susceptionis Domini.

II. — Propter quod et me ipsum non sum dignum arbitratus ut venirem ad te, sed dic verbo et sanabitur puer meus. (*Luc. VII. 7.*)

Attende centurionem debitam opinionem habentem de Domino : non enim dixit : Ora, sed tantummodo : Jube. (*Chrysostomus.*)

III. — Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, et dico huic, Vade, et vadit : et alii,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Veni, et venit : et servo meo, Fac hoc, et facit. (*Luc. VII. 8.*)

Hominem se potestati, vel tribuni, vel præsidis subditum dicit : imperare tamen minoribus : ut subaudiatur, eum multo magis qui Deus sit, non per adventum tantum corporis, sed per Angelorum ministeria posse implere quod vellet. (*Beda.*)

## MEDITATIO CXXXIII.

**Centurio denique Christum adit et servus paralyticus verbo sanatur.**

I. — Accessit ad eum centurio, rogans eum;

Et dicens : Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, et male torquetur.

Et ait illi Jesus : Ego veniam, et curabo eum. (*Matth. VIII. 5, 6, 7.*)

Omnia ista cum dolore cognominavit : et jacentem, et paralyticum, et male detentum : ideo ut animæ suæ angustias demonstraret, et Dominum commoveret : sic debent omnes condolere servis et eorum curam habere. (*Rabanus.*)

Quod nunquam fecit hic facit Jesus : Ubique enim sequitur voluntatem supplicantium, hic autem præsilit, et non solum



curare promittit, sed ire ad domum. Facit autem hoc, ut discamus centurionis virtutes. (*Chrysostomus.*)

II. — Et respondens centurio, ait : Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum : sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus. (*Matth. VIII. 8.*)

Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, et dico huic, Vade, et vadit : et alii, Veni, et venit : et servo meo, Fac hoc, et facit. (*Matth. VIII. 9.*)

Dicendo autem se indignum præstitit dignum, non in cujus parietes, sed in cujus cor Verbum Dei Christus intraret. Neque hoc diceret cum tanta fide et humilitate, nisi illum quem timebat intrare domum suam, corde gestaret : Nam non erat magna felicitas, si Jesus intraret in parietes ejus, et non esset in pectore ejus. (*Augustinus.*)

III. — Audiens autem Jesus miratus est. (*Matth. VIII. 10.*)

Et conversus sequentibus se turbis, dixit : Amen dico vobis, nec in Israel tantam fidem inveni. (*Luc. VII. 9.* — *Matth. VIII. 10.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Dico autem vobis, quod multi ab Oriente, et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac et Jacob in regno cœlorum :

Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores : ibi erit fletus, et stridor dentium. (*Matth. VIII. 11, 12.*)

Attende quantum sit aut quale quod Dei unigenitus miratur. Aurum, divitiæ, regna, principatus in conspectu ejus sunt tamquam umbra vel flos decidens : nihil ergo horum in conspectu Dei mirabile est, quasi magnum vel pretiosum ; sed tantum fides : hanc miratur honorificans, hanc acceptabilem sibi æstimat. (*Origenes.*)

IV. — Et dixit Jesus centurioni : Vade, et sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora. (*Matth. VIII. 13.*)

Et reversi, qui missi fuerant domum, invenerunt servum, qui languerat, sanum. (*Luc. VII. 10.*)

Sicut Dominus domum centurionis corpore non intravit, sed abiens corpore, præsens majestate, puerum sanavit ; sic et in solo Judaico populo corpore fuit : apud alias autem gentes, nec de virgine natus est, nec passus est, nec humana pertulit, nec divina mirabilia fecit ; et tamen impletum est quod dictum erat. (*Psal. XVII.*) " Populus quem non cognovi, servivit mihi ; in auditu auris obedivit mihi. " Judæa enim gens cognovit, et crucifixit ; orbis terrarum audivit et credidit. (*Augustinus.*)



## SURDUS.

### MEDITATIO CXXXIV.

**Christus aperit aures surdi et vinculum linguæ solvit eidem.**

*Vide inter mutos.* (*Med. CXXVII.*)

## TURBA VARIORUM ÆGRORUM.

### MEDITATIO CXXXV.

**Christus prædicans et sanans obit totam Galilæam.**

I. — Circuibat Jesus totam Galilæam, docens in synagogis eorum, et prædicans evangelium regni : et sanans omnem languorem, et omnem infirmitatem in populo. (*Matth. IV. 23.*)

UANL UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

In quo doctorum vita instruitur : ut enim non sint pigri, docentur per hoc quod dicitur : *Circuibat Jesus.* (*Remigius.*)

Quia enim illi ut debiles ad medicum venire non poterant, ipse sicut studiosus medicus, circuibat graviter ægrotantes : et Dominus quidem circuibat singulas regiones : qui autem sunt unius regionis pastores, considerando debent circuire populi singulas passiones, ut ad remedium passionis eorum, aliquod medicamentum in Ecclesia proferatur. (*Chrysostomus.*)

II. — Et abiit opinio ejus in totam Syriam, et obtulerunt ei omnes male habentes, variis languoribus, et tormentis comprehensos, et qui dæmonia habebant, et curavit eos. (*Matth. IV. 24.*)

Quia prædicatores debent habere bonum testimonium ab his qui foris sunt, ne si vita despicitur, prædicatio contemnatur, subditur : *Et abiit opinio ejus ad totam Syriam.* (*Glossa.*)

III. — Et secutæ sunt eum turbæ multæ de Galilæa, et Decapoli, et de Jerosolymis, et de Judæa, et de trans Jordanem. (*Matth. IV. 25.*)

Quadripartitæ sunt (turbæ scilicet quæ sequebantur Dominum). Alii propter cœleste magisterium, ut discipuli ; alii ob curationem infirmitatum : alii sola fama et curiositate, volentes experiri an verum esset quod dicebatur ; alii per invidiam, volentes eum in aliquo capere et accusare. (*Rabanus.*)



## ALIA MEDITATIO

*Ex capite IX. Matthæi.*

I. — Circuibat Jesus omnes civitates, et castella, docens in synagogis eorum, et prædicans evangelium regni, et curans omnem languorem, et omnem infirmitatem. (*Matth. IX. 35.*)

Vides autem quod æqualiter et vicis et urbibus et castellis, id est et magnis et parvis, Evangelium prædicaverit, ut non consideraret nobilium potentiam, sed salutem credentium. (*Hieronymus.*)

Quamvis annuntientur bona temporalia, tamen non dicitur Evangelium. Hinc est quod lex non nominatur Evangelium ; quia suis observatoribus non promittebat bona cœlestia, sed terrena. (*Remigius.*)

Sciendum est autem quia illos quos corpore sanabat forinsecus, mente sanabat intrinsecus. (*Remigius.*)

II. — Videns autem turbas, misertus est eis : quia erant vexati, et jacentes

sicut oves non habentes pastorem. (*Matth. IX. 36.*)

Per quod officium boni pastoris magis quam mercenarii in se Christus ostendit. Quare autem misertus sit? (*Remigius.*)

Quia erant vexati per diversas errores, et jacentes, id est torpentes, non valentes surgere : et cum haberent pastores, erant quasi non haberent pastorem. (*Rabanus.*)

Quoniam, principes Judæorum, pastores exsistentes ea quæ luporum erant ostendebant ; non solum enim non emendabant multitudinem, sed et nocebant eorum profectui. Illis enim admirantibus et dicentibus: "Nunquam apparuit sic in Israel," e contrario dicebant, "Quoniam in principe dæmoniorum ejicit dæmonia." (*Chrysostomus.*)

III. — Tunc dicit discipulis suis : Messis quidem multa, operarii autem pauci.

Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. (*Matth. IX. 37, 38.*)

Postquam autem Dei Filius de cœlo prospexit in terram ut audiret gemitus compeditorum, mox multa messis cœpit augeri ; turbæ namque humani generis fidei non appropinquassent, nisi quia auctor humanæ salutis de cœlis prospexit in terram. (*Remigius.*)



Messis ergo dicuntur homines, qui possunt meti a prædicatoribus, et de collectione perditorum separari ut grana excussa a paleis; postea in horreis reponantur. (*Glossa.*)

## MEDITATIO CXXXVI.

### Christus Capharnai multos infirmos curat.

I. — Cum sol occidisset; omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum. At ille singulis manus imponens, curabat eos. (*Luc. IV. 40.*)

Quamvis autem ut Deus potuisset omnes verbo pellere morbos tamen tangit eos, ostendens propriam carnem efficacem ad præstanda remedia, nam caro Dei erat. Sicut enim ignis appositus vasi æneo imprimit ei propriæ caliditatis effectum : sic omnipotens Dei Verbum, cum univit sibi veraciter assumptum templum ex Virgine animatum et intellectivum, particeps suæ potestatis effectum ei inseruit. Tangat et nos, immo potius nos illum tangamus, quatenus, et nos ab animarum infirmitatibus liberet, necnon a dæmonum impugnatione et superbia. (*Cyrillus.*)

II. — Erat omnis civitas congregata ad januam.

Et curavit multos, qui vexabantur variis languoribus. (*Marc. I. 33, 34.*)

Erant enim quidam infideles, qui minime curati sunt propter incredulitatem eorum. Multos ergo ex oblatis sanavit, illos scilicet qui fidem habebant. (*Theophylactus.*)

III. — Omnes male habentes curavit.

Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam dicentem : Ipse infirmitates nostras accepit : et ægrotationes nostras portavit. (*Matth. VIII. 16, 17.*)

Hoc autem de peccatis magis a Propheta dictum esse videtur. Qualiter igitur Evangelista de ægritudinibus hoc exponit? Sed sciendum, quod vel historiæ hic testimonium adaptavit, vel ostendit quoniam plures ægritudines ex peccatis sunt animarum : nam et ipsa mors a peccatis habet radicem. (*Chysostomus.*)



## MEDITATIO CXXXVII.

**Christus omne genus morborum sanat in loco campestri.**

I. — Descendens Jesus cum illis (*de monte cum duodecim Apostolis*) stetit in loco campestri, et turba discipulorum ejus, et multitudo copiosa plebis ab omni Judæa, et Jerusalem, et maritima, et Tyri, et Sidonis.

Qui venerant ut audirent eum, et sanarentur a languoribus suis. (*Luc. VI. 17, 18.*)

Raro, hoc quoque uspiam vel turbas Dominum ad altiora sequi, vel quempiam debilem invenies in monte curari; sed exstincta febre libidinum, accensaque scientiæ luce, pedetentim quemquam ad culmem subire virtutum. (*Beda.*)

II. — Et qui vexabantur a spiritibus immundis, curabantur. (*Luc. VI. 18.*)

Immundi autem dicuntur, dæmones, propter impietatem, ac elongationem a Deo, et quia omnibus immundis et pravis operationibus se immiscent. (*Chrysostomus.*)

Vide, contra superbiam dæmonum quantam habeat virtutem Dei humilitas, qua in forma servi apparuit. (*Augustinus.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

III. — Et omnis turba quærebat eum tangere : quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes. (*Luc. VI. 19.*)

Turba autem quæ tangere Dominum potuit, spiritus illius virtute sanatur, ut supra leprosus Domino tangente mundatur. Tactus ergo Salvatoris opus est salutis, quem tangere est fideliter in eum credere a quo tangi est ejus munere sanari. (*Beda.*)

## MEDITATIO CXXXVIII.

### Christus in regione Genesareth omnes male habentes sanitati restituit.

I. — Cum transfretassent, venerunt in terram Genesar. (*Matth. XIV. 34.*) In terram Genesareth, et applicuerunt.

Cumque egressi essent de navi continuo cognoverunt eum. (*Marc. VI. 53, 54.*)

Cognoverunt autem eum rumore, non facie : vel certe pro signorum magnitudine quæ perpetrabat in populis, et vultu plurimis notus erat. (*Hieronymus.*)

II. — Et percurrentes (viri loci illius *Matth. XIV. 35.*) universam regionem illam, cœperunt in grabatis eos, qui se



male habebant, circumferre, ubi audiebant eum esse. (*Marc. VI. 55.*)

Et obtulerunt ei omnes male habentes. (*Matth. XIV. 35.*)

Et vide quanta fides sit hominum terræ Genesareth, ut non præsentium tantum salute contenti sint, sed mittant ad alias per circuitum civitates. (*Hieronymus.*)

Neque enim similiter ut prius ad domos trahebant, et tactum manus inquirebant : sed cum majori fide eum alliciebant. Mulier enim quæ fluxum sanguinis patiebatur, universos hanc sapientiam docuit, ut scilicet tangendo fimbriam vestimenti Christi salvarentur. (*Chrysostomus.*)

III. — Et quocumque introibat, in vicos, vel in villas, aut civitates, in plateis ponebant infirmos, et deprecabantur eum, ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent, et quotquot tangebant eum, salvi fiebant. (*Marc. VI. 56.*)

Et quicumque tetigerunt, salvi facti sunt. (*Matth. XIV. 36.*)

Nos autem non solum fimbriam aut vestimentum Christi habemus; sed etiam corpus ejus, ut comedamus. Si ergo qui fimbriam vestimenti ejus tetigerunt tantam acceperunt virtutem, multo magis qui totum ipsum sument. (*Chrysostomus.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## ALIA MEDITATIO

*Ex sancto Marco.*

I. — Jesus autem cum discipulis suis secessit ad mare : et multa turba a Galilæa, et Judæa secuta est eum.

Et ab Jerosolymis, et ab Idumæa et trans Jordanem : et qui circa Tyrum, et Sidonem, multitudo magna audientes quæ faciebat, venerunt ad eum. (*Marc. III. 7, 8.*)

Tyrii et Sidonii, alienigenæ exsistentes, utilitatem a Christo excipiunt : propinqui vero ejus Judæi scilicet, ipsum persequebantur ; et sic nulla est propinquitatis utilitas, nisi similitudo bonitatis exsistat. (*Theophylactus.*)

Illi enim videntes opera virtutum ejus, et verba doctrinæ audientes, eum persequebantur ; isti autem opinione tantum ducti virtutum ejus, congesto agmine permaximo veniunt ad audiendum eum, opemque salutis flagitandam. (*Chrysostomus.*)

II. — Et dixit discipulis suis ut navicula sibi deserviret propter turbam, ne comprimerent eum.

Multos enim sanabat, ita ut irruerent in eum ut illum tangerent quotquot habebant plagas. (*Marc. III. 9, 10.*)



Vide occultatam gloriam ejus ; etenim ne laudaret eum turba, petit naviculam, ut intrans in eam conservetur illæsus.

Plagas autem dicit infirmitates : ipse namque Deus nos vulnerat, ut filios Pater. (*Theophylactus.*)

III. — Et spiritus immundi, cum illum videbant, procidebant ei : et clamabant dicentes :

Tu es Filius Dei. Et vehementer comminabatur eis ne manifestarent illum. (*Marc. III. 11, 12.*)

Nolebat Dominus dæmonis ore laudari, et testimonio impuri spiritus approbari : simulque volebat ostendere malos spiritus audiendos non esse, etiamsi vera dicant. (*Menochius in Cap. I. Marci.*)

## MEDITATIO CXXXIX.

### Christus plurimos ægros sanat in monte.

I. — Venit Jesus secus mare Galilææ : et ascendens in montem, sedebat ibi. (*Matth. XV. 29.*)

Ascendit autem in montem, ut quasi avis teneros fœtus provocet ad volandum. (*Hieronymus.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ut scilicet auditores suos erigat ad superna et cœlestia meditanda. Sedebatque ibi, ut demonstraret, non nisi in cœlestibus requiem esse quærendam. (*Rabanus.*)

II. — Et accesserunt ad eum turbæ multæ, habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, et alios multos : et projecerunt eos ad pedes ejus, et curavit eos. (*Matth. XV. 30.*)

Eo autem sedente in monte, id est in cœlorum arce, accedunt turbæ fidelium, devota mente illi appropinquantes, ducentes secum mutos et cæcos, etc., eosque ad pedes Jesu projiciunt : qui peccata confitentes ipsi soli curandos subjiciunt. (*Rabanus.*)

III. — Ita ut turbæ mirarentur videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes : et magnificabant Deum Israel. (*Matth. XV. 31.*)

Quos ita curat (*Pœnitentes scilicet*) ut turbæ mirentur et magnificent Deum ; quia fideles, quando viderint eos qui spiritualiter ægrotaverant, diversis operibus virtutum ditatos : laudem Deo decantant. (*Rabanus.*)



# PARS QUARTA.

## De doctrina Christi.

### PRÆMEDITATIO.

I. — Jesus venit Nazareth, ubi erat nutritus, et intravit secundum consuetudinem suam die sabbati in synagogam, et surrexit legere.

Et traditus est illi liber Isaiæ prophetæ. (*Luc. IV. 16, 17.*)

" *Venit Nazareth* " ut et nos doceat prius proprios beneficare et docere, deinde et ad reliquos amicitiam spargere. (*Theophyl.*)

Confluebant autem die sabbati in synagogis, ut feriatis mundi negotiis, ad meditanda legis monita quieto corde residerent. (*Beda.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ut scilicet auditores suos erigat ad superna et cœlestia meditanda. Sedebatque ibi, ut demonstraret, non nisi in cœlestibus requiem esse quærendam. (*Rabanus.*)

II. — Et accesserunt ad eum turbæ multæ, habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, et alios multos : et projecerunt eos ad pedes ejus, et curavit eos. (*Matth. XV. 30.*)

Eo autem sedente in monte, id est in cœlorum arce, accedunt turbæ fidelium, devota mente illi appropinquantes, ducentes secum mutos et cæcos, etc., eosque ad pedes Jesu projiciunt : qui peccata confitentes ipsi soli curandos subjiciunt. (*Rabanus.*)

III. — Ita ut turbæ mirarentur videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes : et magnificabant Deum Israel. (*Matth. XV. 31.*)

Quos ita curat (*Pœnitentes scilicet*) ut turbæ mirentur et magnificent Deum ; quia fideles, quando viderint eos qui spiritualiter ægrotaverant, diversis operibus virtutum ditatos : laudem Deo decantant. (*Rabanus.*)



# PARS QUARTA.

## De doctrina Christi.

### PRÆMEDITATIO.

I. — Jesus venit Nazareth, ubi erat nutritus, et intravit secundum consuetudinem suam die sabbati in synagogam, et surrexit legere.

Et traditus est illi liber Isaiæ prophetæ. (*Luc. IV. 16, 17.*)

" *Venit Nazareth* " ut et nos doceat prius proprios beneficare et docere, deinde et ad reliquos amicitiam spargere. (*Theophyl.*)

Confluebant autem die sabbati in synagogis, ut feriatis mundi negotiis, ad meditanda legis monita quieto corde residerent. (*Beda.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ita autem Dominus ad omnia se curvavit obsequia, ut ne lectoris quidem aspernaretur officium. (*Ambrosius.*)

II. — Et ut revolvit librum, invenit locum ubi scriptum erat.

Spiritus Domini super me : propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde.

Prædicare captivis remissionem, et cœcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum, et diem retributionis.

Et cum plicuisset librum, reddidit ministro et sedit. Et omnium in synagoga oculi erant intendentes in eum. (*Luc. IV. 17, 18, 19, 20.*)

Non fortuito revolvit librum et caput de se vaticinans reperit lectionis, sed hoc providentiæ Dei fuit. (*Origenes.*)

Ungitur oleo spirituali et virtute cœlesti, ut paupertatem conditionis humanæ thesauro resurrectionis rigaret æterno. (*Ambrosius.*)

Ista autem prædicta sunt, ut post visionem ex cæcitate, post libertatem ex vinculis, post sanitatem a diversis vulneribus veniamus ad annum Domini acceptum " id est " totum tempus Ecclesiæ, quo dum versatur in corpore peregrinamur a Domino. (*Origenes.*)



Post annum sane acceptabilem subdit, Et, *diem retributionis* scilicet extremæ, quando reddet unicuique secundum opus suum. (*Beda.*)

Revolutum librum legit, quia Ecclesiam, misso Spiritu, omnem veritatem docuit ; plicatum ministro reddidit, quia non omnia omnibus dicenda, sed pro captu audientium, committit doctori dispensandum verbum. (*Beda.*)

III. — Cœpit autem dicere ad illos. Quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris.

Et omnes testimonium illi dabant : et mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius, et dicebant : Nonne hic est filius Joseph? (*Luc. IV. 21, 22.*)

Tunc autem omnium oculos convertebat ad se, quodammodo stupentium qualiter litteras novit, quas non didicit. (*Cyrillus.*)

Testimonium illi dabant, attestando illum vere esse ut dixerat, de quo Propheta cecinerat. (*Beda.*)

Sed stulti, admirantes sermonis virtutem, parvipendunt ipsum ab eo qui putabatur pater. (*Chrysostomus.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## I. — De Doctrina quam Christus per Parabolas tradidit.

### ADHORTATIO.

Doctrina Christi omnes doctrinas Sanctorum præcellit, et qui spiritum haberet, absconditum ibi manna inveniret. (*Imit. I, I. 2.*)

## MEDITATIO CXL.

### PARABOLA PRIMA.

#### Puerorum canentium et lamentantium.

1. — Cui similem æstimabo generationem istam. (Hoc est homines generationis hujus, ut ait Lucas.) Similis est pueris sedentibus in foro : qui clamantes coæqualibus.

Dicunt : Cecinimus vobis, et non saltastis, lamentavimus, et non planxistis. (*Matth. XI. 16. — Luc. VII. 33.*)

In pueris prophetæ signantur, qui in simplicitate sensus, ut pueri, prædicaverunt, et in medio synagogæ tamquam in publico fori



conventu coarguunt quod cantantibus sibi, officio corporis non obsecundaverint, et quod dictis suis non paruerint : ad cantantium enim modum saltantium motus aptatur. (*Hilarius.*)

Provocavimus vos ut ad nostrum canticum bona opera faceretis, et noluistis. Lamentati sumus, et vos ad pœnitentiam provocavimus, et nec hoc quidem facere voluistis, spernentes utramque prædicationem, tam exhortationis ad virtutes, quam pœnitentiæ post peccata. (*Hieronymus.*)

II. — Venit enim Joannes neque manducans, neque bibens, et dicunt : Dæmonium habet. (*Matth. XI. 18. — Luc. VII. 33.*)

Non dictum est quod Joannes omnino non biberet; sed quod vinum et siceram non biberet : bibebat autem aquam. Cibus autem ejus non omnino nullus erat, sed locustæ et mel silvestre. Unde ergo dictus est non manducans neque bibens, nisi quia illo victu quo Judæi utebantur, non utebatur? Hoc ergo Dominus nisi uteretur, non in ejus comparatione manducans bibensque diceretur. Mirum autem si non manducans dicitur qui locustas et mel comedit, et manducans dicitur qui pane et olere contentus est. (*Augustinus.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

III. — Venit Filius hominis manducans et bibens, et dicunt : Ecce homo vorax, et potator vini, publicanorum, et peccatorum amicus. Et justificata est sapientia a filiis suis. (*Matth. XI. 19.*)

Si ergo jejunium vobis placet, cur Joannes displicuit? Si saturitas, cur Filius hominis? Quorum alterum dæmonium habentem, alterum voratorem et ebrium nuncupatis. (*Hieronymus.*)

Qualem igitur jam excusationem accipient? Propter hoc subdit : *Et justificata est sapientia a filiis suis :* hoc est, etsi vos persuasi non estis, sed me jam incusare non habetis : quod et de Patre ait Propheta. *Ps. L* : " Ut justificeris in sermonibus tuis. " (*Chrysostomus.*)

## MEDITATIO CXLI.

### PARABOLA SECUNDA.

**Seminantis semen quod cecidit secus viam, supra petram, in spinas, in terram bonam.**

I. — In illo die exiens Jesus de domo, sedebat secus mare.

Et congregatæ sunt ad eum turbæ multæ, ita ut in naviculam ascendens sederet : et omnis turba stabat in littore.



Et locutus est eis multa in parabolis, dicens : Ecce exiit qui seminat seminare.

Et dum seminat, quædam ceciderunt secus viam, et venerunt volucres cœli, et comederunt ea. (*Matth. XIII. 1, 2, 3, 4. — Marc. IV. 1, 2, 3, 4.*)

Considerandum, quod populus domum Jesu non poterat intrare, nec esse ibi ubi Apostoli audiebant mysteria : idcirco miserator Dominus egreditur de domo sua, et sedet juxta hujus sæculi mare, ut congregentur ad eum turbæ multæ, et audiant in littore quæ intus non merebantur audire. (*Hieronymus.*)

Præfigurabat autem hæc navis Ecclesiam in medio nationum ædificandam : in qua Dominus dilectam sibi consecrat mansionem. (*Beda.*)

Est notandum, quod non omnia locutus sit eis in parabolis, sed multa : si enim dixisset cuncta in parabolis, absque emolumento populi recessissent. Perspicua miscet obscuris : ut per ea quæ intelligunt provocentur ad eorum notitiam quæ non intelligunt. (*Hieronymus.*)

Primam autem parabolam ponit eam quæ faciebat auditorem attentiorem. (*Chrysostomus.*)

Significatur autem sator iste qui seminat, esse Filius Dei, et Patris in populis seminare sermonem.

Intus erat dum domi versabatur et loquebatur discipulis sacramenta. Exiit ergo de domo sua, ut seminaret in turbis. (*Hieronymus.*)

Vel exiit, cum relicta Judæa, per Apostolos ad Gentes transivit. (*Rabanus.*)

Cum autem audieris, quoniam exiit qui seminat ut seminet, non æstimes esse identitatem sermonis. Egreditur enim multoties qui seminat et ad aliam rem : vel ut scindat terram, vel ut spinas evellat, vel ut aliam talem quamdam diligentiam exhibeat : hic autem ad seminandum exivit. Quid igitur fit de semine isto? Tres depereunt partes, et una salvatur : et hoc non æqualiter, sed cum differentia quadam. (*Chrysostomus.*)

II. — Alia autem ceciderunt in petrosa, ubi non habebant terram multam : et continuo exorta sunt, quia non habebant altitudinem terræ.

Sole autem orto æstuaverunt : et quia non habebant humorem aruerunt.

Alia autem ceciderunt in spinas : et creverunt spinæ, et suffocaverunt ea. (*Matth. XIII. 5, 6, 7.—Marc. IV. 5, 6, 7.*)

Non dixit quod seminans projecit aliud secus viam, sed quod semen cecidit. Qui enim seminat docet rectum sermonem : sed sermo diversimode cadit in audientes. (*Theophylactus.*)



Per hanc parabolam discipulos erudit; etsi plures audientium eos fuerint qui pereunt, ut non propter hoc desides sint : quia nec propter hoc Dominus, qui omnia prævidit, destitit a seminando. (*Chrysostomus.*)

III. — Alia autem ceciderunt in terram bonam : et dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum.

Qui habet aures audiendi, audiat. (*Matth. XIII. 8, 9. — Marc. IV. 8, 9.*)

(*Hanc eamdem parabolam refert Lucas. VIII. a. v. 5 ad 16.*)

Vide quomodo mali sunt plurimi et pauci qui salvantur : quarta enim pars seminis invenitur salvata. (*Theophylactus.*)

Non tamen major pars seminis occasione amittitur seminantis, sed terræ recipientis, idest animæ audientis. (*Chrysostomus*).

## MEDITATIO CXLII.

**Cur Christus locutus est in parabolis.**

I. — Cum esset singularis, interrogaverunt eum hi, qui cum eo erant duodecim, parabolam. (*Marc. IV. 10.*)

Et accedentes dixerunt ei : Quare in parabolis loqueris eis?

Qui respondens, ait illis : Quia vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum : illis autem non est datum.

Qui enim habet, dabitur ei, et abundabit : Qui autem non habet, et quod habet auferetur ab eo. (*Matth. XIII. 10, 11, 12. — Marc. IV. 11.*)

Dignum est admirari discipulos, quare discere cupientes, sciunt quando interrogare oporteat : non enim coram omnibus hoc faciunt.

Consideranda est " etiam " eorum rectitudo : qualiter multam pro aliis habent curam, et prius quæ aliorum sunt quærunt, et tunc quæ sunt ipsorum : non enim dixerunt : In parabolis loqueris nobis : sed *in parabolis loqueris illis.* (*Chrysostomus.*)

*Quia vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum.* Vobis, inquam, qui mihi adhæretis, et in me creditis. Mysterium autem regni cœlorum appellat evangelicam doctrinam. *Illis autem*, scilicet qui foris sunt, et in eum credere nolunt, Scribis scilicet et Pharisæis, et ceteris in infidelitate perseverantibus, *non est datum.* Accedamus ergo cum discipulis ad Dominum puro corde, ut nobis evangelicam doctrinam interpretari dignetur, juxta illud (*Deut. XXXIII*) : " Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina ipsius. " (*Remigius.*)



Cum aliquis desiderium habuerit et studium, dabuntur ei universa quæ a Deo sunt; cum autem his vacuus fuerit, et quæ ad se pertinent non inferat : neque quæ a Deo sunt ei dantur; sed et quod habet auferetur ab eo, non Deo auferente, sed se indignum faciente his quæ habet. (*Chrysostomus.*)

Apostolis in Christo credentibus conceditur : Judæis vero, qui non crediderunt in Filium Dei, etiam si quid per naturæ bonum possident tollitur : neque enim possunt aliquid sapienter intelligere, quia sapientiæ non habent caput. (*Hieronymus.*)

11. — Ideo in parabolis loquor eis : quia videntes non vident, et audientes non audiunt, neque intelligunt.

Et adimpletur in eis prophetia Isaiæ dicentis : Auditu audietis, et non intelligetis : et videntes videbitis, et non videbitis.

Incrassatum est enim cor populi hujus, et auribus graviter audierunt, et oculos suos clauserunt : ne quando videant oculis, et auribus audiant, et corde intelligant, et convertentur, et sanem eos. (*Mat. XIII. 13, 14, 15. — Marc. IV. 12.*)

Si quidem naturæ hæc excæcatio esset, aperire oculos eorum oportebat : quia vero

voluntaria est hæc excæcatio, propter hoc non dixit simpliciter : Non vident, sed *Videntes non vident*. Viderunt enim dæmones exeuntes; et dixerunt : " In Beelzebub ejicit dæmonia. " (*Mat. XII.*) Audiebant quod ad Deum omnes attrahebat : et dicunt, " Non est hic homo a Deo. " (*Joan. IX.*) Quia ergo contraria his quæ videbant et audiebant, enuntiabant, propter hoc ipsum videre et audire eis aufertur; nihil enim proficiunt sed in judicium magis incidunt : unde et a principio non eis parabolice loquebatur, sed cum multa certitudine. Quia autem audita et visa pervertunt, jam in parabolis loquitur.

Intensam eorum nequitiam ostendit et aversionem cum studio, cum dicit : *Incrassatum est cor eorum, etc.* Demonstrat quia si converterentur, sanarentur. Sicut si aliquis diceret : Si rogatus essem, confestim donaturus eram, ostendit qualiter aliquis sibi reconcilietur : ita et hic cum dicit, ne quando convertantur, et sanem eos, demonstrant quoniam et converti possibile est, et pœnitentiam agentes salvari. (*Chrysostomus.*)

III. — Vestri autem beati oculi quia vident, et aures vestræ quia audiunt.

Amen quippe dico vobis, quia multi prophetæ, et justi cupierunt videre quæ videtis, et non viderunt : et audire quæ auditis, et non audierunt. (*Matth. XIII. 16, 17.*)



Nescitis parabolam hanc? et quomodo omnes parabolas cognoscetis? (*Marc. IV. 13.*)

Hæc quæ Apostoli viderunt et audierunt, præsentiam suam dicit, miracula, vocem et doctrinam. In hoc autem non solum malis, sed his qui boni fuerunt eos præponit : etenim antiquis justis beatiores eos dicit : quoniam non solum quæ Judæi non viderant hi vident, sed et quæ justi et prophetæ cupierunt videre et non viderunt. Illi enim fide solum consideraverunt, hi autem visu et multo manifestius. (*Chrysostomus.*)

## MEDITATIO CXLIII.

### Expositio præcedentis parabolæ.

I. — Vos audite parabolam seminantis. Omnis, qui audit verbum regni, et non intelligit, venit malus, et rapit quod seminatum est in corde ejus : hic est qui secus viam seminatus est. (*Matth. XIII. 13, 19. — Marc. IV. 15.*)

His autem verbis exponit Dominus quid sit semen : verbum scilicet regni, id est evangelicæ doctrinæ. Sunt enim nonnulli qui verbum Dei nulla cordis devotione suscipiunt : et ideo semen verbi Dei quod in

eorum cordibus seminatur, dæmones quasi semen viæ tritæ subito auferunt. (*Remigius.*)

II. — Qui autem super petrosa seminatus est, hic est, qui verbum audit, et cum gaudio accipit illud :

Non habet autem in se radicem, sed est temporalis : facta autem tribulatione, et persecutione propter verbum, continuo scandalizatur. (*Matth. XIII. 20, 21. — Marc. IV. 16, 17.*)

Semen, seu verbum Dei, quod in petra, id est corde duro et indomito seminatur, fructificare non potest : quia multa est ejus duritia, et parvum cœleste desiderium : unde propter nimiam duritiam non habet in se radicem. (*Remigius.*)

Attende autem quod dictum sit, *continuo scandalizatur*. Est ergo aliqua distantia inter eum qui multis tribulationibus pœnisque compellitur Christum negare, et eum qui ad primam persecutionem statim scandalizatur et corruit : de quo hic loquitur. (*Hieronymus.*)

III. — Qui autem seminatus est in spinis, hic est, qui verbum audit, et sollicitudo sæculi istius, et fallacia divitiarum suffocat verbum, et sine fructu efficitur. (*Matth. XIII. 22. — Marc. IV. 18, 19.*)



Mihi videtur et illud quod juxta litteram ad Adam dicitur : " Inter spinas et tribulos panem tuum manducabis : " (*Gen. III.*) hic significare mystice, quod quicumque sæculi se dederit voluptatibus, curisque istius mundi, panem cœlestem et cibum verum inter spinas comedit. (*Hieronymus.*)

Et sciendum, quia his tribus generibus terræ nequam comprehenduntur omnes qui verbum Dei audire possunt, sed tamen ad salutem perducere non valent. Excipiuntur Gentiles, qui nec audire meruerunt. (*Remigius.*)

IV. — Qui vero in terram bonam seminatus est, hic est, qui audit verbum, et intelligit, et fructum affert, et facit aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud vero trigesimum. (*Matth. XIII. 23. — Marc. IV. 20.*)

Quod in bonam terram : hi sunt qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent, et fructum afferunt in patientia. (*Luc. VIII. 15.*)

Notandum, quod sicut in terra mala tres fuere diversitates, scilicet secus viam, et petrosa, et spinosa loca; sic in terra bona trina diversitas est, centesimi, sexagesimi, et fructus tricesimi.

Et in illa autem et in ista non mutatur substantia, sed voluntas : et tam incredulo-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

rum quam credentium corda sunt qui semen recipiunt. (*Hieronymus.*)

Centesimus fructus est martyrium propter sanctitatem vitæ, vel contemptum mortis : sexagenarius virginum propter otium interius, quia non pugnant contra consuetudinem carnis : solet enim otium concedi sexagenariis post militiam, vel post actiones publicas : tricesimus vero conjugatorum; quia hæc est ætas prœliantium; et ipsi habent acriorem conflictum, ne libidinibus superentur. (*Augustinus.*)

## MEDITATIO CXLIV.

### PARABOLA TERTIA.

#### Tritici et Zizaniorum.

1. — Aliam parabolam proposuit illis, dicens : Simile factum est regnum cœlorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo.

Cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, et superseminavit zizania in medio tritici, et abiit. (*Matth. XIII. 24, 25.*)

Proposuit aliam parabolam, quasi dives paterfamilias invitatos diversis reficiens cibis, ut unusquisque secundum naturam



sui stomachi varia alimenta susciperet. (*Hieronymus.*)

Demonstrat hic quod error post veritatem exsistit : quod et rerum exitus testatur, etenim post Prophetas fuerunt pseudoprophetæ, et post Apostolos pseudoapostoli, et post Christum antichristus. Nisi enim diabolus viderit quid imitetur, vel quibus insidietur non tentat. (*Chrysostomus.*)

11. — Cum autem crevisset herba, et fructum fecisset, tunc apparuerunt, et zizania.

Accedentes autem servi patrisfamilias, dixerunt ei : Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zizania?

Et ait illis : Inimicus homo hoc fecit : Servi autem dixerunt ei : Vis, imus, et colligimus ea? (*Matth. XIII. 26, 27, 28.*)

Accedunt autem ad Deum sine corpore, sed corde et mentis desiderio, quo docente intelligunt, diaboli calliditate hoc esse factum. (*Remigius.*)

Quamobrem non dormiat qui Ecclesiæ præpositus est : ne per illius negligentiam inimicus homo superseminet zizania, hoc est hæreticorum dogmata. (*Hieronymus.*)

Diabolus inimicus vocatur propter jacturam quam infert hominibus : vexatio enim

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

diaboli adversus nos est : principium autem vexationis factum est non ab inimicitia quæ est ad nos, sed quæ est ad Deum. (*Chrysostomus.*)

Intuenda est servorum diligentia et dilectio : etenim festinant zizania evellere : quod monstrat eorum de semine sollicitudinem; ad hoc enim solum respiciunt non ut aliquis puniatur, sed ut seminata non pereant. (*Chrysostomus.*)

III. — Et ait : Non : ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis et triticum.

Sinite utraque crescere usque ad messem, et in tempore messis dicam messoribus : colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum. (*Matth. XIII. 29, 30.*)

Datur enim locus pœnitentiæ, et monemur, ne cito amputemus fratrem : quia fieri potest ut ille qui hodie noxio depravatus est dogmate, cras resipiscat et defendere incipiat veritatem. (*Hieronymus.*)

Quod si se non agnoverit, neque pœnitendo correxerit, ab Ecclesiæ communione dirimetur : unde Dominus cum dixisset : *Sinite utraque crescere usque ad messem*, subjunxit causam, dicens : *ne forte cum vultis colligere zizania, eradicetis simul et triticum :* ubi satis ostendit cum metus iste non subest, sed omnino de frumentorum stabilitate certa securitas manet, idest, quando ita cujusque crimen notum est, et omnibus exsecrabile apparet, ut vel nullos prorsus, vel non tales habeat defensores per quos possit schisma contingere; non dormiat severitas disciplinæ : in qua tanto est efficacior emendatio pravitatis, quanto diligentior fuerit observatio caritatis. Cum vero idem morbus plurimos occupaverit, nihil aliud boni restat quam dolor et gemitus. Sic igitur misericorditer corripiat homo quod potest : quod autem non potest, patienter ferat, et ex dilectione gemat atque lugeat, donec ille desuper emendet et corrigat : atque usque ad messem differat eradicare zizania et paleam ventilare. (*Augustinus.*)



## MEDITATIO CXLV.

### Expositio præcedentis parabolæ.

I. — Dimissis turbis, venit in domum : et accesserunt ad eum discipuli ejus, dicentes : Edissere nobis parabolam zizaniorum agri.

Qui respondens ait illis : Qui seminat bonum semen, est Filius hominis. (*Matth. XIII. 36, 37.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Cum aliquando volentes discere formidaverint interrogare, nunc libere interrogant, et confisi sunt, quoniam audierant : " Vobis datum est nosse mysterium regni Dei : " ideoque singulariter interrogant, non multitudinem æmulantes, quibus non erat datum. (*Chrysostomus.*)

Ideo autem Dominus se Filium hominis appellavit, ut hoc indicio nobis exemplum humilitatis relinqueret : sive quia futurum erat ut hæretici negarent eum verum hominem esse : sive ut per humanitatis fidem possimus conscendere ad divinitatis cognitionem. (*Remigius.*)

II. — Ager autem, est mundus. Bonum vero semen, hi sunt filii regni. Zizania autem, filii sunt nequam.

Inimicus autem, qui seminavit ea, est diabolus. Messis vero, consummatio sæculi est. Messores autem Angeli sunt. (*Matth. XIII. 38, 39.*)

Cum autem ipse sit qui seminat agrum suum, manifestum est quia præsens mundus est ejus. (*Chrysostomus.*)

Sancti et electi viri, qui inter filios regni computantur : ecce bonum semen. (*Remigius.*)

Omnis autem immunditia in segete zizania dicuntur. (*Augustinus.*)

Hoc diabolicæ est machinationis, veritati semper inserere errorem. (*Chrysostomus.*)



Per messem designatur dies judicii, in quo separandi sunt boni a malis; quod fiet ministerio Angelorum. (*Remigius.*)

III. — Sicut ergo colliguntur zizania, et igni comburuntur : sic erit in consummatione sæculi.

Mittet Filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala, et eos qui faciunt iniquitatem.

Et mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus, et stridor dentium. (*Matth. XIII. 40, 41, 42.*)

Per scandala possunt intelligi illi, qui præbent proximo occasionem offensionis, aut ruinæ; per facientes iniquitatem, quoscumque peccantes. (*Glossa.*)

Observa quod dicit : *et eos qui faciunt iniquitatem :* non qui fecerunt, quia non qui conversi sunt ad pœnitentiam, sed solum qui permanent in peccatis æternis cruciatibus mancipandi sunt. (*Rabanus.*)

Vide autem ineffabilem Dei amorem ad homines : est enim ad beneficia promptus, et ad pœnam tardus : cum enim seminat, per seipsum seminat : cum autem punit, per alios : mittit enim ad hoc Angelos suos. (*Chrysostomus.*)

His verbis : *Ibi erit fletus et stridor dentium*, demonstratur vera corporum resurre-

ctio : nihilominus ostenditur per hoc duplex pœna inferni, scilicet nimii caloris, et nimii frigoris. (*Remigius.*)

IV. — Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum. Qui habet aures audiendi, audiat. (*Matth. XIII. 43.*)

In præsenti sæculo fulget lux sanctorum coram hominibus : post consummationem autem mundi ipsi justi fulgebunt sicut sol in regno Patris sui. Quod autem dicit, *Tunc fulgebunt*, intelligendum est quia et nunc fulgent in exemplum aliorum : sed tunc fulgebunt sicut sol ad laudandum Deum. (*Remigius.*)

Qui habet intellectum intelligat, quia mystice hæc intelligenda sunt. (*Rabanus.*)

## MEDITATIO CXLVI.

### PARABOLA QUARTA.

#### Grani Sinapis.

I. — Aliam parabolam proposuit eis, dicens : Simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo. (*Matth. XIII. 31.*)

Quia Dominus dixerat, quod de semine tres partes pereunt, et salvatur una; et in ipsa rursus quæ salvatur, multa efficitur jactura, propter zizania quæ superseminantur; ne dicerent : Qui ergo erunt et quanti fideles? Consequenter hunc timorem aufert per parabolam sinapis. (*Chrysostomus.*)



Granum namque sinapis ad fervorem fidei pertinet; vel eo quod dicatur venena expellere. (*Augustinus.*)

Quis autem est iste qui seminat nisi sensus noster et animus, qui suscipiens granum prædicationis, et fovens sementem humore fidei, facit in agro sui pectoris pullulare? (*Hieronymus.*)

II. — Quod minimum quidem est omnibus seminibus : cum autem creverit, majus est omnibus oleribus, et fit arbor, ita ut volucres cœli veniant, et habitent in ramis ejus. (*Matth. XIII. 32.*)

Ramos puto evangelicæ arboris, qui de grano sinapis creverunt, dogmatum esse diversitates, in quibus supradictarum volucrum unaquæque requiescit. Assumamus et nos pennas columbæ, ut ad altiora volitantes, possimus habitare in ramis hujus arboris, et nidos nobis facere doctrinarum, terrenaque fugientes ad cœlestia festinare. (*Hieronymus.*)



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## MEDITATIO CXLVII.

### EADEM PARABOLA

referentibus Marco et Luca.

I. — Cui assimilabimus regnum Dei? aut cui parabolæ comparabimus illud?

Sicut granum sinapis, quod cum seminatum fuerit in terra, minus est omnibus seminibus quæ sunt in terra.

Et cum seminatum fuerit, ascendit, et fit majus omnibus oleribus, et facit ramos magnos, ita ut possint sub umbra ejus oves cœli habitare. (*Marc. IV. 30, 31, 32.*)

Postquam posuit parabolam de fructificatione seminis Evangelii, hic subjungit aliam parabolam, ad ostendendam excellentiam doctrinæ evangelicæ ad omnes alias doctrinas. (*Chrysostomus.*)

Parvissimum quidem est fidei verbum. Crede in Deum et salvus eris. Sed sparsa super terram prædicatio dilatata est, ita ut cœli volatilia, id est contemplativi homines, et alti intellectu, et cognitione, sub eo habitent. Quanti enim sapientes Gentilium relinquentes sapientiam, sub prædicatione Evangelii requieverunt! Omnium igitur major prædicatio facta est. (*Theophylactus.*)



II. — Cui simile est regnum Dei, et cui simile æstimabo illud?

Simile est grano sinapis quod acceptum homo misit in hortum suum, et crevit, et factum est in arborem magnum : et volucres cœli requieverunt in ramis ejus. (*Luc. XIII. 18, 19.*)

Granum quidem sinapis res est vilis et simplex; si teri cœperit, vim suam fundit : et fides simplex primo videtur; sed si atteratur adversis, gratiam suæ virtutis effundit. Grana sinapis martyres sunt. Habebant odorem fidei sed latebat : venit persecutio, contriti sunt gladio, per totius mundi terminos grana sui sparsere martyrii.

Ipse etiam Dominus granum est sinapis : teri voluit, ut diceremus : " Christi bonus odor sumus. " (*II. Cor. II, 15.*) Seminari voluit velut granum sinapis quod acceptum homo misit in hortum suum : in horto enim Christus captus et sepultus est, ubi etiam resurrexit et factus est arbor. Dominus enim noster granum est cum sepelitur in terra, arbor cum elevatur in cœlum.

Ergo semina in horto tuo Christum. Hortus utique locus est plenus florum, in quo gratia tui operis effloreat, et multiplex odor variæ virtutis exhalet. (*Ambrosius.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®

## MEDITATIO CXLVIII.

### PARABOLA QUINTA.

**Fermenti in tribus farinæ satis.**

I. — Aliam parabolam locutus est eis. Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus donec fermentatum est totum. (*Matth. XIII. 33. — Luc. XIII. 20, 21.*)

Sicut fermentum multam farinam transmutat in suam virtutem, ita et vos totum mundum transmutabitis. Et vide Christi prudentiam : ea enim quæ sunt naturæ inducit, demonstrans quoniam sicut illa possibile est fieri, ita et hoc. Non autem dixit quod posuit simpliciter, sed *abscondit* : ac si diceret : Ita et vos cum subjecti fueritis impugnatoribus vestris, tunc eos superabitis. Et sicut fermentum suffoditur quidem, non autem destruitur, sed paulatim ad suum habitum omnia transmutat ; sic et in prædicatione vestra continget. Non itaque quia multas dixi superventuras vobis vexationes timeatis ; ita enim fulgebitis, et omnes superabitis. (*Chrysostomus.*)

II. — Hæc omnia locutus est Jesus in parabolis ad turbas : et sine parabolis non loquebatur eis :



Ut impleretur quod dictum erat per Prophetam dicentem : Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita a constitutione mundi. (*Matth. XIII. 34, 35.*)

Hoc dicitur non quia nihil proprie locutus est : sed quia nullum fere sermonem explicavit, ubi non per parabolam aliquid significaverit ; quamvis in eo aliqua et proprie dixerit : ita ut sæpe inveniatur totus sermo ejus parabolis explicatus, totus autem proprie dictus nullus inveniatur. (*Augustinus.*)

III. — Et talibus multis parabolis loquebatur eis verbum, prout poterant audire.

Sine parabola autem non loquebatur eis : seorsum autem discipulis suis disserebat omnia. (*Marc. IV. 33, 34.*)

Quoniam enim turbæ erant indoctæ, a commestibilibus, et consuetis nominibus eas instruit, ut scilicet moverentur ad accedendum et interrogandum. *Seorsum autem discipulis suis disserabat omnia*, scilicet de quibus interrogabant ut ignorantes, non simpliciter omnia tam manifesta quam immanifesta. (*Theophylactus.*)

Illi enim digni erant seorsum audire mysteria in penetrali, in timore sapientiæ, qui remoti a cogitationum malarum tumultibus

in solitudine virtutum permanebant : sapientia enim in tempore otii percipitur. (*Hieronymus.*)

## MEDITATIO CXLIX.

### PARABOLA SEXTA.

#### Thesauri absconditi in agro.

1. — Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro : quem qui invenit, abscondit, et præ gaudio illius vadit, et vendit universa quæ habet et emit agrum illum. (*Matth. XIII. 44.*)

Parabola quas supra Dominus posuerat de fermento et sinapi, ad virtutem evangelicæ prædicationis referuntur, quoniam superavit orbem terrarum; nunc autem ut pretiositatem et magnificentiam ejusdem ostenderet, proponit parabolam de thesauro et margarita. (*Chrysostomus.*)

Hic quidem thesaurus gratis invenitur. Evangeliorum enim prædicatio in abscondito est : sed utendi et possidendi hujusmodi thesauri cum agro potestas non potest esse sine pretio : quia cœlestes divitiæ non sine damno sæculi possidentur. (*Hilarius.*)

Vel thesaurus iste in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi, aut Deus Verbum est, qui in carne Christi videtur absconditus : aut sanctæ Scripturæ, in quibus reposita est notitia Salvatoris. (*Hieronymus.*)



Hunc autem thesaurum dixit in agro absconditum, scilicet duo testamenta in Ecclesia; quæ cum quis ex parte intellectus attigerit, sentit illic magna latere; et vadit, et vendit omnia sua, et emit illum : id est contemptu temporalium comparat sibi otium, ut sit dives cognitione Dei. (*Augustinus.*)

## MEDITATIO CL.

### PARABOLA SEPTIMA.

#### Margaritæ pretiosæ.

Iterum simile est regnum cœlorum negotiatori, quærenti bonas margaritas.

Inventa autem una pretiosa margarita, abiit, et vendidit omnia quæ habuit, et emit eam. (*Matth. XIII. 45, 46.*)

Sicut qui margaritam habet ipse quidem novit quod dives est; aliis vero non est cognitus, multoties eam manu detinens propter ejus parvitatem; ita est in prædicatione Evangelii : qui enim eam detinent sciunt se divites esse : infideles autem hunc thesaurum nescientes, divitias nostras ignorant. (*Chrysostomus.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Una pretiosissima margarita est scientia Salvatoris, et sacramentum passionis et resurrectionis illius : quod cum invenerit homo, negotiator similis Pauli Apostoli omnia quasi purgamenta contemnit, ut Christum lucrifaciat. (*Hieronymus.*)

Vel per margaritam pretiosam intelligitur cœlestis vitæ dulcedo; quam inventam omnia vendens emit : deforme conspicitur quicquid de terrenæ rei placebat specie, quia sola pretiosæ margaritæ claritas fulget in mente. (*Gregorius.*)

Vel homo cum quærat bonas margaritas, invenit unam pretiosam : quia quærens homines bonos cum quibus utiliter vivat, invenit unum sine peccato Jesum Christum : aut præcepta quærens, quibus servatis, cum hominibus recte conversetur, invenit dilectionem proximi in quo uno dicit Apostolus omnia contineri : aut bonos intellectus quærens, invenit illud verbum quo cuncti continentur : " In principio erat Verbum, " quod est lucidum candore veritatis, et solidum firmitate æternitatis, et undique sibi simile pulchritudine veritatis. (*Augustinus.*)



## MEDITATIO CLI.

### PARABOLA OCTAVA.

**Sagenæ missæ in mare.**

Iterum simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti.

Quam cum impleta esset, educentes, et secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. (*Matth. XIII. 47, 48.*)

Quid autem distat hæc parabola a parabola zizaniorum? Etenim illic hi quidem salvantur, hi autem pereunt, sicut et hic; sed illic quidem propter pravorum dogmatum hæresim, et in anteriori parabola de semine, quia non attendebant quæ dicebantur : hic autem propter vitæ nequitiam, propter quam quamvis et piscatione capti, idest cognitione Dei fruentes, non possunt salvari.

Ne audiens quoniam malos foras miserunt, æstimes hanc pœnam non esse periculosam, per expositionem ejus gravitatem ostendit. (*Chrysostomus.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## MEDITATIO CLII.

**Expositio parabolæ præcedentis.**

I. — Sic erit in consummatione sæculi : exibunt Angeli, et separabunt malos de medio justorum.

Et mittent eos in caminum ignis : ibi erit fletus et stridor dentium. (*Matth. XIII. 49, 50.*)

Quamvis alibi dicat, quod ipse segregabit eos sicut separat pastor oves, hic Angelos hoc facere dicit, sicut et in parabola zizaniorum. (*Chrysostomus.*)

Timendum est autem hoc potius quam exponendum : aperta enim voce tormenta peccantium dicta sunt, ne quis ad ignorantiæ suæ excusationem recurret, si quid de æterno supplicio obscure diceretur. (*Gregorius.*)

Cum enim venerit finis mundi, tunc verum secernendorum piscium judicium demonstrabitur ; et quasi in quodam quietissimo portu boni mittentur in vasa cœlestium mansionum : malos autem torrendos et exsiccandos gehennæ flamma suscipiet. (*Rabanus.*)

II. — Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei : Etiam.



Ait illis : Ideo omnis scriba doctus in regno cœlorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera. (*Matth. XIII. 51, 52.*)

*Intellexistis?* Ad Apostolos enim proprie sermo est, quos non vult audire tantum ut populum, sed etiam intelligere ut magistros futuros. (*Hieronymus.*)

Deinde quia intellexerunt, rursus eos laudat. (*Chrysostomus.*)

Ille in sancta Ecclesia doctus prædicator est qui et nova scit proferre de suavitate regni, et vetusta dicere de terrore supplicii : ut vel pœnæ terreant quos præmia non invitant. (*Gregorius.*)

## MEDITATIO CLIII.

### PARABOLA NONA.

**Servi cui Dominus omne debitum dimisit.**

I. — Accedens Petrus ad eum dixit : Domine quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei? usque septies?

Dicit illi Jesus : Non dico tibi usque septies : sed usque septuagies septies.

Ideo assimilatum est regnum cœlorum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis.

Et cum cœpisset rationem ponere, oblatus est ei unus qui debebat ei decem millia talenta. (*Matth. XVIII. 21, 22, 23, 24.*)

Putavit quidem Petrus aliquid se magnum dicere (*usque septies*). Sed quid amator hominum Christus responderit! (*Chrysostomus.*)

Audeo dicere : Et si septuagies octies peccaverit, ignoscas; et si centies; et omnino quoties peccavit, ignosce. Si enim Christus millia peccatorum invenit, et tamen omnia donavit : noli subducere misericordiam, ait enim Apostolus. (*Col. III.*) Donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam, sicut et Deus in Christo donavit vobis. (*Augustinus.*)

Omnis vitæ nostræ ratio ponenda est a rege, quando omnes nos præsentari oportuerit ante tribunal Christi. Nec hoc dicimus ut suspicio sit ne forte res ipsa necessarium habeat longum tempus. Volens enim Deus ventilare omnium mentes, cito omnia ab omnibus omni tempore gesta, singulis quibuscumque faciet in mentem venire, ineffabili quadam virtute. (*Origenes.*)

II. — Cum autem non haberet unde redderet, jussit eum Dominus ejus venumdari, et uxorem ejus, et filios, et omnia quæ habebat, et reddi. (*Matth. XVIII. 25.*)



Dicendum est quod, quia lex in decem præceptis commendatur ille debebat decem millia talentorum : per quod omnia peccata significat, quæ secundum legem fiunt. (*Augustinus.*)

Homo autem sua voluntate et sponte peccans, suo conatu nullo modo surgere valet : et non habet unde reddat, quia nihil in se invenit per quod se a peccatis solvat. (*Remigius.*)

Hoc autem (Rex) non ex crudelitate jussit, sed ex ineffabili affectione. Vult enim eum terrere per has minas, ut supplicet, et non vendatur : quod et factum ostenditur. (*Chrysostomus.*)

III. — Procidens autem servus ille, orabat eum dicens : Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi.

Misertus autem dominus servi illius, dimisit eum, et debitum dimisit ei. (*Matth. XVIII. 26, 27.*)

Vide divini amoris superabundantiam : petit servus solius temporis dilationem : ipse autem majus eo quod petiit dedit : dimissionem et concessionem totius mutui. Volebat autem et a principio dare; sed no-

lebat solum suum esse donum, sed et supplicationis illius, ut non incoronatus abscedat. (*Chrysostomus.*)

## MEDITATIO CLIV.

### Ingratitudo et immisericordia servi illius.

I. — Egressus autem servus ille invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios : et tenens suffocabat eum, dicens : Redde quod debes. (*Matth. XVIII. 28.*)

Uterque est ergo debitor, uterque veniæ deprecator : omnis enim homo et debitor est Dei, et debitorem habet fratrem suum. (*Augustinus.*)

Tanta autem differentia est peccatorum quæ committuntur in hominem et quæ committuntur in Deum, quanta est differentia decem millium talentorum et centum denariorum : magis autem et multo plus. (*Chrysostomus.*)

Sed ille servus ingratus, iniquus noluit præstare quod illi indigno præstitum fuit. (*Augustinus.*)

Per hoc etiam quod dicitur *egressus*, ostenditur quod non post multum tempus, sed confestim; adhuc quasi in auribus habens



beneficium, in malitiam abusus est liberatione a proprio domino sibi data. (*Chrysostomus.*)

II. — Et procidens conservus ejus, rogabat eum, dicens : Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi. (*Matth. XVIII. 29.*)

Considera subtilitatem Scripturæ : quoniam servus multorum debitor talentorum procidens adoravit regem : qui autem centum debebat denarios, procidens non adorabat, sed rogabat conservum. (*Origenes.*)

III. — Ille autem noluit : sed abiit, et misit eum in carcerem donec redderet debitum. (*Matth. XVIII. 30.*)

Sed neque hæc verba ingratus servus reveritus est quibus salvatus est. (*Chrysostomus.*)

*Ille autem noluit*, id est tenuit contra eum hanc animam ut supplicia illi vellet. (*Augustinus.*)

## MEDITATIO CLV.

### Sententia Domini in servum nequam.

I. — Videntes autem conservi ejus quæ fiebant, contristati sunt valde : et vene-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

runt, et narraverunt Domino suo omnia, quæ facta fuerant. (*Matth. XVIII. 31.*)

Conservi forte Angeli sunt intelligendi, aut prædicatores sanctæ Ecclesiæ : sive quicumque fideles, qui videntes aliquem fratrem remissionem peccatorum adeptam, non velle misereri conservi sui, contristantur de ejus perditione. Veniunt quidem non corpore, sed corde. Domino autem narrare, est dolores, et contristationes cordis in suo affectu demonstrare. (*Remigius.*)

II. — Tunc vocavit illum dominus suus : et ait illi : Serve nequam, omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me : Nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum?

Et iratus dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum. (*Matth. XVIII. 32, 33, 34.*)

Vocavit quidem per sententiam mortis, et ab hoc sæculo migrare jussit. (*Remigius.*)

Et quando quidem millia talenta debebat, non vocavit eum nequam, neque est conviciatus, sed misertus : quando autem contra conservum ingratus est effectus, tunc dicitur, *Serve nequam.* (*Chrysostomus.*)

Et sciendum, quia servus ille malum responsum legitur domino dedisse : in quo



demonstratur quod in die judicii, et statim post hanc vitam, omne argumentum excusationis cessabit. (*Remigius.*)

Quia vero beneficio non est factus melior, relinquitur ut pœna corripiatur. (*Chrysostomus.*)

Numquid autem postquam aliquis demersus fuerit in æternam damnationem, poterit invenire spatium corrigendi aut aditum exeundi? Non, sed *quousque* ponitur pro infinito, et est sensus : semper solvet, sed nunquam persolvet, et semper pœnam luet. (*Remigius.*)

III. — Sic et Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris. (*Matth. XVIII. 35.*)

Melius est ut clames ore, et dimittas in corde, quam sis blandus ore et crudelis in corde. (*Augustinus.*)

Ideo enim Dominus subdit, *de cordibus vestris*, ut si per caritatem imponitis disciplinam, de corde lenitas non recedat. Quid enim tam pium, quam medicus ferens ferramentum? Sævit in vulnus, ut homo curetur : quia si vulnus palpatur, homo perditur. (*Augustinus.*)

## MEDITATIO CLVI.

### PARABOLA DECIMA.

**Boni Pastoris, Mercenarii, Ovium.**

I. — Amen, amen dico vobis : qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde : ille fur est, et latro.

Qui autem intrat per ostium, pastor est ovium. (*Joan. X. 1, 2.*)

Quicumque ergo vult intrare ad ovile, per ostium intret : non solum Christum prædicet, sed Christi gloriam quærat non suam.

Intrat per ostium qui intrat per Christum, qui imitatur passionem Christi, qui cognoscit humilitatem Christi : ut cum Deus factus sit homo pro nobis, cognoscat se homo non esse Deum, sed hominem. Qui enim vult Deus videri cum sit homo, non imitatur illum qui cum Deus esset, homo factus est. Tibi autem non dicitur : Esto aliquid minus quam es; sed agnosce quid es. (*Augustinus*)

II. — Huic ostiarius aperit, et oves vocem ejus audiunt, et proprias oves vocat nominatim, et educit eas.

Et cum proprias oves emiserit, ante eas vadit : et oves illum sequuntur quia sciunt vocem ejus. (*Joan. X. 3, 4.*)



Spiritus sanctus est ostiarius, per quem Scripturæ reseratæ nobis indicant Christum. (*Theophylactus.*)

*Proprias oves vocat nominatim*, novit enim nomina prædestinatorum, unde discipulis ait : " Gaudete quoniam nomina vestra scripta sunt in cœlo. " (*Augustinus.*)

Vadit autem ante eas, et tamquam is qui primus conversionis viam calcavit, et sicut qui ea fecit quæ docet. (*Euthymius, ibid.*)

III. — Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo : quia non noverunt vocem alienorum.

Hoc proverbium dixit eis Jesus. Illi autem non cognoverunt quid loqueretur eis. (*Joan. X. 5, 6.*)

Sed quomodo solvetur ista quæstio? Audiunt vocem Christi quandoque non oves : audivit enim Judas, sed lupus erat; et non audiunt oves : aliqui enim eorum qui Christum crucifixerunt, non audierunt, sed oves erant. Sed dicet aliquis : Quando non audiebant, oves non erant : vox audita eos mutavit, et ex lupis oves fecit. Me autem adhuc movet quod per Ezechielem objurgat Dominus pastores, et dicit inter cetera de ovibus (*cap. XXXIV.*) : " Errantem non revocastis. " Et errantem dicit, et ovem appellat. Non erraret, si vocem pastoris audiret : sed ideo erravit, quia vocem alieni audivit.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Dico ergo : " Novit Dominus qui sunt ejus " (*II. Tim. II.*) : Novit præscitos, novit prædestinatos. Ipsi sunt oves, aliquando se ipsi nesciunt; sed pastor novit eas : multæ enim oves foris sunt, et multi lupi intus. De prædestinatis ergo loquitur. (*Augustinus.*)

## MEDITATIO CLVII.

### EXPOSITIO.

#### Quid sit ostium.

I. — Dixit ergo eis iterum Jesus : Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium ovium.

Omnes quotquot venerunt, fures sunt, et latrones, et non audierunt eos oves. (*Joan. X. 7, 8.*)

Ecce quod clausum posuerat, aperuit : ipse est ostium : intremus, et nos intrasse gaudeamus. (*Augustinus.*)

Quotquot ergo præter illum venerunt, fures fuerunt et latrones, sed *non audierunt eos oves :* illi scilicet de quibus dictum est : " Novit Dominus qui sunt ejus. " (*II. Tim. II.*) Eos ergo non audierunt in quibus non erat vox Christi, errantes, vane fingentes, miseros seducentes. (*Augustinus.*)



II. — Ego sum ostium. Per me si quis introierit salvabitur : et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet. (*Joan. X. 9.*)

Quasi dicat : Illos non audiunt oves, sed me audiunt : quia ego sum ostium; et qui per me non fictus, sed verus introierit, perseverando salvabitur. (*Alcuinus.*)

Sive ingrediatur, sive egrediatur, quocumque se verterit, quidquid egerit, succedet pro voto. *Et pascua inveniet.* Pascua divinæ Providentiæ, cibi spiritualis, doctrinæ sanæ, sacramentorum Ecclesiæ, etc... ita ut merito dicere possit : " Dominus regit me, et nihil mihi deerit : in loco pascuæ, ibi me collocavit." (*Psal. XXII. 1.*) (*Menochius, ibid.*)

III. — Fur non venit nisi ut furetur, et mactet et perdat. Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant. (*Joan. X. 10.*)

Merito oves non audiunt vocem furis, quia non venit fur nisi ut furetur, alienam rem sibi usurpando, non de præceptis Christi suos sectatores instruens, sed suis exemplis, eos vivere suadens : unde subditur, *et mactet*, mala doctrina retrahendo a fide, *et perdat*, in æterna damnatione. Illi ergo furantur et occidunt. (*Alcuinus.*)

Fur diabolus est, qui venit tentando ut furetur per cogitationes illicitas, et mactet

per concensum, et deinde per opera destruat. (*Theophilactus.*)

## MEDITATIO CLVIII.

### EXPOSITIO.

Quis sit Pastor, quis mercenarius?

I. — Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. (*Joan. X. 11.*)

Aperuit Dominus duas res quas quodammodo clausas proposuerat. Primo quidem scimus quia ostium ipse est : nunc autem ostendit quia pastor est. Et quidem quod pastor est dedit et membris suis : Nam et Petrus pastor, et ceteri Apostoli pastores, et omnes boni Episcopi : ostium vero nemo nostrum se dicit : hoc sibi ipse proprie tenuit. Non autem adderet *Bonus*, nisi essent et pastores mali : ipsi sunt fures et latrones, aut certe ut multum mercenarii. (*Augustinus.*)

Fecit quod monuit, ostendit quod jussit : pro ovibus suis animam suam posuit, ut in sacramento nostro corpus suum et sanguinem verteret, et oves quas redemerat carnis suæ alimento satiaret. Ostensa est nobis de contemptu mortis via quam sequamur, apposita forma cui imprimamur. (*Gregorius.*)



II. — Mercenarius autem est qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, et dimittit oves et fugit : et lupus rapit, et dispergit oves :

Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus. (*Joan. X. 12, 13.*)

Filii æternam hereditatem patris patienter exspectant, mercenarius temporalem mercedem conducentis festinanter exoptat : et tamen per linguas utrorumque divina Christi gloria diffamatur. Inde ergo lædit unde mala facit, non unde bona dicit : botrum carpe, spinam cave; quia botrus aliquando de radice viti exortus, pendet in spinis : multi quippe in Ecclesia commoda terrena sectantes, Christum prædicant, et per eos vox Christi auditur; et sequuntur oves; non mercenarium, sed vocem Pastoris per mercenarium. (*Augustinus.*)

III. — Ego sum pastor bonus : et cognosco meas, et cognoscunt me meæ.

Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem : et animam meam pono pro ovibus meis. (*Joan. X. 14, 15.*)

Hinc differentiam mercenarii et pastoris elicias : nam mercenarius ignorat oves, quia raro visitat eas : pastor vero cognoscit oves

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

proprias tamquam erga eas sollicitus. (*Theophylactus.*)

In hoc constat quia cognosco Patrem et cognoscor a Patre, quia *animam meam pono pro ovibus meis :* id est ea caritate qua pro ovibus meis morior, quantum Patrem diligam ostendo. (*Chrysostomus.*)

IV. — Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili : et illas oportet me adducere et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor. (*Joan. X. 16.*)

Quasi ex duobus gregibus unum ovile efficit, quia Judaicum et Gentilem populum in sua fide conjungit. (*Gregorius.*)

Idem namque omnibus est baptismi signaculum, unus pastor Verbum Dei. Attendant ergo, quoniam unum ovile et unus pastor est novi et veteris testamenti. (*Theophylactus.*)

## MEDITATIO CLIX.

### PARABOLA UNDECIMA.

Samaritani curantis eum
qui incidit in latrones.

I. — Quidam legisperitus (*Luc. X. 25.*) volens justificare seipsum dixit ad Jesum : Et quis est meus proximus?



Suscipiens autem Jesus dixit : Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum : et plagis impositis abierunt semivivo relicto.

Accidit autem ut sacerdos quidam descenderet eadem via : et viso illo præterivit.

Similiter et Levita, cum esset secus locum, et videret eum, pertransiit. (*Luc. X. 29, 30, 31, 32.*)

Salvator autem non actibus aut dignitatibus, sed natura determinat proximum : quasi dicat : Non putes quod quamvis justus sis, nullus tibi sit proximus : omnes namque qui eamdem naturam communicant, proximi tui sunt. Fias igitur et tu eorum proximus, non loco, sed affectu, et circa eos cura : Et ad hoc Samaritanum adducit. (*Theophylactus.*)

Hierusalem, quæ interpretatur visio pacis, paradisum dicimus. Ante enim quam peccaret homo in visione pacis erat, hoc est in paradiso, ubi quicquid videbat, pax erat et lætitia. Inde descendit quasi humiliatus, et miser factus per peccatum in Hierico, id est in mundum, in quo omnia occidunt, sicut luna. (*Augustinus.*)

Non autem dicit : Descendit, sed *descendebat :* semper enim humana natura ad in-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

feriora tendebat : et non in parte, sed in toto, vitæ attendebat passibili. (*Theophylactus.*)

Qui sunt autem isti latrones nisi angeli noctis atque tenebrarum, in quos non incidisset, nisi eis mandati cœlestis devius, se fecisset obnoxium. (*Ambrosius.*)

Spoliaverunt hominem immortalitate, et plagis impositis, peccata suadendo, reliquerunt semivivum : quia ex parte qua potest intelligere et cognoscere Deum vivus est homo : ex parte autem qua peccatis contabescit et premitur, mortuus est. (*Augustinus.*)

In Sacerdote et Levita duo tempora intelliguntur, legis scilicet et Prophetarum : quorum temporibus humanum genus sanari non potuit, quia per legem cognitio peccati, non abolitio. (*Theophylactus.*)

II. — Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum : et videns eum misericordia motus est.

Et appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum et vinum : et imponens eum in jumentum suum, duxit in stabulum, et curam ejus egit. (*Luc. X. 33, 34.*)

Vocat autem hic Christus se Samaritanum opportune : cum enim alloqueretur legisperitum superbientem in lege, voluit exprimere quoniam nec Sacerdos, nec levita, et qui conversabantur in lege, legis proposi-



tum implebant; sed ipse venit consummaturus legis propositum. (*Græcus.*)

Dicit *iter faciens*, quasi ex proposito hoc statuens, ut nos curaret. (*Theophylactus.*)

Veniens autem " factus est compassionis nostræ susceptione finitimus, et misericordiæ collatione vicinus. " (*Ambrosius.*)

Alligatio vulnerum est cohibitio peccatorum. (*Augustinus.*)

Vinum infundit, id est sanguinem passionis, et oleum chrismatis, ut indulgentia daretur per sanguinem, sanctificatio conferretur per chrismatis unctionem. (*Chrysostomus.*)

Et bene jumento impositum duxit in stabulum, quia nemo, nisi per baptismum corpori Christi adunatus Ecclesiam intrabit. (*Beda.*)

III. — Et altera die protulit duos denarios, et dedit stabulario et ait : Curam illius habe : et quodcumque supererogaveris, ego cum rediero reddam tibi. (*Luc. X. 35.*)

Sed non vacabat Samaritano huic diu in terris degere, redeundum erat unde descenderat. (*Ambrosius.*)

Beatus ergo ille stabularius qui alterius vulnera curare potest : beatus ille cui dicit Jesus : *Quodcumque supererogaveris, revertens reddam tibi.* Sed, quando reverteris,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Domine, nisi judicii die? Nam licet ubique sis semper et stans in medio nostrum, non cerneris a nobis; erit tamen tempus quo universa caro te respiciet revertentem. Reddes ergo quod debes. Beati quibus es debitor. Utinam nos simus idonei debitores, ut quod accepimus possimus absolvere. (*Ambrosius.*)

IV. — Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones?

At ille dixit : Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Jesus : Vade, et tu fac similiter. (*Luc. X. 36, 37.*)

Nullum exceptum esse cui misericordiæ denegetur officium, quis non videat? dicente Domino. (*Matth. VI.*) " Benefacite his qui vos oderunt. " Unde manifestum est, hoc præcepto quo jubemur diligere proximum, etiam sanctos Angelos contineri, a quibus tanta nobis misericordiæ impenduntur officia, ex quo et ipse Dominus proximum nostrum se dici voluit, significans se opitulatum esse semivivo jacenti in via. (*Augustinus.*)



## MEDITATIO CLX.

### PARABOLA DUODECIMA.

**Amici noctu petentis ab amico panes.**

I. — Ait Jesus ad illos : Quis vestrum habebit amicum, et ibit ad illum media nocte, et dicet illi : Amice, commoda mihi tres panes.

Quoniam amicus meus venit de via ad me, et non habeo quod ponam ante illum. (*Luc. XI. 5, 6.*)

Amicus ad quem venitur media nocte, ut accommodet tres panes, utique ad similitudinem ponitur secundum quam quis rogat Deum in media tribulatione constitutus, ut ei tribuat intelligentiam Trinitatis qua præsentis vitæ consoletur labores. Ipsa enim angustia media nox est, qua cogitur vehementer instare. In tribus autem panibus etiam illud significatur, unius subtantiæ esse Trinitatem. Amicus autem veniens de via, intelligitur hominis appetitus, qui debet rationi servire : serviebat autem consuetudini temporali; quam viam vocat propter omnia transeuntia. Converso autem homine ad Deum, etiam ille appetitus a consuetudine revocatur. Sed si non consoletur interius gaudium de doctrina spirituali, qua Creatoris Trinitas prædicatur, magnæ angustiæ

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sunt in homine quem premit ærumna mortalis; cum ab his quæ foris delectant præcipitur abstinentia, et intus non est refectio de lætitia doctrinæ spiritualis; et tamen orando efficitur ut accipiat desiderans intellectum a Domino, etiamsi homo desit per quem sapientia prædicetur. (*Augustinus.*)

II. — Et ille deintus respondens dicat: Noli mihi molestus esse, jam ostium clausum est, et pueri mei mecum sunt in cubili: non possum surgere et dare tibi. (*Luc. XI. 7.*)

Forsitan ob hoc differt, quasi ingeminans tui assiduitatem et frequentiam erga se, et ut agnoscas quid donum Dei sit, et in timore donata custodias. Quicquid enim aliquis multo labore acquirit, nititur custodire, ne cum illud perdiderit, suum laborem amittat. (*Basilius.*)

III. — Et si ille perseveraverit pulsans: dico vobis, etsi non dabit illi surgens eo quod amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus surget, et dabit illi quot-quot habet necessarios. (*Luc. XI. 8.*)

Comparatio est a minori: si enim amicus homo surgit de lecto et dat, non amicitia sed tædio compulsus: quanto magis Deus dat, qui sine tædio largissime donat quod petitur?



## MEDITATIO CLXI.

### EXPOSITIO PRÆCEDENTIS PARABOLÆ.

I. — Et ego dico vobis: Petite, et dabitur vobis: quærite et invenietis: pulsate et aperietur vobis.

Omnis enim qui petit, accipit: et qui quærit, invenit: et pulsanti aperietur, (*Luc. XI. 9, 10. — Matth. VII. 7, 8.*)

Petere quidem est orare; quærere vero, per bona opera agere orationi condigna: pulsare autem est orationi immorari, nec desistere. (*Græcus.*)

Non autem nos tantum hortaretur ut peteremus, nisi dare vellet. Erubescat humana pigritia, plus vult ille dare quam nos accipere. (*Augustinus.*)

Ideo ergo quandoque petis et non accipis, quia perperam postulasti, vel infideliter, vel leviter, vel non conferentia tibi, vel destitisti. (*Basilius.*)

II. — Quis autem ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? Aut piscem: numquid pro pisce, serpentem dabit illi?

Aut si petierit ovum: numquid porriget illi scorpionem? (*Luc. XI. 11, 12. — Matth. VII. 9, 10.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Panis, qui est communis cibus caritatem significat, sine qua aliæ virtutes nihil valent. Piscis significat fidem; quæ ex aqua baptismatis orta est. Lucas addit tertium, scilicet ovum, quod est spes animalis, unde spem significat.

Contra caritatem ponit lapidem, id est odii duritiam : contra fidem, serpentem, idest perfidiæ venenum; contra spem, scorpionem, idest desperationem quæ retro pungit, sicut scorpio. (*Rabanus.*)

III. — Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris : quanto magis Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se. (*Matth. VII. 11.*)

Bonum quod facit bonos, Deus est. Aurum autem et argentum bonum est, non quod te faciat bonum, sed unde facias bonum. Mali ergo cum simus, et bonum patrem habeamus, non semper mali remaneamus. (*Augustinus.*)

A Deo non nisi bona percipimus, qualiacumque nobis videantur : omnia enim dilectis in bonum cooperantur. (*Glossa.*)

IV. — Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis. Hæc est enim lex et prophetæ. (*Matth. VII. 12.*)



Promiserat se Dominus petentibus bona largiturum. Ut autem ille agnoscat mendicos suos, agnoscamus et nos nostros. Excepta enim substantia facultatum, tales sunt qui petunt, tales a quibus petunt; quam frontem habes petendi ad Deum tuum, qui non agnoscis parem tuum. (*Augustinus.*)

Quæcumque lex et Prophetæ sparsim in omnibus præceperunt Scripturis, in hoc compendioso continentur mandato; quasi innumerabiles arborum rami in una radice. (*Chrysostomus.*)

Ideo Scriptura tantum dilectionem proximi commemorat, cum dicit, *omnia quæcumque vultis;* quia qui proximum diligit, consequens est ut et ipsam præcipue dilectionem diligat : Deus autem dilectio est : consequens est ergo ut præcipue diligat Deum. (*Augustinus.*)

## MEDITATIO CLXII.

### PARABOLA DECIMA TERTIA.

**Divitis consolantis se et illa hac nocte mortui.**

I. — Dixit Jesus similitudinem ad illos dicens : Hominis cujusdam divitis uberes fructus ager attulit :



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Et cogitabat intra se dicens : Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos? (*Luc. XII. 16, 17.*)

Conqueritur æque pauperibus. An non quem premit inopia, dicit, *quid faciam?* Unde victus, unde calceamenta? Talia et locuples profert : urgent enim ipsius animam divitiæ a promptuariis emanantes, ne forte cum exiverint prosint egentibus; a simili gulosorum, qui mallent edacitate crepare quam indigentibus de reliquiis impartiri. (*Basilius.*)

II. — Et dixit : Hoc faciam : destruam horrea mea, et majora faciam : et illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi, et bona mea.

Et dicam animæ meæ : anima, habes multa bona posita in annos plurimos : requiesce, comede, bibe, epulare. (*Luc. XII. 18, 19.*)

Erat quidem in promptu dicere : Aperiam horrea, convocabo egenos; sed cogitat non ut distribuat, sed ut congreget : sequitur enim : *Hoc faciam : destruam horrea mea.* Bene facis : nam digna destructione nequitiæ promptuaria : dissolve horrea, ex quibus nullus consolationem accepit. Subdit : *et majora faciam.* At si et hoc impleveris, numquid destrues iterum? quid stultius,



quam in infinitum laborare? Horrea sunt tibi, si vis, pauperum domus. (*Basilius.*)

Si quis sic vivat quasi quotidie moriturus, eo quod incerta est naturaliter vita nostra, non peccabit : semper enim major timor plurimum voluptatis dissolvit. Sed e contrario dives longævitatem sibi repromittens, ad voluptates adspirat : sequitur enim : *requiesce*, scilicet a labore, *comede*, *bibe*, *epulare*, magno scilicet apparatu. (*Athanasius.*)

III. — Dixit autem illi Deus : Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te : quæ autem parasti, cujus erunt?

Sic est qui sibi thesaurizat et non est in Deum dives. (*Luc. XII. 20, 21.*)

Sed dum in abdito loquitur, eloquia ejus examinantur in cœlo, unde sibi responsa proveniunt : Audi conveniens tibi stultitiæ nomen, quod tibi nullus hominum imposuit, sed ipse Deus. (*Basilius.*)

Eadem nocte sublatus est qui multa tempora fuerat præstolatus. (*Gregorius.*)

Non solum nullum inde (ex divitiis) percipiens commodum, sed et sarcinam peccatorum portans super humeros proprios.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## MEDITATIO CLXIII.

### PARABOLA DECIMA QUARTA.

**Servi vigilantis nocte et Dominum exspectantis.**

I. — Dixit Jesus discipulis suis : Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris.

Et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum quando revertatur a nuptiis; ut cum venerit, et pulsaverit, confestim aperiant ei. (*Luc. XII. 35, 36.*)

Expediti esse debemus ab impedimentis lasciviosæ vitæ et implicitæ. Item lucernas ardentes habere, id est, mentes a fide accensas, et operibus veritatis relucentes, atque ita exspectare Dominum, id est Christum. (*Tertul. ad. Mar. lib. 4.*)

Ad nuptias quippe Dominus abiit, quia ascendens in cœlum supernam sibi multitudinem Angelorum novus homo copulavit. (*Gregorius.*)

Quotidie etiam in cœlis desponsat sanctorum animas, quas ei Paulus,vel alius similis offert virginem castam. Redit autem a nuptiis celebratis in cœlis, forsan quidem universaliter in consummatione totius mundi, quando veniet de cœlo in gloria Patris : forsan etiam singulis horis adstans inopinate



particulari uniuscujusque consummationi. (*Theophylactus.*)

II. — Beati servi illi, quos cum venerit dominus, invenerit vigilantes : Amen dico vobis, quod præcinget se, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis.

Et si venerit in secunda vigilia, et si in tertia vigilia venerit, et ita invenerit, beati sunt servi illi. (*Luc. XII. 37, 38.*)

Vigilat qui ad adspectum veri luminis mentis oculos apertos tenet; qui servat operando quod credit; qui a se corporis et negligentiæ tenebras repellit. (*Gregorius.*)

Propter hanc vigiliam observandam supra Dominus monuit, ut sint lumbi præcincti, et lucernæ ardentes : lumen enim oppositum oculis pellit somnolentiam oculorum : lumbi etiam cingulo præcincti reddunt corpus insusceptibile somni : nam qui præcinctus est castitate, et pura conscientia illustratus perseverat insomnis. (*Gregorius Nyssenus.*)

Cum igitur Dominus veniens suos insomnes invenerit et præcinctos, cor illuminatum habentes : tunc eos promulgabit beatos. (*Cyrillus.*)

*Præcinget se.* Erit enim præcinctus justitia circa lumbos suos, secundum Isaiam XI. 5. — (*Origenes.*)

Per quam præcingit se, id est ad retributionem se præparat. (*Theophylactus.*)

Faciet igitur illos discumbere, quasi fessos refocillans, apponens spirituales delicias, et statuens dapsilem donorum suorum mensam. (*Cyrillus.*)

Quasi vicem æqualem eis reddens, ut sicut ipsi ministraverunt ei, ita et ipse eis ministrat. (*Theophylactus.*)

Qui ergo vigilare in prima vigilia noluit, custodiat in secunda; et qui in secunda noluit, tertiæ vigiliæ remedia non amittat : ut qui conversi in pueritia neglexit, saltem in tempore juventutis, vel in senectute resipiscat. (*Gregorius.*)

III. — Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam.

Et vos estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet. (*Luc. XII. 39, 40.*)

Nesciente patrefamilias, fur domum perfodit : quia dum a sui custodia spiritus dormit, improvisa mors veniens carnis nostræ habitaculum irrumpit : furi autem resisteret si vigilaret : quia adventum judicis, qui occulte animam capit, præcavens, ei pœnitendo occurreret, ne impœnitens periret. Horam vero ultimam Dominus idcirco nobis voluit esse incognitam, ut dum illam prævidere non possumus, ad illam sine intermissione præparemur. (*Gregorius.*)



## MEDITATIO CLXIV.

### PARABOLA DECIMA QUINTA.

#### Ficulneæ infrugiferæ quæ jubetur excidi.

I. — Dicebat Jesus hanc similitudinem : Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, et venit quærens fructum in illa, et non invenit. (*Luc. XIII. 6.*)

Sed et quisque nostrum ficus est in vinea Dei, hoc est in Ecclesia, vel in hoc mundo plantata.

Sed in triennium intelligendum est pro tribus ætatibus, puerili, virili, et senili. (*Theophylactus.*)

II. — Dixit autem ad cultorem vineæ : Ecce anni tres sunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, et non invenio : succide ergo illam : ut quid etiam terram occupat? (*Luc. XIII. 7.*)

Sed cum magno timore audiendum est quod dicitur, *succide ergo illam, etc.* Unusquisque enim juxta modum suum, in quantum locum vitæ præsentis tenet, si fructum bonæ operationis non exhibet, velut infructuosa arbor terram occupat : quia in eo loco in quo ipse est, aliis operandi occasionem negat. (*Gregorius.*)

III. — At ille respondens, dicit illi : Domine dimitte illam et hoc anno, usque dum fodiam circa illam, et mittam stercora.

Et siquidem fecerit fructum : sin autem in futurum succides eam. (*Luc. XIII. 8, 9.*)

Paterfamilias Deus Pater est : cultor vero Christus, qui ficum amputari ut sterilem non permittit. Quasi ad Patrem diceret : Si per legem et Prophetas fructum pœnitentiæ non dederunt, meis eos irrigabo passionibus et doctrinis : et forsitan dabunt obedientiæ fructum. (*Theophylactus.*)

Qui autem non vult nunc ad fœcunditatem pinguescere per increpationem, illic cadit unde jam resurgere per pœnitentiam non valet. (*Gregorius.*)

## MEDITATIO CLXV.

### PARABOLA DECIMA SEXTA.

**Angustæ portæ qua intratur ad cœlum.**

I. — Ait Jesu quidam : Domine, si pauci sunt, qui salvantur? Ipse autem dixit ad illos :

Contendite intrare per angustam portam; quia multi, dico vobis, quærent intrare, et non poterunt.



Cum autem intraverit paterfamilias, et clauserit ostium, incipietis foris stare, et pulsare ostium dicentes : Domine aperi nobis : et respondens dicet vobis : Nescio vos unde sitis :

Tunc incipietis dicere : Manducavimus coram te, et bibimus, et in plateis nostris docuisti. (*Luc. XIII. 23, 24, 25, 26.*)

Confirmavit Dominus quod audivit, scilicet quod pauci sunt qui salvantur, quia per angustam portam pauci intrant. (*Augustinus.*)

Dicturus autem angustæ portæ introitum, præmisit, *Contendite :* quia nisi mentis contentio ferveat, unda mundi non vincitur, per quam anima semper ad ima revocatur. (*Gregorius.*)

*Multi, quærent intrare.* Salutis amore provocati : *et non poterunt* itineris asperitate deterriti. (*Beda.*)

Sicut si paterfamilias qui multos ad convivium vocavit, ingresso cum convivis, et ostio recluso, postmodum pulsantes adveniant. (*Cyrillus.*)

Est autem paterfamilias Christus, qui cum ubique ex divinitate sit, illis jam intus esse dicitur quos in cœlo præsens sua visione lætificat : sed quasi foris est his quos in hac peregrinatione certantes occultus adjuvat. Intrabit vero cum totam Ecclesiam

ad sui contemplationem perducet : claudet ostium, cum reprobis locum pœnitentiæ tollet; qui foris stantes pulsabunt, idest a Justis segregati misericordiam quam contempserunt frustra implorabunt. *Manducavimus coram te*, etc. Simpliciter ad Israelitas dicitur. Sed et christianis hæc congruunt : nos enim comedimus corpus Christi et bibimus sanguinem ejus quotidie, ad mensam mysticam accedentes : docetque in plateis animarum nostrarum. (*Theophylactus.*)

II. — Et dicet vobis : Nescio vos unde sitis : discedite a me omnes operarii iniquitatis.

Ibi erit fletus et stridor dentium : cum videritis Abraham, et Isaac, et Jacob et omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras. (*Luc. XIII. 27, 28.*)

Illis forsitan loquitur quos describit Apostolus in propria persona dicens : "Si linguis hominum loquar et Angelorum, et habeam omnem scientiam, et distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum : caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest." (*1. Corinth. XIII.*) Quod enim non fit divini amoris intuitu non invenit laudem apud Deum. (*Basilius.*)

Stridebunt dentes qui hic de edacitate gaudebant, flebunt oculi qui hic per concupiscentias vagabantur. Per utrumque autem



veram impiorum resurrectionem designat. (*Glossa.*)

Pertinet etiam hoc ad Israelitas, cum quibus loquebatur; qui ex hoc maxime percelluntur quod Gentiles cum patribus requiescunt, ipsi vero excluduntur. (*Theophylactus.*)

III. — Et venient ab Oriente, et Occidente, et Aquilone, et Austro et accumbent in regno Dei.

Et ecce sunt novissimi qui erunt primi, et sunt primi qui erunt novissimi. (*Luc. XIII. 29, 30.*)

Nos autem, ut videtur, primi sumus qui ab ipsis cunabulis rudimenta accepimus : et forsitan erimus novissimi respectu Gentilium, qui circa finem vitæ crediderunt. (*Theophyl.*)

Multi etiam prius ferventes, postea torpent : multi prius frigidi, subito inardescunt : multi in sæculo despecti, in futuro sunt glorificandi; alii apud homines gloriosi, in fine sunt damnandi. (*Beda.*)

## MEDITATIO CLXVI.

### PARABOLA DECIMA SEPTIMA.

**De captando inter convivas ultimo loco.**

I. — Dicebat autem et ad invitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos :

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit invitatus ab illo.

Et veniens is, qui te et illum vocavit, dicat tibi : Da huic locum : et tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere. (*Luc. XIV. 7, 8, 9.*)

Quisquis nuptias Christi et Ecclesiæ invitatus adierit, membris Ecclesiæ per fidem conjunctus, non se extollat, quasi sublimior ceteris, de meritis gloriando ; dabit enim locum honoratiori post invitato, cum illorum qui se in Christo secuti sunt agilitate præitur, et cum rubore novissimum locum tenet, quando de aliis meliora cognoscens, quicquid de sua operatione celsum sentiebat humiliat. (*Beda.*)

II. — Sed cum vocatus fueris, vade, recumbe in novissimo loco : ut, cum venerit qui te invitavit, dicat tibi : Amice, ascende superius. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus. (*Luc. XIV. 10.*)

Sed recumbit aliquis in novissimo loco, secundum illud. " Quanto magnus es, humilia te in omnibus. " (*Eccli. III. 20.*) Veniens autem Dominus, quem humilem invenerit, amici nomine beatificans, ascendere superius præcipiet : " Quicumque enim humiliaverit se sicut parvulus, hic est major in regno cœlorum. " (*Matth. XVIII. 4.*) Pulchre autem dicitur. *Tunc erit tibi gloria :* ne nunc quærere incipias quod tibi servatur in fine. (*Beda.*)



III. — Quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur : et qui se humiliat, exaltabitur. (*Luc. XIV. 11.*)

Ex conclusione generali, qua subditur, manifeste claret præcedentem Domini sermonem typice intelligendum. Neque enim omnis qui se coram hominibus exaltat, humiliatur : aut qui se in conspectu hominum humiliat, exaltatur ab eis : sed qui se de meritis elevat, humiliabitur a Domino ; et qui se de beneficiis humiliat, exaltabitur ab eo. (*Beda.*)

## MEDITATIO CLXVII.

### PARABOLA DECIMA OCTAVA.

### De computandis sumptibus ante fabricam turris et ante bellum.

I. — Quis ex vobis volens turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus, qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ne, posteaquam posuerit fundamentum, et non potuerit perficere, omnes, qui vident, incipiant illudere ei.

Dicentes : Quia hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare. (*Luc. XIV. 28, 29, 30.*)

Non debemus ponere fundamentum, idest sequi Christi initium, et finem non imponere, sicut illi de quibus Joannes dicit : (*Cap. VI.*) Quod " multi ex discipulis ejus abierunt retrorsum. " Vel fundamentum intellige doctrinalem sermonem, puta de abstinentia. Ponamus igitur prædicto fundamento operationis ædificium, ut perficiatur nobis " turris fortitudinis a facie inimici : " (*Psal. LX.*) Alioquin deridetur homo a videntibus eum, tam hominibus quam dæmonibus. (*Theophylactus.*)

In bonis enim operationibus intenti, nisi contra malignos spiritus sollicite vigilemus, ipsos irrisores patimur, quos ad malum persuasores habemus. (*Gregorius.*)

II.—Aut quis rex iturus committere bellum adversus alium regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se?

Alioquin adhuc illo longe agente, legationem mittens rogat ea, quæ pacis sunt. (*Luc. XIV. 31, 32.*)



Incumbit nobis prœlium contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus ; urget autem nos et aliorum hostium multitudo; carnale flagitium, lex sæviens in membris nostris, et variæ passiones, hæc est dira hostium multitudo. (*Gregorius.*)

Vel decem millia prœliaturi cum rege qui habet viginti millia, significant simplicitatem Christiani hominis, dimicaturi cum duplicitate diaboli. (*Augustinus.*)

III. — Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. (*Luc. XIV. 33.*)

Itaque sumptus ad turrim ædificandam, et valentia decem millium adversus regem qui viginti millia habet, nihil aliud est, quam ut renuntiet unusquisque omnibus quæ sunt ejus. (*Augustinus.*)

Distat autem inter renuntiare omnibus et relinquere omnia : paucorum enim perfectorum est relinquere omnia, hoc est curas mundi postponere : cunctorum autem fidelium est renuntiare omnibus, hoc est sic tenere quæ mundi sunt, ut tamen per ea non teneantur in mundo. (*Beda.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## MEDITATIO CLXVIII.

### PARABOLA DECIMA NONA.

**Ovis centesimæ perditæ quam Pastor requisivit.**

I. — Erant appropinquantes ei publicani, et peccatores ut audirent illum.

Et murmurabant Pharisæi, et Scribæ, dicentes : Quia hic peccatores recipit, et manducat cum illis. (*Luc. XV. 1, 2.*)

Venit enim Filius hominis salvare quod perierat. (*Matth. XVIII. 11.*)

Hoc enim exsequebatur cujus causa carnem susceperat, admittens peccatores, sicut medicus ægrotantes. (*Theophylactus.*)

Ex qua re colligitur quia vera justitia compassionem habet, falsa dedignationem ; quamvis et justi soleat recte peccatoribus indignari. Sed aliud est quod agitur typo superbiæ, aliud quod zelo disciplinæ : quia justi, etsi foris increpationes per disciplinam exaggerant, intus tamen dulcedinem per caritatem servant : præponunt sibi in animo ipsos plerumque quos corrigunt ; quod agentes, per disciplinam subditos, et per humilitatem custodiunt semetipsos. (*Gregorius.*)

II. — Et ait ad illos parabolam istam dicens. (*Luc. XV. 3.*)



Quid vobis videtur? (*Matth. XVIII. 12.*)

Quis ex vobis homo, qui habet centum oves : et si perdiderit unam — erraverit una (*Matth. XVIII. 12.*) ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, — in montibus (*Matth. XVIII. 12.*) — et vadit ad illam quæ perierat — quærere eam, quæ erravit (*Matth. XVIII. 12.*) — donec inveniat eam. (*Luc. XV. 4.*)

Dives pastor, cujus nos omnes centesima portio sumus. (*Ambrosius.*)

Una ovis tunc periit quando peccando homo pascua vitæ reliquit. In deserto autem nonaginta novem remanserant : quia rationalis creaturæ numerus, Angelorum videlicet et hominum, qui ad videndum Deum conditus fuerat, pereunte homine erat imminutus : unde sequitur : *nonne dimittit nonaginta novem in deserto?* Quia scilicet Angelorum choros reliquit in cœlo. Tunc autem homo cœlum deseruit cum peccavit. Et ut perfecta summa ovium integraretur in cœlo, homo perditus quærebatur in terra. (*Gregorius.*)

III. — Et si contigerit ut inveniat eam. (*Matth. XVIII. 13.*) Imponit in humeros suos gaudens :

Et veniens domum convocat amicos, et vicinos, dicens illis : Congratulamini

mihi quia inveni ovem meam, quæ perierat. (*Luc. XV. 5, 6.*)

Amen dico vobis, quia gaudet super eam, magis quam super nonaginta novem, quæ non erraverant. (*Mat. XVIII. 13.*)

Ovem humeris suis imposuit, quia humanam naturam suscipiens, peccata nostra ipse portavit. Inventa ove, ad domum redit, quia pastor noster, reparato homine, ad regnum cœleste redit. Amicos et vicinos vocat Angelorum choros : quia amici ejus sunt, quia voluntatem ejus continue in sua stabilitate custodiunt : vicini quoque ejus sunt, quia claritatem visionis illius sua assiduitate perfruuntur. (*Gregorius.*)

Et notandum, quod non dicit, *Congratulamini* inventæ ovi, sed *mihi*. Quia videlicet ejus est gaudium vita nostra ; et cum nos ad cœlum reducimur, solemnitatem lætitiæ illius implemus. (*Gregorius.*)

IV. — Sic non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis. (*Mat. XVIII. 14.*)

In eo quod dicit ostendit, quod quotiescumque perierit aliquis ex pusillis, non voluntate Patris perit. (*Hieronymus.*)



## MEDITATIO CLXIX.

### PARABOLA VIGESIMA.

### Mulieris quærentis drachmam perditam.

I. — Quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, et everrit domum, et quærit diligenter donec inveniat? (*Luc. XV. 8.*)

Quia imago exprimitur in drachma, mulier drachmam perdiderat, quando homo, qui conditus ad imaginem Dei fuerat, peccando a similitudine sui conditoris recessit.

Accendit mulier lucernam, quia Dei sapientia apparuit in humanitate. Lucerna quippe lumen in testa est divinitas in carne : accensa autem lucerna, sequitur : *et everrit domum :* qui scilicet mox ut ejus divinitas per carnem claruit, omnis se nostra conscientia concussit : quia prava mens si non prius præ timore everritur, ab assuetis vitiis non mundatur. Eversa autem domo, invenitur drachma : quia scilicet cum perturbatur conscientia hominis, reparatur in homine similitudo conditoris. (*Gregorius.*)

II. — Et cum invenerit, convocat amicas, et vicinas, dicens : Congratulamini

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

mihi quia inveni drachmam, quam perdideram? (*Luc. XV. 9.*)

Inventa autem drachma, cœlestes virtutes facit participes gaudii, quas ministras dispensationis fecit. (*Gregorius Nazianzenus.*) Amicæ sunt, ut exsequentes voluntatem ipsius : vicinæ vero, ut incorporeæ. Vel forte amicæ ipsius sunt omnes supernæ virtutes, vicinæ vero sunt propinquiores, scilicet Throni, Cherubim et Seraphim. (*Theophylactus.*)

III. — Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente. (*Luc. XV. 10.*)

Pœnitentiam agere est præterita mala plangere et plangenda non perpetrare. Nam qui sic alia deplorat ut tamen alia committat, adhuc pœnitentiam agere aut ignorat, aut dissimulat. Cogitandum est etiam ut per hoc conditori suo satisfaciat : ut qui commisit prohibita, sibi abscindere debeat etiam concessa; et se reprehendat in minimis qui se meminit in maximis deliquisse. (*Gregorius.*)



## MEDITATIO CLXX.

### PARABOLA VIGESIMA PRIMA.

#### Filii prodigi.

I — Homo quidam habuit duos filios : Et dixit adolescentior ex illis patri : Pater, da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit. Et divisit illis substantiam. (*Luc. XV. 11, 12.*)

Tres ex ordine Lucas parabolas posuit : ovis quæ perierat et inventa est : drachmæ quæ perierat et inventa est : filii qui erat mortuus et revixit : ut triplici remedio provocati vulnera nostra curemus. Christus ut pastor te suo corpore vehit, quærit ut mater Ecclesia, recipit Deus Pater. Prima misericordia, secunda suffragatio, tertia reconciliatio. (*Ambrosius.*)

Hæc tertia parabola idem spectat quod præcedentes, sed cum aliqua differentia : quod illæ significent quidem quanta cura Deus requirat reversionem peccatoris, hæc vero quanta benignitate et lætitia suscipiat revertentem. (*Cornelii Jansenii Comment. in Lucam, ibid.*)

*Homo quidam habuit duos filios.* Deus est enim justorum pater et peccatorum, utpote per lavacri regenerationem, ab ipso adoptatorum : de fidelibus enim sermo est.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Adolescentiorem nominavit peccatorem, ut qui pueriliter sapit, facileque fallitur, qui etiam substantiæ partem quæ illi obveniebat petivit, hoc est liberum arbitrium quod et ex natura debebatur. Quisquis enim pueriliter sapit, liberum poscit arbitrium. Aut obtingentem substantiæ partem dicit debitam ex baptismo gratiam. (*Euthymius ibid.*)

Hominis substantia rationalitas est, quam comitatur libertas arbitrii : et similiter quæcumque Dominus dedit nobis, pro substantia nostra putabitur, ut cœlum, terra et universa creatura, lex et Prophetæ. (*Theophylactus.*)

II. — Et non post multos dies, congregatis omnibus, adolescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam, et ibi dissipavit substantiam suam, vivendo luxuriose. (*Luc. XV. 13.*)

In regionem longinquam profectus est, non localiter a Deo decedens, qui ubique est, sed affectu : fugit enim Deum, peccator, ut a longinquo stet. (*Chrysostomus.*)

Regio longinqua oblivio est Dei. Quando autem egreditur homo a Deo, et se a timore Dei elongat, omnia divina dona expendit. (*Theophylactus.*)

III. — Et postquam omnia consummasset, facta est fames valida in regione illa, et ipse cœpit egere.



Et abiit, et adhæsit uni civium regionis illius. Et misit illum in villam suam ut pasceret porcos.

Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant : et nemo illi dabat. (*Luc. XV. 14, 15, 16.*)

*Facta est fames valida*, in typum status miserabilis, in quem incidunt peccatores, dum mens peccatis obscuratur, voluntas infirmatur, et ad summam inopiam redigitur. (*Cornelius Jansenius ibid.*)

Merito egere cœpit qui thesauros sapientiæ et scientiæ Dei, divitiarumque cœlestium altitudinem dereliquit. (*Ambrosius.*)

Unus civium regionis illius aliquis aereus princeps est ad militiam diaboli pertinens cujus villa est modus potestatis ipsius. Porci sunt immundi spiritus qui sub ipso erant. (*Augustinus.*)

Porcos autem pascere est ea quibus immundi spiritus gaudent operari. (*Beda.*)

Quibus nullus dat saturitatem malorum : distat enim a Deo qui talibus vescitur. Dæmones autem ad hoc student, ne unquam saturitas malorum proveniat. (*Theophyl.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## MEDITATIO CLXXI.

**Miser in se revertitur, agit pœnitentiam et a patre denuo recipitur.**

I. — In se autem reversus, dixit : Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo!

Surgam et ibo ad patrem meum, et dicam ei : Pater, peccavi in cœlum et coram te : Jam non sum dignus vocari filius tuus : fac me sicut unum de mercenariis tuis. (*Luc. XV. 17, 18, 19.*)

Non prius redit ad pristinam felicitatem, quam in se rediens sentiret opprimentis ærumnæ præsentiam. (*Gregorius Nyssenus.*)

Ego non alienus, sed filius boni patris et frater filii obsequentis, ego liber et generosus, factus sum inferior mercenariis, a summa celsitudine primæ nobilitatis ad infimam humilitatem delapsus. (*Chrysostomus.*)

Cetera vero sunt pœnitentiam meditantis in confessione peccati, nondum tamen agentis : Non enim jam dicit patri, sed dicturum se esse promittit cum venerit.

Dicit ergo dicturum se esse patri, *Pater.* (*Augustinus.*)

Quam misericors qui nec offensus, patrium nomen dedignatur audire! *Peccavi :* Hæc est prima confessio apud auctorem naturæ, præsulem misericordiæ, arbitrum culpæ. Sed si Deus novit omnia, vocem tamen tuæ confessionis exspectat : *Ore enim confessio fit ad salutem.* (*Rom. X. — Ambrosius.*)



II. — Et surgens venit ad patrem suum. Cum autem adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius, et misericordia motus est, et accurrens cecidit super collum ejus, et osculatus est eum.

Dixitque ei filius : Pater peccavi in cœlum et coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus. (*Luc. XV. 20, 21.*)

Hunc filium prodigum Spiritus sanctus nobis descripsit, ut instruamur nos qualiter debeamus cordis deplorare peccamina. (*Gregorius Nyssenus.*)

Qui postquam dixit, *ibo ad patrem meum*, quod ei cuncta attulit bona, non mansit, sed totum iter transivit : sequitur enim : *et surgens venit ad patrem suum.* Sic et nos faciamus, nec pigeat nos longitudinis viæ : quia si voluerimus, fiet regressus celer et facilis, dummodo deseramus peccatum, quod nos a domo paterna eduxit. Est autem pater redeuntibus clemens. (*Chrysostomus.*)

III. — Dixit autem pater ad servos suos : Cito proferte stolam primam, et induite illum, et date annulum in manum ejus, et calceamenta in pedes ejus :

Et adducite vitulum saginatum, et occidite, et manducemus, et epulemur :

Quia hic filius meus mortuus erat et revixit : perierat, et inventus est. Et cœperunt epulari. (*Luc. XV. 22, 23, 24.*)

Pater ad filium sermonem non dirigit, sed ministris loquitur : quia qui pœnitet orat : sed responsum verbo vere non accipit, misericordiam vero efficaciter in effectu. (*Chrysostomus.*)

Hæc ornamenta et vestimenta pretiosa quæ reverso ad patrem filio tribuuntur, id significant quod probare Christus volebat, *majus esse gaudium super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis qui non indigent pœnitentia;* neque habere Deum rationem ullam præteritorum peccatorum, cum peccator ad illum toto corde convertitur, quominus eum in eumdem aut meliorem etiam, quam quo ante peccatum fuerat, statum restituat. (*Menochius ibid.*)

## MEDITATIO CLXXII.

### Filium natu majorem indigne ferentem pater placat.

1. — Erat autem filius ejus senior in agro : et cum veniret, et appropinquaret domui, audivit symphoniam et chorum.



Et vocavit unum de servis, et interrogavit quid hæc essent.

Itaque dixit illi : Frater tuus venit, et occidit pater tuus vitulum saginatum, quia salvum illum recepit. (*Luc. XV. 25, 26, 27.*)

Ostendit siquidem hujusmodi indignatio, quod tantam demonstrat erga eos qui resipiscunt gratiam et gaudium, ut ceteris invidiam movere posset " Quod est, ut justi justam murmurandi materiam habere videri possint : certe justam causam nunquam satis admirandi. " Nam quod et ad illos qui sola sua aliorumque opinione sunt justi, revera autem injusti : quos et ipsos nomine senioris filii dicimus comprehendi, illi serio invident, et indignantur, ob eam quæ peccatoribus pœnitentibus exhibetur clementiam, atque indulgentiam, quemadmodum manifestum est ex murmurationibus Scribarum et Pharisæorum quod Christus publicanos et peccatores recipiat. (*Euthymius citat. et interpret. in Cursu completo. ibid.*)

11. — Indignatus est autem, et nolebat introire. Pater ergo illius egressus, cœpit rogare illum.

At ille respondens dicit patri suo : Ecce tot annis servio tibi, et nunquam mandatum tuum præterivi, et nunquam dedisti

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

mihi hædum ut cum amicis meis epularer.

Sed postquam filius tuus hic, qui devoravit substantiam suam cum meretricibus venit, occidisti illi vitulum saginatum. (*Luc. XV. 28, 29, 30.*)

Quam benignus et clemens pater, rogat filium, ut lætitiæ domus particeps fiat! Magna certe benignitas humanitasque hujus patris. Cum enim posset servata majestatis suæ gravitate, intus manere, et servis dicere, si recusat ingredi et nobis esse conviva, maneat foris, et mœrore tabescat : ipse ad illum egreditur, rogat, laborat, et in omnia se vertit, ut utrique filio satisfaciat, utriusque amator.

Nec aliter Deus et Christus ejus patienter agit ac laborat, ut et peccatores pœnitentes clementissime recipiat, et justos doceat id ita omnino fieri debere, atque ita servet utrosque. (*Hieronym. citat. et interpret. in Curs. Compl. ibid.*)

III. — At ipse dixit illi : Fili tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt :

Epulari autem, et gaudere oportebat, quia frater tuus hic, mortuus erat, et revixit : perierat et inventus est. (*Luc. XV. 31, 32.*)

Nullus ergo gravatim Dei judicia ferat,



sed gratum sit ei, si peccatores feliciter agant et salventur. Qui enim scis quem tu peccatorem censes, pœnitentiam agens gratior fiat? Quid item si occultas habet virtutes et propterea a Deo benigne recipitur. (*Theophylactus ibid.*)

## MEDITATIO CLXXIII.

### PARABOLA VIGESIMA SECUNDA.

#### Villici iniqui facientis sibi amicos de mammona iniquitatis.

I. — Dicebat Jesus ad discipulos suos : Homo quidam erat dives, qui habebat villicum : et hic diffamatus est apud illum quasi dissipasset bona ipsius.

Et vocavit illum, et ait illi : Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ : jam enim non poteris villicare. (*Luc. XVI. 1, 2.*)

Quicumque sis, noveris te esse dispensatorem alienorum, et quod transitorii usus et brevis tibi jura concessa sunt. Abjecto ergo ab anima domini fastu, sumas humilitatem et modestiam villici. (*Chrysostomus.*)

Ex hoc ergo discimus non ipsos esse dominos, sed potius villicos alienarum facultatum. (*Ambrosius.*)

Deinde quod cum non exercemus dispensationem opum ad libitum Domini, sed ad proprias illecebras commissis abutimur, criminosi villici sumus. (*Theophylactus.*)

*Et vocavit illum, etc.* Quotidie talia nobis per effectus exclamat Dominus, ostendens nobis fruentem in meridie sospitate, priusquam vesperascet, exanimem : et alium inter prandia exspirantem; et diversimode ab hac villicatione discedimus. Sed fidelis dispensator, qui de propria dispensatione confidit, desiderat cum Paulo dissolvi, et esse cum Christo; is autem cujus sunt vota terrena, anxiatur in exitu. (*Chrysostomus.*)

II. — Ait autem villicus intra se : Quid faciam quia dominus meus aufert a me villicationem? fodere non valeo, mendicare erubesco.

Scio quid faciam, ut, cum amotus fuero a villicatione, recipiant me in domos suas. (*Luc. XVI. 3, 4.*)

Vita præsens habet exercitium mandatorum, futura vero solatium. Si nihil operatus es hic, frustra in futurum curas; sed nec mendicando proficies. Hujus indicium sunt virgines fatuæ : quæ imprudenter a prudentibus mendicaverunt, sed reversæ sunt vacuæ : quilibet enim suam conversationem ut tunicam induit; non est autem eam exuere, nec cambire cum alio. (*Chrysostomus.*)



III. — Convocatis itaque singulis debitoribus domini sui, dicebat primo : Quantum debes domino meo?

At ille dixit : Centum cados olei. Dixitque illi : Accipe cautionem tuam : et sede cito, scribe quinquaginta.

Deinde alii dixit : Tu vero quantum debes? Qui ait : Centum coros tritici. Ait illi : Accipe litteras tuas, et scribe octoginta. (*Luc. XVI. 5, 6, 7.*)

Quoties quis exitum suum percipiens, levat beneficio sarcinam peccatorum, vel relaxando debita debitori, vel tribuens inopibus copiam, ea quæ sunt Domini largiens : multos amicos conciliat præbituros sibi, coram judice, testimonium veritatis non vocibus, sed bonorum operum ostensione; quin etiam paraturos per testimonium refrigerii mansionem. (*Chrysostomus.*)

IV. — Et laudavit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset : quia filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.

Et ego vobis dico : Facite vobis amicos de mammona iniquitatis : ut, cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula. (*Luc. XVI. 8, 9.*)

Si laudari potuit ille a domino qui fraudem faciebat, quanto amplius placeant Deo qui, secundum ejus præceptum, opera illa faciunt. (*Augustinus.*)

Ut ergo in sua manu homines post mortem quidquam inveniant, ante mortem divitias suas in pauperum manibus ponant. (*Gregorius.*)

## MEDITATIO CLXXIV.

### PARABOLA VIGESIMA TERTIA.

### Divitis epulonis et Lazari mendici.

I. — Homo quidam erat dives qui induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide. (*Luc. XVI. 19.*)

Non omnis sancta paupertas, aut divitiæ criminosæ; sed ut luxuria infamat divitias, ita paupertatem commendat sanctitas. (*Ambrosius.*)

Cinerem et pulverem et terram purpura et serico protegebat : secundum vestimenta ejus, ita et epulæ : ergo et nobis quales epulæ, talia et vestimenta. (*Chrysostomus.*)

II. — Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus, ulceribus plenus.



Cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa divitis, et nemo illi dabat : sed et canes veniebant, et lingebant ulcera ejus. (*Luc. XVI. 20, 21.*)

Notandum est, quia in populo plus solent nomina divitum quam pauperum sciri. Dominus autem nomen pauperis dicit, et nomen divitis non dicit : quia Deus humiles novit atque approbat, superbos ignorat. Ut autem amplius probaretur pauper, simul hunc et paupertas et ægritudo tabefecit. (*Gregorius.*)

Insuper pauper videbat procedentem divitem ab obsequentibus circumfulciri, se in infirmitate et inopia a nullo visitari : nam quia nemo ei ad visitandum aderat, testantur canes, qui latenter vulnera ejus lingebant. (*Gregorius.*)

Ulcera quæ nullus hominum lavare dignabatur et contrectare, feræ mites lambunt. (*Chrysostomus.*)

III. — Factum est autem ut moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno. (*Luc. XVI. 22.*)

Cum autem duo essent inferius corda, pauperis scilicet et divitis : unus desuper erat inspector, qui et pauperem tentando exercebat ad gloriam, et divitem tolerando exspectabat ad pœnam. (*Gregorius.*)

## MEDITATIO CLXXV.

### Divitis tormenta et Lazari solatia.

I. — Elevans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe, et Lazarum in sinu ejus.

Et ipse clamans dixit : Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. (*Luc. XVI. 23, 24.*)

Lazarus sursum erat, dives deorsum : illum plures Angeli portabant, illum infinita tormenta possidebant : totus enim in tormentis erat, oculos solos liberos habebat, ut alterius lætitiam posset adspicere, ut magis torqueatur, quia non habet quod alius habet. (*Chrysostomus.*)

Multi autem erant pauperes justi, sed qui jacuit ad limina ejus, adspectui occurrit ad ejus tristitiam.

Dives autem Lazarum non penes alium justum, sed in sinu Abrahæ videt : erat enim Abraham caritativus, hic autem crudelitatis arguitur ; ille sedens ante fores venabatur transeuntes, et in domum propriam ingerebat : hic vero et manentes intus avertebat. (*Chrysostomus.*)

Non tamen dirigit sermonem ad Lazarum, sed ad Abraham : quia forsan erubescebat, et putabat Lazarum reminisci malorum, ex propriis judicans de illo. (*Theophylactus.*



Condignum autem præmium redditur diviti illi ignis et infernalis pœna, lingua arefacta : vice liræ sonantis, gemitus ; vice potus, desiderium stillæ ; vice speculorum enormium, caligo profunda : vice ambitus incessantis, pervigil vermis. (*Basilius.*)

II. — Et dixit illi Abraham : Fili recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala : nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris. (*Luc. XVI. 25.*)

Si quid boni fecisti unde præmium daretur, omnia accepisti in illo mundo, epulans, ditatus, oblectatus successibus prosperis : hic autem si quid mali commisit, universa recepit paupertate, fame et extremis oppressus miseriis ; et uterque vestrum huc nudus accessit : hic quidem a peccatis, propter quod et consolationem sortitur : tu vero a justitia, propter quod immitigabilem perfers pœnam. (*Chrysostomus.*)

III. — Et in his omnibus inter nos, et vos chaos magnum firmatum est : ut hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare. (*Luc. XVI. 26.*)

Videre possumus, transire non possumus : et nos videmus quid fugerimus, et vos videtis quid perdideritis ; et nostra gaudia cumulant vestra tormenta et vestra tormenta cumulant nostra gaudia. (*Chrysostomus.*)

Nec injusti ergo ad beatorum sortem transeunt, quia damnatione perpetua constringuntur ; nec justi ad reprobos transire possunt, quia erecti jam per justitiam judicii, eis nullo modo ex aliqua compassione miserentur. (*Gregorius.*)

## MEDITATIO CLXXVI.

### Divitis cura in inferno de fratribus suis vivis.

I. — Et ait : Rogo ergo te pater ut mittas eum in domum patris mei.

Habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum. (*Luc. XVI. 27, 28.*)

Serius autem dives iste magister esse incipit, cum jam nec discendi tempus habeatur vel docendi. (*Ambrosius.*)

Qua in re notandum est ardenti diviti quanta supplicia cumulantur : ad pœnam namque suam ei cognitio servatur et memoria : cognovit enim Lazarum quem dexpexit, et fratrum suorum meminit, quos reliquit :



ut enim peccatores in supplicio amplius puniantur ; et eorum vident gloriam quos contempserunt, et de illorum pœna torquentur quos inutiliter amaverunt. (*Gregorius.*)

II. — Et ait illi Abraham : Habent Moysen, et prophetas : audiant illos.

At ille dixit : Non, pater Abraham : sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. (*Luc. XVI. 29, 30.*)

Quasi dicat : Non sint tibi magis curæ fratres tui quam Deo, qui eos creavit : statuitque eis doctores, qui eos commonerent et sollicitarent. (*Chrysostomus.*)

Sed et aliud quoddam dogma docemur : quod Lazari quidem anima non est erga præsentia sollicita, nec retorquet ad aliquod relictorum ; at dives, quod quodam visco, etiam post mortem a vita detinetur carnali : nam si quis omnino carnalis secundum mentem fiat, nec postquam corpus exuerit, removetur passionis ejus. (*Gregorius Nyssenus.*)

III. — Ait autem illi : Si Moysen et prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexit, credent. (*Luc. XVI. 31.*)

Quæcumque dicunt Scripturæ, dicit Dominus : unde etsi resurgat mortuus, etsi cœlitus descenderit Angelus, omnibus magis sunt dignæ fide Scripturæ : nam Angelorum Dominus, vivorum et mortuorum, eas

instituit. Si autem sciret hoc Deus, quod mortui resurgentes prodessent viventibus, non hoc omisisset, qui pro utilitate nostra singula quæque tractat. Sed etsi crebro resurgerent mortui, hoc iterum tempore contemneretur : sed et diabolus facile introduceret perversa dogmata, id quoque per organa sua fingens, non quidem suscitans vere defunctos, sed quibusdam fallaciis spectantium frustrans intuitum, vel ingenians quosdam mortem simulare. (*Chrysostomus.*)

## MEDITATIO CLXXVII.

### PARABOLA VIGESIMA QUARTA.

Iniqui Judicis et viduæ.

I. — Dicebat Jesus parabolam ad illos, quoniam oportet semper orare et non deficere :

Dicens : Judex quidam erat in quadam civitate, qui Deum non timebat, et hominem non reverebatur. (*Luc. XVIII. 1, 2.*)

Qui te redemit, quid te facere voluit demonstravit. Non vult te cessare a precibus : vult te beneficia meditari dum petis : vult te rogando accipere quod benignitas desiderat impertiri. Nec unquam oranti beneficia denegat qui ut orantes non deficiant, sua pietate instigat. (*Chrysostomus.*)



Vide quod impudentem erga homines esse, gravioris est mali indicium : Deum enim quamplures non timent, attamen humano cohibentur pudore, et ideo minus peccant : cum vero sit aliquis impudens etiam quoad homines,tunc excrescit cumulus vitiorum. (*Theophylactus.*)

II. — Vidua autem quædam erat in civitate illa, et veniebat ad eum dicens : Vindica me de adversario meo.

Et nolebat per multum tempus. (*Luc. XVIII. 3, 4.*)

Quoties nobis ab aliquibus irrogantur offensæ, tunc gloriosam esse putabimus oblivionem malorum : quoties vero aliquid ad ipsam Dei gloriam peccant, contra dogmatis divini ministros bellantes, tunc Deum adimus postulantes subsidium, et exclamantes contra impugnantes gloriam ejus. (*Cyrillus.*)

III. — Post hæc autem dixit intra se : Etsi Deum non timeo, nec hominem revereor :

Tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in novissimo veniens sigillet me. (*Luc. XVIII. 4, 5.*)

Apud iniquissimum ergo judicem, usque ad effectum implendi desiderii valuit trahere perseverantia deprecantis.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## MEDITATIO CLXXVIII.

### Expositio præcedentis Parabolæ.

I. — Ait autem Dominus : Audite quid judex iniquitatis dicit :

Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, et patientiam habebit in illis? (*Luc. XVIII. 6, 7.*)

Quæ ad orandum major hortatio, quam ut nobis de judice iniquo proponitur similitudo? Judex enim iniquus nec Deum timens, nec hominem reverens audivit tamen viduam interpellantem se, victus tædio, non pietate inclinatus. Si ergo exaudivit qui oderat quod erogabatur, quomodo non exaudit qui ut rogemus hortatur?

II. — Dico vobis quia cito faciet vindictam illorum. Verumtamen Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra? (*Luc. XVIII. 8.*)

Cum ergo nobis ista e contraria comparatione dominus suaderet, quia oportet semper orare et non deficere, adjecit et ait : *Verumtamen Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra?*

Hoc autem Dominus adjicit ut ostendat quod si fides deficit oratio perit. Ergo ut



oremus, credamus; et ut ipsa fides non deficiat, oremus. Fides fundit orationem, fusa oratio fidei impetrat firmitatem. (*Augustinus. De verbis Domini. Serm. XXXVI.*)

## MEDITATIO CLXXIX.

### PARABOLA VIGESIMA QUINTA.

### Pharisæi et Publicani.

I. — Dixit Jesus ad quosdam, qui in se confidebant tamquam justi, et aspernebantur ceteros, parabolam istam :

Duo homines ascenderunt in templum : unus Pharisæus, et alter publicanus. (*Luc. XVIII. 9, 10.*)

Quia fides non est superborum, sed humilium, præmissis subjecit parabolam de humilitate et contra superbiam. (*Augustinus.*)

Diligentiam quidem orationis docuit nos per viduam et judicem : hic autem per pharisæum et publicanum docet nos quomodo sint et dirigenda precamina, ne sit infructuosum orationis negotium. Condemnatus est autem pharisæus, cum incaute oraret. (*Græcus.*)

II. — Pharisæus stans, hæc apud se orabat : Deus gratias ago tibi, quia non

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sum sicut ceteri hominum : raptores, injusti, adulteri : velut etiam hic publicanus.

Jejuno bis in sabbato : decimas do omnium quæ possideo. (*Luc. XVIII. 11, 12.*)

Dicit : *apud se orabat*, quasi non apud Deum, quia ad seipsum redibat per peccatum superbiæ. (*Basilius.*)

Quære autem in verbis ejus : nihil invenies quod Deum rogaverit : ascendit quidem orare ; noluit Deum rogare, sed se laudare et roganti insultare. (*Augusti.*)

III. — Et publicanus a longe stans, nolebat nec oculos ad cœlum levare : sed percutiebat pectus suum, dicens : Deus propitius esto mihi peccatori. (*Luc. XVIII. 13.*)

Quamvis autem publicanus stetisse dicatur, distabat tamen a pharisæo tam verbis quam habitu, necnon et corde contrito : nam verebatur oculos levare in cœlum, censens indignos visionis supernæ eos qui maluerunt bona terrenæ spectare et quærere : necnon et pectus tundebat, cor quodammodo pungens causa cogitationum pravorum, nec non et excitans ut dormitans : unde non aliud quam Deum propitiatorem petebat. (*Theophylactus.*)



IV. — Dico vobis descendit hic justificatus in domum suam ab illo, quia omnis qui se exaltat, humiliabitur : et qui se humiliat, exaltabitur. (*Luc. XVIII. 14.*)

Audisti superbum accusatorem, audisti humilem reum, audi nunc judicem dicentem : *Dico vobis*, etc. (*Augustinus.*)

Geminos aurigas et duas bigas in stadio positas sermo præsens proponit : in altera peccatum et humilitatem : et vides bigam peccati superare justitiam, non propriis virtutibus, sed humilitatis conjunctæ ; illam vero devictam non fragilitate justitiæ, sed mole et tumore superbiæ : nam sicut humilitas per sui eminentiam peccati pondus superat, et saliens attingit Deum ; sic superbia ob sui molem de facili justitiam deprimit. Si ergo plura facta strenue geras, putas autem te posse præsumere, tota caruisti oratione : si vero mille feras in conscientia fasces reatuum, et hoc solum de te credas quod es infimus omnium, multam obtinebis ante Deum fiduciam. Et ideo suæ sententiæ causam assignans subdit : *quia omnis qui se exaltat humiliabitur ; et qui se humiliat exaltabitur.* (*Chrysostomus.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## MEDITATIO CLXXX.

### PARABOLA VIGESIMA SEXTA.

De operariis in vineam conductis.

I. — Dixit Jesus : Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.

Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam. (*Matth. XX. 1, 2.*)

Scitote, quia mercenarii sumus conducti. Sicut ergo nemo ideo conducit mercenarium, ut hoc solum faciat quod manducat; sic et nos non ideo vocati sumus a Christo ut hæc solum operemur quæ ad nostrum pertinent usum, sed ad gloriam Dei : et sicut mercenarius prius adspicit opus suum, deinde quotidianum cibum : sic et nos primum debemus adspicere quæ ad gloriam Dei pertinent, deinde quæ ad nostram utilitatem : et sicut mercenarius totam diem circa domini opus impendit, unam autem horam circa suum cibum, sic et nos omne tempus vitæ nostræ debemus impendere circa gloriam Dei, modicam autem partem circa usus nostros terrenos. (*Chrysostomus.*)

Salutis autem arbitror nomen esse denarium. (*Origenes.*)



Denarius enim dicitur qui antiquitus pro decem nummis imputabatur, et figuram regis habet. Recte ergo per denarium designatur observati decalogi præmium. Pulchre ergo dicit : *Conventione facta ex denario diurno :* quia unusquisque, in agro sanctæ Ecclesiæ, pro spe futuræ remunerationis laborat. (*Remigius.*)

II. — Et egressus circa horam tertiam vidit alios stantes in foro, otiosos.

Et dixit illis : Ite et vos in vineam meam, et quod justum fuerit dabo vobis.

Illi autem abierunt. (*Matth. XX. 3, 4, 5.*)

Qui sibi vivit, qui carnis suæ voluptatibus pascitur, recte otiosus arguitur, quia fructum divini operis non sectatur. (*Gregorius.*)

Nota quod solis primis convenit specialiter dare denarium : alios autem sub incerto pacto conduxit, dicens : *quod justum fuerit dabo vobis.* (*Chrysostomus.*)

Poterant enim æquale opus facere in vinea eis qui ex mane sunt operati, quicumque in tempore brevi volebant operantem virtutem ad opus extendere, quæ ante non fuerat operata. (*Origenes.*)

III. — Iterum autem exiit circa sextam, et nonam horam : et fecit similiter.

Circa undecimam vero exiit, et invenit

alios stantes, et dixit illis : Quid hic statis tota die otiosi?

Dicunt ei : Quia nemo nos conduxit. Dicit illis : Ite et vos in vineam meam. (*Matth. XX. 5, 6, 7.*)

Mane nostrum pueritia est; hora tertia adolescentia intelligi potest; sexta autem juventus est; nona autem senectus intelligitur; undecima vero est ea ætas quæ decrepita vel veterana vocatur. (*Gregorius.*)

Quod autem non omnes simul conduxit, sed alios mane, alios hora tertia, et sic de aliis, ex differentia mentis eorum processit. Tunc enim eos vocavit quando erant obediturі, nam et latronem vocavit quando obediturus erat. Si autem dicant, *quia nemo nos conduxit*, sicut dictum est, non oportet omnia scrutari quæ in parabolis sunt. Item hoc non dicit dominus, sed operarii : quod ipse enim omnes, quantum ad se pertinet, a prima ætate vocet, significatur cum dicitur : *Exiit primo mane operarios conducere.* (*Chrysostomus.*)

## MEDITATIO CLXXXI.

### Denarius idem singulis datur.

I. — Cum sero autem factum esset, dicit dominus vineæ procuratori suo : Voca



operarios, et redde illis mercedem incipiens a novissimis usque ad primos. (*Matth. XX. 8.*)

Considera, quia sero, non alio mane mercedem reddit : ergo adhuc stante sæculo isto judicium est futurum, et unicuique merces sua reddenda : et hoc propter duas rationes. Prima est, quia ipsa beatitudo futura est merces justitiæ : ideo non illo sæculo fit judicium, sed ante illud. Deinde ante adventum diei illius præmittit judicium, ne videant peccatores diei illius beatitudinem. (*Chrysostomus.*)

Dominus Jesus Christus ipse est pater familias et vineæ procurator, sicut ipse est et ostium et ostiarius. Ipse enim est venturus ad judicium, ut unicuique reddat secundum quod gessit. Vocat ergo operarios et reddit illis mercedem, quando omnes congregabuntur in judicio, ut unusquisque accipiat secundum opera sua. (*Remigius.*)

Ut ostendat Deus inæstimabilem misericordiam suam, primum novissimis et indignioribus reddit mercedem, postea primis : nimia enim misericordia ordinem non aspexit. (*Chrysostomus.*)

II. — Cum venissent ergo qui circa undecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios (*Matth. XX. 9.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Eumdem denarium accipiunt qui laboraverunt ad undecimam et qui laboraverunt ad primam : quia æqualem vitæ æternæ retributionem sortiti sunt cum his qui ab initio vocati fuerant, hi qui in fine ad Deum venerunt. (*Gregorius.*)

III. — Venientes autem et primi, arbitrati sunt quod plus essent accepturi : acceperunt autem et ipsi singulos denarios. (*Matth. XX. 10.*)

Finis parabola est mercedem vitæ æternæ, non tempori quod quis laboravit, sed labori et operi quod fecit respondere, dixerat enim : " Multi erunt primi novissimi, et novissimi primi. " Sæpe enim fieri ut aliquis una hora tantum laboret, quantum alius tota die, ideoque æqualem mercedem, id est, eumdem denarium accepturum esse, eodem plane sensu quo Sapiens dixit : " Consummatus in brevi explevit tempora multa. " *IV. 13.* (*Du Hamel. in Curs. Comp. ibid.*)

## MEDITATIO CLXXXII.

### Murmuratio adversus Patremfamilias.

I. — Et accipientes murmurabant adversus patremfamilias.



Dicentes : Hi novissimi una hora fecerunt, et pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei et æstus. (*Matth. XX. 11, 12.*)

Pondus diei et æstus ferre, est per longioris vitæ tempora carnis suæ calore fatigari. Sed potest quæri : quomodo murmurare dicti sunt, qui ad regnum vocantur? Cœlorum etenim regnum nullus qui murmurat accipit, nullus qui accipit murmurare potest. (*Greg.*)

Non autem oportet ea quæ in parabolis sunt, secundum totum quod dicitur, investigare; sed intentionem propter quam composita est intelligere, et nihil ultra scrutari. Non ergo inducit hoc, ut ostendat aliquos esse invidia morsos; sed ut ostendat hos tanto potitos esse honore, quod et invidiam aliis poterat generare. (*Chrysostomus.*)

II. — At ille respondens uni eorum dixit : Amice non facio tibi injuriam : nonne ex denario convenisti mecum?

Tolle quod tuum est, et vade : volo autem et huic novissimo dare sicut et tibi.

Aut non licet mihi quod volo facere? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? (*Matth. XX. 13, 14, 15.*)

Quia ipsa vita æterna pariter erit omnibus sanctis æqualis, denarius omnibus est



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

attributus, qui est omnium merces : quia vero in ipsa vita æterna distincte fulgebunt flamina meritorum, multæ mansiones sunt apud Patrem : ac in denario quidem impari non vivet alius alio prolixius : in multis autem mansionibus honoratur alius alio clarius. (*Augustinus.*)

Et quia ipsa regni perceptio ejus est bonitas voluntatis : recte subjungitur : *Aut non licet mihi quod volo facere?* Stulta enim est quæstio hominis contra bonitatem Dei murmurare. Conquirendum quippe esset, non si dat quod non debet; sed si non daret quod deberet : unde aperte subditur : *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum.* (*Gregorius.*)

III. — Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi : multi enim sunt vocati, pauci vero electi. (*Matth. XX. 16.*)

Ideo primos dicit novissimos, non ut novissimi digniores sint quam primi, sed ut coæquentur, et ut nulla sit inter eos differentia temporis causa. (*Chrysostomus.*)

Ad fidem plures veniunt, et ad cœleste regnum pauci perducuntur; plerique enim Deum vocibus sequuntur moribus fugiunt. Ex hoc ergo duo pensare debemus. Primum est ut de se quisque minime præsumat; quia etsi jam ad fidem vocatus est, utrum ad regnum eligendus sit, nescit. Secundum vero



est ut unusquisque proximum suum quem jacere in vitiis conspicit, desperare non audeat : quia divinæ misericordiæ divitias ignorat. (*Gregorius.*)

## MEDITATIO CLXXXIII.

### PARABOLA VIGESIMA SEPTIMA.

#### De decem mnis in servos ad negotiandum distributis.

I. — Dixit Jesus : Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, et reverti.

Vocatis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas, et ait ad illos : Negotiamini dum venio. (*Luc. XIX. 12, 13.*)

Per hoc quod profectus est Dominus, ad regionem longinquam, ascensum proprium a terra in cœlum designat; cum vero subdit, *accipere sibi regnum et redire*, secundam sui apparitionem gloriosam et regiam ostendit. Et primo quidem hominem se vocat propter nativitatem in carne, deinde nobilem; Quamvis servus factus sit, est tamen nobilis secundum ineffabilem ortum a Patre. (*Cyrillus.*)

Necnon secundum genus humanum, ex semine David secundum carnem exortus. (*Basilius.*)

Nondum autem se regem appellat, quia nondum in prima apparitione regia fundebatur majestate. Sed et bene dicitur obtinere sibi regnum : nam dante sibi Patre illud obtinuit, secundum illud Danielis VII : " Ecce Filius hominis veniebat in nubibus, et datum est ei regnum. " (*Eusebius.*)

Ascendens autem dispensavit credentibus in eum divinorum charismatum differentiam : sicut servis committuntur dominicæ facultates, ut aliquid lucrantes, famulatus sui ferant præconia. (*Cyrillus.*)

Numerus denarius hoc loco, multitudinis duntaxat manifestativus est, tam de servis quam de minis. (*Euthymius, ibid.*)

II. — Cives autem ejus oderant eum : et miserunt legationem post illum dicentes : Nolumus hunc regnare super nos.

Et factum est ut rediret accepto regno : et jussit vocari servos, quibus dedit pecuniam, ut sciret quantum quisque negotiatus esset. (*Luc. XIX. 14, 15.*)

Hoc est quod Christus improperavit Judæis dicens, (*Joan. XV.*) " Nunc vero viderunt et oderunt me et Patrem. " Renuerunt autem regnum ejus, dicentes Pilato, (*ibid. XIX* : " Non habemus regem nisi Cæsarem." (*Cyrillus.*)

Per hoc enim quod dicit, *Cives ejus* Judæos significat ortos ex eadem progenie secundum



carnem, et quoniam ritu legis cum illis pariter utebatur. (*Eusebius.*)

Miserunt autem legationem post eum, quia etiam post resurrectionem ejus immiserunt persecutiones apostolis, et prædicationem Evangelii respuerunt. (*Augustinus.*)

Redit accepto regno, quia in manifestissima claritate venturus est qui eis humilis apparuit, cum diceret. (*Joan. XIX.*) " Regnum meum non est de hoc mundo. " (*Augustinus.*)

Redeunte autem Christo, sumpto regno merebuntur præconia, et delectabuntur verbi ministri in supernis honoribus, quia multiplicaverunt talentum pluribus acquisitis. (*Cyrillus.*)

III. — Venit autem primus dicens : Domine mna tua decem mnas acquisivit.

Et ait illi : Euge bone serve, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem civitates. (*Luc. XIX. 16, 17.*)

Nam sicut Angeli præsunt, ita et hi qui vitam meruerint Angelorum. (*Ambrosius.*)

Esto potestatem habens, hoc est, ex earum quas imbueras animarum fide et conversione, magnus sublimisque fulgens. (*Beda.*)

IV. — Et alter venit dicens : Domine mna tua fecit quinque mnas.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Et huic ait : Et tu esto super quinque civitates. (*Luc. XIX. 18, 19.*)

Conformiter ad mensuram studii cujusque, mensuratur et honor ac beneficium. (*Euthymius. Ibid. V. 17.*)

## MEDITATIO CLXXXIV.

**Servus nequam ex ore suo judicatur.**

I. — Et alter venit, dicens : Domine ecce mna tua, quam habui repositam in sudario.

Timui enim te, quia homo austerus es : tollis quod non posuisti, et metis quod non seminasti. (*Luc. XIX. 20, 21.*)

Sudario enim mortuorum facies velatur : merito ergo hic piger dicitur mnam in sudario involvisse, quia eam mortificans, et otiosam dimittens, non tractavit nec auxit. (*Theophylactus.*)

Vel pecuniam in sudario ligare, est percepta dona sub otio lenti corporis abscondere. Quod autem putaverat se per excusationem dixisse, in culpam propriam vertitur. (*Beda.*)

II. — Dicit ei : De ore tuo te judico serve nequam : sciebas quod ego homo austerus sum, tollens quod non posui, et metens quod non seminavi :

Et quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, ut ego veniens cum usuris utique exegissem illam? (*Luc. XIX. 22, 23.*)

In sensibilibus divitiis debitores solius observationis obnoxii sunt : quantum enim recipiunt tantum eos reddere necesse est, et nihil plus ab eis quæritur. In divinis autem eloquiis non solum ad custodiam obligamur, sed etiam multiplicare monemur. (*Chrysostomus.*)

III. — Et adstantibus dixit : Auferte ab illo mnam, et date illi, qui decem mnas habet.

Et dixerunt ei : Domine, habet decem mnas. (*Luc. XIX. 24, 25.*)

Qui enim gratia non bene utuntur, sed peccant, gratiam sanctificantem amittunt. *Date illi qui decem mnas habet*, est parabolæ parergon : neque enim gratia quæ ab uno aufertur, alteri datur. Itaque ita loquitur ad explendam parabolam, quia ita aliquando fit inter homines, ut quod uni ignavo et infideli servo tollitur, gravo et industrio, qui bene acceptis utitur tribuatur. (*Menochius. Com. in Matth.*)



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

IV. — Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur, et abundabit : ab eo autem qui non habet, et quod habet auferetur ab eo. (*Luc. XIX. 26.*)

Hæc non solum ad sermonem et doctrinam referenda sunt, sed etiam ad morales virtutes : quoniam et in his dat nobis Deus sua charismata, hunc dotans jejunio, illum oratione, alium mansuetudine vel humilitate : quibus si invigilaverimus, multiplicabimus ea : si vero tepeamus, exstinguemus. (*Theophylactus.*)

## MEDITATIO CLXXXV.

### PARABOLA VIGESIMA OCTAVA.

Duorum filiorum, unius pœnitentis et patri obedientis, alterius fingentis se obedire.

I. — Homo quidam habebat duos filios, et accedens ad primum, dixit : Fili, vade hodie, operare in vinea mea.

Ille autem respondens, ait : Nolo. Postea autem pœnitentia motus, abiit. (*Matth. XXI. 28, 29.*)

Quis ille nisi Deus qui omnes homines ceravit : qui cum sit natura Dominus, tamen



vult magis diligi quasi pater, quam timeri ut dominus? Major filius, Gentium populus erat : minor vero populus Judæorum. (*Chrysostomus.*)

Alii putant non Gentilium et Judæorum esse parabolam, sed simpliciter peccatorum et justorum : eo quod illi quidem per mala opera Deo servire negaverunt, postea pœnitentiæ baptismum acceperunt a Joanne; Pharisæi autem, qui justitiam proferebant, et legem Dei se facere jactabant, Joannis contempto baptismate, ejus præcepta non fecerunt. (*Hieronymus.*)

II. — Accedens autem ad alterum, dixit similiter. At ille respondens, ait : Eo, domine, et non ivit.

Quis ex duobus fecit voluntatem patris? Dicunt ei : Primus. (*Matth. XXI. 30, 31.*)

Hoc autem ideo introducit, quia sacerdotes non discendi causa sed tentandi interrogaverant, multi autem ex populis credideranț : et ideo introducit parabolam duorum filiorum, ostendens eis per eam, quia meliores sunt populares, qui a principio sæcularem profitentur vitam, quam sacerdotes, qui a principio profitentur Deo servire : quoniam populares quidem aliquando compuncti convertuntur ad Deum : sacerdotes autem impœnitibiles constituti, nunquam

desinunt peccare in Deum. Prior enim filius populus est : non enim populus est propter sacerdotes, sed sacerdotes propter populum. (*Chrysostomus.*)

III. — Dicit illis Jesus : Amen dico vobis, quia publicani, et meretrices præcedent vos in regnum Dei.

Venit enim ad vos Joannes in via justitiæ, et non credidistis ei : publicani autem et meretrices crediderunt ei : vos autem videntes nec pœnitentiam habuistis postea, ut crederetis ei. (*Matth. XXI. 31, 32.*)

Puto autem, quod ex persona omnium virorum peccatorum publicani ponuntur, et ex persona omnium mulierum peccatricum, meretrices : quia avaritia præcipue in viris abundat, fornicatio autem in mulieribus : mulier enim in quiete sedet inclusa, fornicatio autem maxime ex otio nascitur : vir autem, quoniam in actibus rerum diversarum est assidue, in avaritiæ peccatum facile incurrit ; in fornicationem autem non facile, nisi multum sit lascivus : nam occupatio virilium sollicitudinum, voluptatem plerumque excludit : unde proprium est hoc adolescentium nihil agentium. (*Chrysostomus.*)

—❋—



## MEDITATIO CLXXXVI.

### PARABOLA VIGESIMA NONA.

**Locatæ vineæ cujus conductores occiderunt Heri servos et filium.**

I. — Aliam parabolam audite. (*Matth. XXI. 33.*) Cœpit autem dicere ad plebem parabolam hanc. (*Luc. XX. 9.*)

Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam, et sepem circumdedit ei, et fodit in ea torcular, et ædificavit turrim, et locavit eam agricolis, et peregre profectus est. (*Matth. XXI. 33. — Marc. XII. 1.*) Et ipse peregre fuit multis temporibus. (*Luc. XX. 9.*)

Homo paterfamilias Deus est, qui dicitur homo in quibusdam parabolis : sicut si pater cum parvulo filio suo loquatur infantilia, ut descendat ad verba filii sui, et instruat eum. (*Origenes.*)

Plantavit autem vineam, de qua loquitur Isaias : (*Cap. V.*) " Vinea Domini Sabaoth, domus Israel est. " (*Hieronymus.*)

Per sepem intellige custodiam patrum justorum, qui tamquam murus facti sunt populo Israel. (*Chrysostomus.*)

Prophetas quasi quædam torcularia aptavit, in quos musti modo, quædam ubertas

Spiritus sancti ferventius influeret. (*Hilarius.*)

In turre eminentiam legis exstruxit, quæ et in cœlum ex solo egressa proveheret, et ex qua speculari Christi posset adventus. (*Hilarius.*)

*Et locavit eam agricolis.* Quando scilicet per legem constituti sunt sacerdotes et levitæ, et procurationem regendi populum susceperunt. (*Chrysostomus.*)

*Et peregre profectus est.* : quia Dominus, qui fuerat cum illis in nube diei et in columna ignis per noctem, nequaquam postea similiter apparuit illis. (*Origenes.*)

II. — Cum autem tempus fructuum appropinquasset. (*Matth. XXI. 34.*) Misit servum ut ab agricolis acciperet de fructu vineæ. (*Marc. XII. 2.*) Ut de fructu vineæ darent illi. (*Luc. XX. 10.*) Qui apprehensum eum ceciderunt. (*Marc. XII. 3.*) — Qui cæsum dimiserunt eum inanem. (*Luc. XX. 10.*) Vacuum. (*Marc. XII. 3.*)

Servos dicit Prophetas qui offerunt, quasi sacerdotes Domini, populi fructus, et obedientiæ ostensionem per opera. Hi autem non solum malitia potiti sunt in non dando fructum, sed etiam indignando ad eos qui venerunt : et sanguine manus impleverunt. (*Chrysostomus.*)



III. — Et iterum misit ad illos alium servum. (*Marc. XII. 4.*) Et addidit alium servum mittere. (*Luc. XX. 11.*)

Et illum in capite vulneraverunt et contumeliis affecerunt. (*Marc. XII. 4.*) Et dimiserunt inanem. (*Luc. XX. 11.*)

Primi servi qui missi sunt, ipse legifer Moyses intelligitur, et Aaron primus sacerdos Dei, quos cæsos flagello linguæ vacuos emiserunt : alios autem servos, prophetarum choros intellige. (*Rabanus.*)

Cæciderunt quidem, ut Hieremiam : occiderunt, ut Isaiam : lapidaverunt, ut Naboth et Zachariam. (*Hieronymus.*)

IV. — Et rursum alium misit. (*Marc. XII. 5.*) Et addidit tertium mittere : qui et illum vulnerantes ejecerunt (*Luc. XX. 12.*) Et illum occiderunt : et plures alios, quosdam cædentes, alios vero occidentes. (*Marc. XII. 5.*)

Et agricolæ, apprehensis servis ejus, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium vero lapidaverunt.

Iterum misit alios servos plures prioribus, et fecerunt illis similiter. (*Matth. XXI. 35, 36.*)

Per singulos autem gradus malitiæ, Dei misericordia addebatur : et per singulos

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

gradus divinæ misericordiæ malitia Judæorum crescebat : et sic contra Dei clementiam malignitas humana certabat. (*Chrysostomus.*)

## MEDITATIO CLXXXVII.

### Unici filii trucidatio.

I. — Adhuc ergo unum habens filium carissimum. (*Marc. XII. 6.*)

Dixit dominus vineæ : Quid faciam? mittam filium meum dilectum : forsitan, cum hunc viderint, verebuntur. (*Luc. XX. 13.*)

Et illum misit ad eos novissimum dicens : Quia reverebuntur filium meum. (*Marc. XII. 6.*)

Quod ait, non de ignorantia venit : sed ambigere dicitur Deus, ut libera voluntas homini reservetur. (*Beda.*)

Non ignorans quod futurum erat, hoc dixit : sed ostendens quid erat decens et congruum eos operari. (*Theophylactus.*)

II. — Agricolæ autem videntes filium. (*Matth. XXI. 38.*) — Cogitaverunt intra se. (*Luc. XX. 14.*) — Dixerunt intra se. (*Matth. XXI. 33.*) — Dixerunt ad invicem. (*Marc. XII. 7.*)



Hic est hæres, venite, occidamus eum. (*Matth. XXI. 36. — Marc. XII. 7. — Luc. XX. 14.*) Ut nostra fiat hereditas. (*Luc. XX. 14.*) Et nostra erit hereditas. (*Marc. XII. 7.*) Et habebimus hereditatem ejus. (*Matth. XXI. 38.*)

Manifestissime Dominus probat, Judæorum principes non per ignorantiam, sed per invidiam crucifixisse Filium Dei. Intellexerunt enim hunc esse cui dictum est. (*Psal. II.*) " Dabo tibi gentes hereditatem tuam. " Hanc, occiso eo mali coloni præripere moliebantur, cum crucifigentes eum Judæi, fidem quæ per eum est, exstinguere, et suam magis quæ ex lege est justitiam proferre, ac gentibus imbuendis conabantur inserere. (*Beda.*)

III. — Et apprehensum eum ejecerunt extra vineam. (*Matth. XXI. 39.*) Et ejectum illum extra vineam, occiderunt. (*Luc. XX. 15.*)

Cum ergo venerit dominus vineæ, quid faciet agricolis illis?

Aiunt illi : Malos male perdet : et vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis. (*Matth. XXI. 40, 41.*)

Veniet et perdet colonos istos, et dabit vineam aliis. (*Luc. XX 16. — Marc. XII.*

9.) Quo audito dixerunt : Absit. (*Luc. XX. 16.*)

Christus enim extra Hierusalem, tamquam extra vineam in sententiam damnationis abjectus est. (*Hilarius.*)

Vel quia quantum in se erat, ex suis eum finibus excludentes, Gentibus suscipiendum dederunt. (*Hieronymus.*)

Sicut Caiphas, sic et isti non ex se prophetaverunt contra se, quoniam tollenda ab eis erant eloquia Dei, et danda Gentibus, fructum in tempore daturis. Dominus quem occiderunt, statim venit resurgens a mortuis, et malos quidem colonos male perdidit, aliis autem colonis, idest Apostolis, vineam suam consignavit. (*Origenes.*)

Matthæus, brevitatis causa, tacuit quod Lucas non tacuit; parabolam scilicet illam non ad eos solos dictam qui de potestate interrogaverant, sed ad plebem in qua erant qui dicerent : *Perdet illos et vineam suam dabit aliis :* quæ vox recte etiam ipsius Domini fuisse intelligitur, sive propter veritatem, sive propter membrorum ejus cum suo capite unitatem. Erant etiam qui talia respondentibus dicerent " *Absit* : " quia intelligebant contra seipsos parabolam esse dictam. (*Augustinus.*)



## MEDITATIO CLXXXVIII.

### Applicatio præcedentis parabolæ.

I. — Ille autem adspiciens eos ait : Quid est ergo quod scriptum est? (*Luc. XX. 16.*)

Nunquam legistis in Scripturis : lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris. (*Matth. XXI. 42. — Marc. XII. 10. — Luc. XX. 17.*)

Si parabolam meam non intelligitis, vel istam scripturam cognoscatis. Lapidem autem Christum vocat, ædificatores autem doctores Judæorum, qui Christum reprobaverunt, dicentes : (*Joan. IX.*) " Hic non est a Deo. " (*Chrys.*)

Sed illis nolentibus, idem lapis caput anguli firmavit : quia de utroque populo quotquot ipse voluit, sua fide conjunxit. (*Rabanus.*)

Lapis donum est, donatum a Deo ædificio universo, et admirabile caput in oculis nostris, qui possumus eum videre oculis mentis. (*Origenes.*)

II. — Ideo dico vobis, quia auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus. (*Matth. XXI. 43.*)



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Omnis, qui ceciderit super illum lapidem, conquassabitur : super quem autem ceciderit, comminuet illum. (*Luc. XX. 18. — Matth. XXI. 44.*)

Quare non intelligitis, in cujus ædificii angulo ponendus est ille lapis, non in vestro, quando reprobatus est, sed in alio : Si autem aliud ædificium est futurum, ergo vestra ædificatio est contemnenda.

Lapis autem dicitur Christus, non solum propter firmitatem, sed etiam quia est inimicorum magna confractio. (*Chrysostomus.*)

Qui peccator est et tamen in illum credit, cadit quidem super lapidem et confringitur, sed non omnino conteritur ; reservatur enim per patientiam ad salutem ; super quem vero ille ceciderit, hoc est cui lapis ille irruerit, et qui Christum penitus negaverit, sic conteret eum ut nec testa quidem remaneat, in qua hauriatur aquæ pusillum. (*Hieronymus.*)

III. — Et cum audissent principes sacerdotum, et Pharisæi parabolas ejus, cognoverunt quod de ipsis diceret. (*Matth. XXI. 45.*)

Et quærebant eum tenere : et timuerunt turbam. (*Marc. XII. 12.*)

Quærebant principes sacerdotum et Scribæ mittere in illum manus in illa hora : et timuerunt populum. (*Luc. XX. 19.*)

Quoniam sicut prophetam eum habebant. (*Matth. XXI. 46.*)

Et relicto eo abierunt. (*Marc. XII. 12.*)

Quamvis duro corde Judæi propter incredulitatem essent, tamen intelligebant contra se omnes Domini sententias dirigi. (*Hieronymus.*)

Hæc est autem differentia bonorum hominum et malorum : bonus enim comprehensus in peccato, gemit quia peccavit : malus autem fremit, non quia peccavit, sed quia comprehensus est in peccato : et non solum pœnitentiam non agit, sed magis adversus corripientem irascitur : unde et isti comprehensi, magis ad malitiam sunt excitati. (*Chrysostomus.*)



## MEDITATIO CLXXXIX.

### PARABOLA TRIGESIMA.

**De invitatis ad nuptias Filii a Rege.**

I. — Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.

Et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias, et nolebant venire. (*Matth. XXII. 2, 3.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

In hoc rex Pater regi Filio nuptias fecit, quod ei, per Incarnationis mysterium, sanctam Ecclesiam sociavit. Uterus autem Genitricis Virginis hujus sponsi thalamus fuit. (*Gregorius.*)

Servi primo missi, qui invitatos vocarent, Apostoli sunt; qui autem admonentur ut veniant, invitati antea, populus Israel est : in gloriam enim æternitatis per legem est advocatus. Apostolorum ergo erat proprium commonefacere eos quos invitarant Prophetæ. (*Hilarius.*)

II. — Iterum misit alios servos dicens : Dicite invitatis : Ecce prandium meum paravi, tauri mei, et altilia occisa sunt, et omnia parata, venite ad nuptias.

Illi autem neglexerunt : et abierunt, alius in villam suam, alius vero ad negotiationem suam :

Reliqui vero tenuerunt servos ejus et contumeliis affectos occiderunt. (*Matth. XXII. 4, 5, 6.*)

Sed quia hi qui prius invitati sunt, ad nuptiarum convivium venire noluerunt, in secunda invitatione jam dicitur : *Ecce prandium meum paravi.* (*Gregorius.*)

Prandium paratum, et tauri, et altilia occisa, vel per metaphoram opes regiæ describuntur, ut ex carnalibus intelligantur spiritualia : vel certe dogmatum magnitudo et doctrina Dei lege plenissima sentiri potest. (*Hieronymus.*)



Vel omnia parata sunt, idest, introitus regni paratus est per fidem meæ incarnationis, qui ante fuerat clausus. (*Glossa.*)

Cum labore manuum nostrarum aliquid facimus, puta exercentes agrum vel vineam, aut opus ligni vel ferri, villam colere videmur : cum autem non labore manuum nostrarum alia lucra sequimur, totum hoc negotiatio appellatur. O miserrimus mundus, et miseri qui eum sequuntur! Semper enim mundialia opera homines excluserunt a vita. (*Chrysostomus.*)

De (superioribus) non dixit quod malignati sunt, sed *neglexerunt;* qui enim odio aut invidia crucifixerunt Christum, malignati sunt. Qui autem negotiis impediti non crediderunt, illi neglexisse dicuntur, non malignari. De sua tamen morte Dominus tacet, quia in priori parabola dixerat : sed ostendit mortem discipulorum suorum, quos post ascensum ipsius occiderunt Judæi, Stephanum lapidantes, et Jacobum Alphæi occidentes : propter quæ Hierusalem destructa est a Romanis. (*Chrysostomus.*)

III. — Rex autem cum audisset iratus est : et missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, et civitatem illorum succendit. (*Matth. XXII. 7.*)

Quando invitabat ad nuptias, et agebat opera clementiæ, hominis nomen appositum est : nunc autem quando ad ultionem venit, homo siletur, et rex tantum dicitur. (*Hieronymus.*)

Romanus autem exercitus dicitur exercitus Dei : quia " Domini est terra et plenitudo ejus." (*Psal. XXV.*) Nec etiam venissent Romani Hierusalem, nisi eos Dominus excitasset. (*Chrysostomus.*)

Vel Angelorum agmina sunt exercitus regis nostri. Missis ergo exercitibus exstinxisse homicidas dicitur, quia in hominibus omne judicium per Angelos exercetur. Homicidas ergo perdit, quia persequentes interimit : civitatem eorum igni succendit, quia illorum non solum animæ, sed caro quoque in qua habitaverant, æternæ gehennæ flamma cruciantur. (*Gregorius.*)

## MEDITATIO CXC.

**Invitantur obvii quique ad nuptias: discumbens sine veste nuptiali ejicitur.**

I. — Tunc ait servis suis : Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui invitati erant, non fuerunt digni.

Ite ergo ad exitus viarum et quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias. (*Matth. XXII. 8, 9.*)



Omne sacramentum humanæ dispensationis jam peractum atque completum est. *Sed qui invitati erant,* id est Judæi, *non fuerunt digni :* quia : " Dei justitiam ignorantes, et suam statuere volentes, indignos se judicaverunt æternæ vitæ. " (*Rom. X.*)

Reprobato ergo Judaico populo, ad has nuptias gentilis populus est susceptus. (*Remigius.*)

Gentilis enim populus non erat in viis, sed in exitibus viarum (*Hieronymus*) qui sunt errores Gentilium. (*Remigius.*) Vel viæ sunt omnes professiones hujus mundi, ut puta Philosophiæ, militiæ, et hujusmodi. Dicit ergo : *Ite ad exitus viarum :* ut cujuslibet conditionis homines vocent ad fidem. (*Chrysostom.*)

II. — Et egressi servi ejus in vias, congregaverunt omnes, quos invenerunt, malos et bonos : et impletæ sunt nuptiæ discumbentium. (*Matth. XXII. 10.*)

Egredientes servi, sive de Judæa et Hierusalem Apostoli Christi, sive ab interioribus Angeli sancti, et venientes ad vias diversas diversorum morum, congregaverunt quoscumque invenerunt : et non curant utrum aliquando ante vocationem mali fuerint aut boni. (*Origenes.*)

III. — Intravit autem rex ut videret discumbentes, et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Et ait illi : Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit. (*Matth. XXII. 11, 12.*)

Sed quoniam bonos et malos oportuit quidem vocari, non autem ut mali permanerent mali, sed ut deponerent vestimenta contraria nuptiis et induerent nuptialia indumenta; ideo rex ingreditur, ut videat discumbentes priusquam apponatur eis prandium, ut retineat habentes nuptialia vestimenta et delectet; condemnetque contrarios. Ingrediens autem invenit quemdam qui non mutaverat proprios mores. Singulariter dixit, quia unius sunt generis omnes qui servant malitiam post fidem, quam habuerant ante fidem. (*Origenes.*)

Amicum vocat quia est invitatus ad nuptias, quasi sit amicus per fidem. Arguit autem impudentiæ, quod veste sordida munditias polluerit nuptiales. (*Hieronymus.*)

Et quoniam qui peccat et non induit Dominum Jesum Christum, non habet excusationem aliquam, ideo sequitur : *At ille obmutuit.*

IV. — Tum dixit rex ministris : Ligatis manibus, et pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores : ibi erit fletus, et stridor dentium.

Multi enim sunt vocati, pauci vero electi. (*Matth. XXII. 13, 14.*)



Non autem solum rejectus est a nuptiis qui injuriam nuptiis fecit, sed adhuc a ministris regis super vincula constitutis, ligatus incessione, qua non est usus ad bonum, et apprehensoria virtute, qua nullum opus ad bonum implevit; et condemnatus est in loco ab omni lumine alieno. (*Origenes.*)

In fletu oculorum et stridore dentium, per metaphoram membrorum corporalium, magnitudo ostenditur tormentorum.

Et quia in convivio nuptiali non initium, sed finis quæritur, subditur : *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.* (*Hieronymus.*)

In invitante enim, sine exceptione publicæ bonitatis humanitas est; in invitatis vero, vel vocatis, de judicio meritorum probitatis electio est. (*Hilarius.*)

### *Annotatio pro Parabola sequenti.*

Augustinus, Gregorius, S. Thomas Cornelius a lapide et alii censent contra Maldonatum, sequentem parabolam Divi Lucæ, aliam esse a præcedente Divi Matthæi; vel certe, si sit eadem, eam bis, aliterque repetitam esse.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## MEDITATIO CXCI.

### PARABOLA TRIGESIMA PRIMA.

De invitatis ad Cœnam magnam.

I. — Homo quidam fecit cœnam magnam et vocavit multos.

Et misit servum suum horæ cœnæ, dicere invitatis ut venirent, quia jam parata sunt omnia. (*Luc. XIV. 16, 17.*)

Hic ergo conditor omnium, atque gloriæ Pater, paravit cœnam magnam in Christo peractam. In novissimis enim temporibus, et quasi in occasu nostri sæculi, illuxit nobis Dei Filius : et mortem pro nobis sustinens, dedit nobis proprium corpus comedere : unde et agnus in vespere immolabatur juxta legem Mosaïcam. Merito igitur in cœna dictum est paratum in Christo convivium. (*Cyrillus.*)

Per hunc servum qui a Patrefamilias ad invitandum mittitur, prædicatorum ordo significatur. (*Gregorius.*)

II. — Et cœperunt simul omnes excusare. Primus dixit ei : Villam emi, et necesse habeo exire, et videre illam : rogo te habe me excusatum.

Et alter dixit : Juga boum emi quinque, et eo probare illa : rogo te habe me excusatum. (*Luc. XIV. 18, 19.*)



Offert Deus quod rogari debuit, non rogare : dare vult quod vix sperari poterat; et tamen simul omnes excusant. Ecce homo dives invitat, et pauperes occurrere festinant; ad Dei invitamur convivium et nos excusamus. (*Gregorius.*)

Joannes dicens (*Epist. I. Cap. II.*) " Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et ambitio sæculi : " cœpit ubi Evangelium terminum posuit. Concupiscentia carnis, *uxorem duxi:* concupiscentia oculorum, *quinque juga boum emi;* ambitio sæculi, *villam emi.* (*Augustinus.*)

III. — Et alius dixit : Uxorem duxi et ideo non possum venire.

Et reversus servus nuntiavit hæc domino suo. Tunc iratus paterfamilias, dixit servo suo : Exi cito in plateas, et vicos civitatis : et pauperes, ac debiles, et cæcos, et claudos introduc huc.

Et ait servus : Domine, factum est ut imperasti, et adhuc locus est. (*Luc. XIV. 20, 21, 22.*)

Quia ergo venire superbi renuunt, pauperes eliguntur : dicuntur enim debiles et pauperes qui, judicio suo apud semetipsos,

infirmi sunt; nam pauperes et quasi fortes sunt qui positi in paupertate superbiunt; cæci sunt qui nullius ingenii lumen habent; claudi sunt qui rectos gressus in operatione non habent. Sed dum horum vitia in membrorum debilitate significantur; sicut illi peccatores fuerunt qui vocati venire noluerunt, ita hi quoque qui invitantur et veniunt : sed peccatores superbi respuuntur, humiles eliguntur. Hos itaque elegit Deus quos despicit mundus : quia plerumque ipsa despectio hominem revocat ad semetipsum : et tanto celerius vocem Dei aliqui audiunt, quanto in hoc mundo non habent unde delectentur. (*Gregorius.*)

IV. — Et ait dominus servo : Exi in vias et sepes : et compelle intrare, ut impleatur domus mea.

Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam. (*Luc. XIV. 23, 24.*)

Mittit ad vias et circa sepes; quia hi apti sunt regno cœlorum, qui nullis præsentium cupiditatibus occupati ad futura festinant, in quodam bono voluntatis tramite constituti. (*Ambrosius.*)

*Cōge*, inquit, *intrare*. Foris inveniatur necessitas, nascitur inde voluntas. (*August.*)

Qui ergo hujus mundi adversitatibus fracti ad Dei amorem redeunt, compelluntur



intrare. Sed valde tremenda est sententia quæ subinfertur. *Dico autem vobis*, etc. Nemo ergo contemnat : ne dum vocatus excusat, cum voluntatem habuerit, intrare non valeat. (*Gregorius.*)

## MEDITATIO CXCII.

### PARABOLA TRIGESIMA SECUNDA.

**De decem virginibus, quarum quinque prudentes et quinque fatuæ.**

I. — Tunc simile erit regnum cœlorum decem virginibus : quæ accipientes lampades suas exierunt obviam sponso et sponsæ.

Quinque autem ex eis erant fatuæ, et quinque prudentes : sed quinque fatuæ, acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum :

Prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. (*Matth. XXV. 1, 2, 3, 4.*)

Ideo dicitur *tunc*, quia de magno die Domini, de quo supra agebatur, (*Cap. XXIV.*) omnis hic sermo est. (*Hilarius.*)

Mihi videtur, non ad virginalia corpora, sed ad omne hominum genus hanc comparationem pertinere. (*Hieronymus.*)

Ideo autem ponit parabolam hanc in virginum persona, ut ostendat quod licet virginitas magnum quid sit, tamen si ab operibus misericordiæ sit deserta, cum adulteris foras ejicietur. (*Chrysostomus.*)

Sponsus atque sponsa, Dominus noster est in corpore Deus : namque spiritui caro sponsa est. (*Hilarius.*)

Lampades quæ manibus gestantur, opera sunt : dictum est enim : (*Matth. V.*) " Luceant opera vestra bona coram hominibus. " (*Augustinus.*)

Qui autem recte credunt et juste vivunt assimilantur quinque prudentibus; qui autem profitentur quidem fidem Jesu, non autem præparant se bonis operibus ad salutem, reliquis quinque virginibus fatuis. (*Gregorius.*)

Oleum ergo habent virgines quæ juxta fidem operibus adornantur : non habent oleum quæ videntur simili quidem fide confiteri, sed virtutum opera negligunt. (*Hieronymus.*)

II. — Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes et dormierunt.

Media autem nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exite obviam ei.

Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, et ornaverunt lampades suas. (*Matth. XXV. 5, 6, 7.*)



Dormire, mori est : ante somnum vero dormitare, est ante mortem a salute languescere : quia per pondus ægritudinis pervenitur ad somnum mortis. (*Gregorius.*)

Vel *dormitaverunt;* id est, mortuæ sunt. Consequenter autem dicitur, *dormierunt*, quia postea suscitandæ sunt. Per hoc autem quod dicit, *Moram autem faciente sponso*, ostendit quod non parum temporis inter priorem et secundum Domini adventum prætergreditur. (*Hieronymus.*)

*Media autem nocte.* Subito ergo quasi intempesta nocte, et securis omnibus, quando gravissimus sopor est, per Angelorum clamorem et tubas præcedentium fortitudinum, Christi resonabit adventus. (*Hieronymus.*)

Tuba enim excitante, sponso tantum obviam proceditur : erunt enim jam ambo unum, id est caro Deus, quia in gloriam spiritualem humilitas carnis transformata est. (*Hilarius.*)

Tunc quidem omnes virgines, quia et electi et reprobi a somno suæ mortis excitantur; lampades ornant, quia sua secum opera numerant, pro quibus æternam recipere beatitudinem exspectant. (*Gregorius.*)

III. — Fatuæ autem sapientibus dixerunt : Date nobis de oleo vestro : quia lampades nostræ exstinguuntur.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Responderunt prudentes, dicentes : Ne forte non sufficiat nobis, et vobis, ite potius ad vendentes, et emite vobis.

Dum autem irent emere, venit sponsus : et quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est janua. (*Matth. XXV. 8, 9, 10.*)

Quid est autem quod tunc a prudentibus oleum petunt, nisi quod in adventu judicis, cum se intus vacuas invenerint, testimonium foris quærunt? ac si a sua fiducia deceptæ proximis dicant : quia nos quasi sine opere repelli conspicitis, dicite de nostris operibus quod vidistis. (*Gregorius.*)

Virgines prudentes non de avaritia, sed de timore respondent. Unde quisque pro suis operibus mercedem accipiet : neque possunt in die judicii aliorum virtutes, aliorum vitia sublevare. Dant autem prudentes consilium, ut non debeant sine oleo lampadarum sponso occurrere. (*Hieronymus.*)

Vendentes hi sunt qui misericordia fidelium indigent. (*Hilarius.*)

IV. — Novissime vero veniunt et reliquæ virgines, dicentes : Domine, Domine aperi nobis.

At ille respondens, ait : Amen dico vobis, nescio vos.



Vigilate utique, quia nescitis diem, neque horam.

*Adde quæ Christus dixit.* Cum autem intraverit paterfamilias, et clauserit ostium, incipietis foris stare, et pulsare ostium dicentes : Domine aperi nobis : et respondens dicet vobis : Nescio vos unde sitis :

Tunc incipietis dicere : Manducavimus coram te, et bibimus, et in plateis nostris docuisti.

Et dicet vobis : Nescio vos unde sitis : discedite a me omnes operarii iniquitatis.

Ibi erit fletus, et stridor dentium : cum videritis Abraham, et Isaac, et Jacob, et omnes prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras.

Et venient ab oriente, et occidente, et aquilone et austro, et accumbent in regno Dei.

Et ecce sunt novissimi qui erunt primi, et sunt primi qui erunt novissimi. (*Luc. XIII. 25, 26, 27, 28, 29, 30.*)

Est invenire quosdam qui quando debuerunt, neglexerunt aliquid utile discere; in ipso autem exitu vitæ suæ, dum disponunt discere : comprehenduntur a morte. (*Origenes.*)

Receptis illis qui sunt in angelicam vitam commutati, clauditur aditus ad regna cœlo-

rum, non enim post judicium patet precum ac meritorum locus. (*Augustinus.*)

Et tamen cum jam pœnitentiæ nullum est tempus, fatuæ occurrunt, aperiri sibi aditum rogant. (*Hilarius.*)

Egregia in Domini appellatione confessio indicium fidei est. Sed quid prodest voce invocare quem operibus neges? (*Hieronymus.*)

Sed magna ejus est severitas post judicium, cujus ante judicium ineffabilis misericordia prærogata est : propter quod sequitur : *Amen dico vobis, nescio vos :* ex illa scilicet regula, quia non habet ars Dei, idest ejus sapientia, ut intrent in gaudium ejus qui non coram Deo, sed ut placerent hominibus, conati sunt aliquid secundum præcepta ejus operari. (*Augustinus.*)

Non solum illius futuri temporis quo venturus est sponsus, sed suæ quisque dormitionis diem et horam nescit, ad quam quisquis paratus est, etiam paratus invenitur cum illa vox sonuerit qua omnes evigilaturi sunt. (*Augustinus.*)

## MEDITATIO CXCIII.

### PARABOLA TRIGESIMA TERTIA.

### De talentis in servos distributis.

I. — Homo peregre proficiscens, vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua.



Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique secundum propriam virtutem, et profectus est statim. (*Matth. XXV. 14, 15.*)

Sicut homo peregrinans, ita Filius hominis : quoniam ipse est qui in parabola proponitur peregrinans quasi homo, non sicut Filius Dei. (*Origenes.*)

In quinque et duobus et uno talento diversas gratias intelligimus, quæ unicuique traditæ sunt. (*Chrysostomus.*)

Id est, secundum propriam et naturalem possibilitatem, non autem secundum meritum proprium : quia aliud est posse operari, aliud operari; et aliud est posse habere caritatem, aliud habere caritatem; et aliud est capacem esse continentiæ, justitiæ, sapientiæ, aliud vero esse continentem, justum atque sapientem. (*Ambr. de voc. Gentium, lib. 2. cap. 2.*)

*Et profectus est statim :* Non locum mutans, sed liberam eis operandi potestatem permittens, et suo arbitrio relinquens. (*Glossa ord.*)

II. — Abiit autem qui quinque talenta acceperat, et operatus est in eis, et lucratus est alia quinque.

Similiter et qui duo acceperat, lucratus est alia duo.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram, et abscondit pecuniam domini sui. (*Matth. XXV. 16, 17, 18.*)

Acceptis enim terrenis sensibus (qui quinque talenta acceperat) cœlestium sibi notitiam duplicavit, ex creaturis intelligens creatorem, ex corporalibus incorporalia, ex brevibus sempiterna. (*Chysostomus.*)

*Qui duo acceperat, lucratus est alia duo :* id est corporalem eruditionem, et aliam paulo sublimiorem. (*Origenes.*)

Talentum vero, in terra abscondere est acceptum ingenium in terrenis actibus implicare. (*Gregorius.*)

III. — Post multum vero temporis venit dominus servorum illorum, et posuit rationem cum eis.

Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta dicens : Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum.

Ait illi dominus ejus : Euge serve bone, et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui. (*Matth. XXV. 19, 20, 21.*)

Vide et dominum ubique non confestim expetentem rationem, ut discas ejus longanimitatem. Mihi autem videtur quod resurrectionem occulte insinuans hoc dicit. (*Chrysostomus.*)



Servus ergo qui geminata talenta retulit, laudatur a domino, et ad æternam remunerationem perducitur. (*Gregorius.*)

Dicit, *super pauca fuisti fidelis*, quia omnia quæ in præsenti habemus licet magna videantur et plurima, tamen comparatione futurorum parva et pauca sunt. (*Hieronymus.*)

Sed tunc fidelis servus supra multa constituitur, quando, devicta omnis corruptionis molestia, de æternis gaudiis in illa cœlesti sede gloriatur. (*Gregorius.*)

Hoc enim erit plenum gaudium nostrum, quo amplius non est, frui Deo, Trinitate, ad cujus imaginem facti sumus. (*Augustinus.*)

IV. — Accessit autem et qui duo talenta acceperat, et ait : Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo lucratus sum.

Ait illi dominus ejus : Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui. (*Matth. XXV. 22, 23.*)

Quod autem dicit, vel in eo qui quinque talenta acceperat, vel in isto qui duo, *accedens :* intellige accessum, transitum de hoc mundo ad illum : et vide quoniam eadem

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dicta sunt ambobus, ut forte et qui minorem habuit virtutem, et totam illam quam habuit secundum quod oportebat exercuit, nihil minus habiturus sit apud Deum, quam ille qui fuerit in majori virtute ; hoc enim solum quæritur, ut quicquid habuerit homo ex Deo, toto eo utatur ad gloriam Dei. (*Origenes.*)

## MEDITATIO CXCIV.

### A servo malo talentum aufertur.

I. — Accedens autem et qui unum talentum acceperat, ait : Domine, scio quia homo durus es, metis ubi non seminasti, et congregas ubi non sparsisti :

Et timens abii, et abscondi talentum tuum in terra : ecce habes quod tuum est. (*Matth. XXV. 24, 25.*)

Vere quod scriptum est (*Psal. CXL.*) : " Ad excusandas excusationes in peccatis," etiam huic servo contigit, ut ad pigritiam et negligentiam, superbiæ quoque crimen accederet. Qui enim debuit simpliciter inertiam confiteri, et orare patremfamilias; e converso calumniatur, et dicit se prudenti fecisse consilio, ne dum lucra pecunia quæreret, etiam de sorte periclitaretur. (*Hieronymus.*)

Sunt autem plerique intra Ecclesiam, quorum iste servus imaginem tenet, qui melioris vitæ vias aggredi metuunt; et tamen jacere in sui corporis ignavia non pertimescunt : cumque se peccatores considerant, sanctitatis vias arripere trepidant, et remanere in suis iniquitatibus non formidant. (*Gregorius.*)



II. — Respondens autem dominus ejus, dixit ei : Serve male, et piger, sciebas quia meto ubi non semino, et congrego ubi non sparsi :

Oportuit ego te committere pecuniam meam nummulariis, et veniens ego recepissem utique quod meum est cum usura. (*Matth. XXV. 26, 27.*)

Non autem confessus est dominus se esse durum, sicut arbitrabatur : ceteris autem ejus sermonibus concessit. Sed vere durus est his qui misericordia Dei abutuntur ad negligentiam suam, non ad conversionem. (*Origenes.*)

Pigrum servum qua sententia dominus feriat audiamus. (*Gregorius.*)

III. — Tollite itaque ab eo talentum et date ei, qui habet decem talenta.

Omni enim habenti dabitur et abundabit : ei autem, qui non habet, et quod videtur habere, auferetur ab eo.

Et inutilem servum ejicite in tenebras exteriores : illic erit fletus, et stridor dentium! (*Matth. XXV. 28, 29, 30.*)

Datur ei qui decem talenta fecerat,ut intelligamus, licet æquale sit domini gaudium in utriusque labore, ejus scilicet qui quinque et qui duo multiplicavit, tamen majus deberi præmium ei qui plus in domini pecunia laboravit. (*Hieronymus.*)

Quisquis autem caritatem non habet, etiam dona quæ percepisse videbatur, amittit. (*Gregorius.*)

Servus autem malus non solum damno punitur, sed etiam intolerabili pœna, et cum pœna accusabili denuntiatione. (*Chrysostomus.*)

Et sic per pœnam in tenebras exteriores cadet qui per suam culpam sponte in interiores tenebras decidit. (*Gregorius.*)

Vide autem quia non solum qui rapit aliena aut qui mala operatur, punitur ultima pœna, sed etiam qui bona non facit. (*Chrysostomus.*)

*Annotatio.* Hæc parabola divi Matthæi una esse videtur cum illa Lucæ *XIX. 12.* de decem mnis in servos distributis, sed bis et diverso modo repetitur.



# PARS QUINTA

## II. — De doctrina Christi quam claris verbis tradidit.

### ADHORTATIO.

Qui vult plene et sapide Christi verba intelligere, oportet ut totam vitam suam illi studeat conformare. *De Imitatione Christi.* (*Lib. I. Cap. 1, 2.*)

### MEDITATIO CXCV.

#### DIDAGMA PRIMUM.

**Christi cibus voluntatem Patris facere.**

1. — Rogabant eum discipuli, dicentes : Rabbi, manduca.

Ille autem dicit eis : Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis. (*Joan. IV. 31, 32.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Et inutilem servum ejicite in tenebras exteriores : illic erit fletus, et stridor dentium! (*Matth. XXV. 28, 29, 30.*)

Datur ei qui decem talenta fecerat,ut intelligamus, licet æquale sit domini gaudium in utriusque labore, ejus scilicet qui quinque et qui duo multiplicavit, tamen majus deberi præmium ei qui plus in domini pecunia laboravit. (*Hieronymus.*)

Quisquis autem caritatem non habet, etiam dona quæ percepisse videbatur, amittit. (*Gregorius.*)

Servus autem malus non solum damno punitur, sed etiam intolerabili pœna, et cum pœna accusabili denuntiatione. (*Chrysostomus.*)

Et sic per pœnam in tenebras exteriores cadet qui per suam culpam sponte in interiores tenebras decidit. (*Gregorius.*)

Vide autem quia non solum qui rapit aliena aut qui mala operatur, punitur ultima pœna, sed etiam qui bona non facit. (*Chrysostomus.*)

*Annotatio.* Hæc parabola divi Matthæi una esse videtur cum illa Lucæ *XIX. 12.* de decem mnis in servos distributis, sed bis et diverso modo repetitur.



# PARS QUINTA

## II. — De doctrina Christi quam claris verbis tradidit.

### ADHORTATIO.

Qui vult plene et sapide Christi verba intelligere, oportet ut totam vitam suam illi studeat conformare. *De Imitatione Christi.* (*Lib. I. Cap. 1, 2.*)

### MEDITATIO CXCV.

#### DIDAGMA PRIMUM.

**Christi cibus voluntatem Patris facere.**

1. — Rogabant eum discipuli, dicentes : Rabbi, manduca.

Ille autem dicit eis : Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis. (*Joan. IV. 31, 32.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Videntes eum fatigatum ex itinere et æstu qui erat, rogabant eum vulgari eorum voce : neque enim erat hoc temeritatis, sed amoris cura circa magistrum. (*Chrysostomus.*)

Dominus vero sciens quod Samaritana totam civitatem ad eum traheret, hoc discipulis significavit unde sequitur : *Ille autem dicit eis : Ego cibum habeo*, etc. (*Theophyl.*)

Hominum salutem hic cibum vocavit, ostendens quantum desiderium habet nostræ salutis : sicut enim nobis concupiscibile est comedere, ita ei salvare nos.

Tu vero intuere, quod non statim revelat, sed ubique in quæstionem immittit auditorem, ut incipiens quærere quod dicitur et laborans, cum ampliori suscipiat desiderio. (*Chrysostomus.*)

II. — Dicebant ergo discipuli ad invicem : Numquid aliquis attulit ei manducare? (*Joan. IV. 33.*)

Quid mirum si mulier illa non intelligebat aquam? Ecce discipuli non intelligunt escam. (*Augustinus.*)

Et quidem assuetam reverentiam et honorem magistro præbent, ad se invicem quidem loquentes, ipsum vero non præsumentes interrogare. (*Chrysostomus.*)

In hoc autem quod dicunt discipuli : *Numquid aliquis attulit ei manducare*, considerandum est, quod cibos ab aliis oblatos Dominus suscipere solebat, non quod alieno ministerio indigeret qui dat escam omni carni, sed ut deferentes meritum consequerentur, simulque formam tradens non erubescere paupertatem, neque grave putare ab aliis nutriri : proprium enim et necessarium est doctoribus, alios habere procuratores ciborum, ut ipsi de nullo curantes, verbi ministrationem procurent sollicite. (*Theophylactus.*)



III. — Dicit eis Jesus : Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus. (*Joan. IV. 34.*)

Audivit autem Dominus cogitationes discipulorum, et instruit eos ut Magister, non per circuitum sicut mulierem, sed aperte. (*Augustinus.*)

Plenam autem et integram facit Dei voluntatem qui dixit : *Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus, qui misit me* : proprius enim cibus ejus ostenditur. Quid autem sit velle Patris, innuit sermo sequens : Ut perficiam opus ejus. Cum enim quodammodo homo perfectus fuerit, ob transgressionem factus est imperfectus : et ideo missus est Salvator, primo quidem ut perficiat voluntatem ejus qui misit eum : secundo vero ut consummet opus Dei ut quilibet perfectus fiat ad solidi cibi usum. (*Origenes.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## MEDITATIO CXCVI.

### DIDAGMA SECUNDUM.

**Christus invitat discipulos ut in opere Dei eum collaborent.**

I. — Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt, et messis venit? Ecce dico vobis : Levate oculos vestros, et videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem. (*Joan. IV. 35.*)

Propter quid non manifeste dicit, quod præparati sunt homines ad susceptionem verbi? Duarum quidem occasionum gratia : unius quidem ut manifestior fiat sermo, et magis ante oculos ponat quæ dicuntur ; alterius autem ut dulcior sit narratio et permanentior eorum quæ dicuntur memoria. (*Chrysostomus.*)

II. — Et qui metit mercedem accipit, et congregat fructum in vitam æternam : ut et qui seminat, simul gaudeat et qui metit.

In hoc enim est verbum verum : quia alius est qui seminat, et alius qui metit. (*Joan. IV. 36, 37.*)

In rebus quidem sensibilibus si contingat alium seminare et alium metere, non simul



lætantur, sed dolent qui seminant quasi aliis laborantes ; lætantur autem soli qui metunt ; hic autem non ita, sed et qui non metunt seminantes, simul cum metentibus lætantur, quoniam in mercede communicant.

Ad hoc autem quod dixerat sermonem proverbialem inducit : unde subdit : *In hoc enim*, etc. Hoc quidem vulgariter dicebatur, si quando alii labores sustinebant, et alii fructus metebant. Sed et hic sermo iste maxime habet veritatem : quia prophetæ laboraverunt, sed vos fructus ex illorum laboribus metitis. (*Chrysostomus.*)

III. — Ego misi vos metere quod non laborastis : alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis. (*Joan. IV. 38.*)

Quid ergo? Messores misit, non seminatores? Ibi ergo messores mittendi ubi jam Prophetæ prædicaverant. Legite labores illorum, et in omnibus eorum laboribus est prophetia Christi : ergo jam in Judæa messis parata erat quando tot millia hominum pretia rerum suarum offerebant, et ad pedes Apostolorum ponentes, expeditis humeris a sarcinis sæcularibus, Christum Dominum sequebantur. De ipsa messe ejecta sunt pauca grana, et seminaverunt orbem terrarum ; et surgit alia messis, quæ in fine sæculi metenda est : ad quam metendam non Apostoli, sed Angeli mittentur. (*Augustinus.*

## MEDITATIO CXCVII.

### DIDAGMA TERTIUM.

**Christus tres se sequi cupientes instruxit.**

I. — Et accedens unus Scriba, ait illi : Magister, sequar te, quocumque ieris. (*Matth. VIII. 19.*)

Dixit illi Jesus : Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos : filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. (*Luc. IX. 58. — Matth. VIII. 20.*)

Ostenditur nobis ob hoc Scribam repudiatum, quod signorum videns magnitudinem, sequi voluerit Salvatorem, ut lucra ex operum miraculis quæreret : hoc idem desiderans quod et Simon magus a Petro emere voluerat. (*Hieronymus.*)

Quid me propter divitias et sæculi lucra cupis sequi, cum tantæ sim paupertatis, ut nec hospitiolum quidem habeam, et tecto utar non meo. (*Hieronymus.*)

Hoc autem non erat avertentis, sed arguentis quidem malum consilium, concedentis autem si vellet cum paupertatis exspectatione sequi Christum. Et ut discas ejus malitiam, audiens hoc et correctus non dixit : Paratus sum sequi. (*Chrysostomus.*)



II. — Alius autem de discipulis ejus (*Matth. VIII. 21.*) dixit : Domine permitte mihi primum ire, et sepelire patrem meum.

Dixitque ei Jesus : Sine ut mortui sepeliant mortuos suos : tu autem vade, et annuntia regnum Dei. (*Luc. IX. 59, 60. — Matth. VIII. 21, 22.*)

Iste pietatis occasione ad sepeliendum patrem ire desiderat, ille secuturum quolibet ierit, promittit, non magistrum quærens, sed ex magistro lucrum. Ille etiam discipulus non interrogat an sequatur; jam enim sequi se oportere credidit : sed permitti sibi orat sepelire patrem. (*Hilarius.*)

Dominus autem quando parat homines Evangelio, nullam excusationem vult interponi carnalis hujus temporalisque pietatis. (*Chrysostomus.*)

III. — Et ait alter : Sequar te Domine, sed permitte mihi primum renuntiare his, quæ domi sunt.

Ait ad illum Jesus : nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei. (*Luc. IX. 61, 62.*)

Quærere renuntiare his qui domi sunt, licentiando se ab eis, ostendit quod utcumque divisus sit a Domino, dum hoc non perfecte adire proposuerit mente : nam velle

consulere proximos non consensuros huic proposito, indicat se utcumque labantem : propter quod Dominus hoc improbat.

Apposuit manum aratro qui affectuosus est ad sequendum : tamen respicit retro qui dilationem petit, occasione redeundi ad domum et cum propinquis conferendi. (*Cyrillus.*)

Quasi dicat ei : Vocat te Oriens et tu attendis Occidentem. (*Augustinus.*)

## MEDITATIO CXCVIII.

### DIDAGMA QUARTUM.

**Cur discipuli Christi non jejunaverint.**

I. — Accesserunt ad Jesum discipuli Joannis. (*Matth. IX. 14.*)

Erant discipuli Joannis, et Pharisæi jejunantes : (frequenter *Matth. IX. 14*) et veniunt, et dicunt illi : Quare discipuli Joannis, et Pharisæorum jejunant (et obsecrationes faciunt, (*Luc. V. 33*) tui autem discipuli non jejunant. (*Marc. II. 18.*)

Tui autem edunt et bibunt? (*Luc. V. 33.*)

Superba interrogatio, et jejunii reprehendenda jactantia! nec poterant discipuli Joannis non esse sub vitio, qui jungebantur



Pharisæis, quos a Joanne noverant condemnatos : et calumniabantur eum quem sciebant magistri vocibus prædicatum. (*Hieronymus.*)

Est autem duplex jejunium : unum in tribulatione ad propitiandum Deum in peccatis : aliud in gaudio, cum tanto minus delectant carnalia, quanto spiritualium major sarcina est. Interrogatus ergo Dominus cur discipuli ejus non jejunarent, de utroque jejunio respondit. (*Augustinus.*)

II. — Et ait illis Jesus : Numquid possunt filii sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus? (*Matth. IX. 15.*)

Numquid possunt filii nuptiarum, quamdiu sponsus cum illis est jejunare? (*Marc. II. 19.*)

Numquid potestis filios sponsi, dum cum illis est sponsus, facere jejunare? (*Luc. V. 34.*)

Quanto tempore habent secum sponsum, non possunt jejunare. (*Marc. II. 19.*)

Quasi dicat : Præsens tempus lætitiæ est et alacritatis : non igitur immiscenda sunt tristia. (*Chrysostomus.*)

Salvatoris enim nostri in hoc sæculo demonstratio, nihil aliud fuit quam quædam festivitas, intelligibiliter quasi quamdam sponsam copulans illi nostram naturam, ut



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quondam sterilis fecunda fieret. Igitur filii sponsi esse noscuntur quicumque vocati sunt ab eo, per novam et evangelicam disciplinam : non autem Scribæ cum Pharisæis, qui solam legis umbram considerant. (*Cyrillus.*)

III. — Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus. (*Matth. IX. 15. — Marc. II. 20.*)

Cum oblatus fuerit ab illis sponsus, tunc jejunabunt in illis diebus. (*Marc. II. 20. — Luc. V. 35.*)

Tempus erit in quo suam virilitatem demonstrent : quando enim subtrahetur ab eis sponsus jejunabunt, ejus affectantes adventum, ut spiritus illi conjungant per corporales angustias emundatos. Filii etiam sponsi, quia infantes sunt, non possunt per totum conformari patri et sponso, qui eorum infantiam considerans dignatur eos non tunc jejunare; recedente autem sponso, propter desiderium jejunabunt; sed cum perfecti fuerint, et sponso conjungentur in nuptiis, regalem semper comedent cœnam. (*Chrysostom.*)



# MEDITATIO CXCIX.

## DIDAGMA QUINTUM.

### Prior doctrina confirmatur similitudinibus.

I. — Dicebat autem et similitudinem ad illos : quia nemo commissuram (panni rudis *Matth. IX. 16.*) A novo vestimento immittit in vestimentum vetus : alioquin et novum rumpit, et veteri non convenit commissuram a novo. (*Luc. V. 36.*)

Tollit enim plenitudinem ejus a vestimento et pejor scissura fit. (*Matth. IX. 16.*)

Nemo assumentum panni rudis assuit vestimento veteri : alioquin aufert supplementum novum a veteri, et major scissura fit. (*Marc. II. 21.*)

Discipuli veteribus vestimentis assimilati sunt, propter eorum mentis infirmitatem, quibus non erat congruum imponere statutum grave jejunii. (*Theophylactus.*)

Neque conveniens erat novum pannum assuere, quod est aliqua particula doctrinæ, quæ ad novæ vitæ temperantiam pertinet, quæ generale docet jejunium ab omni lætitia temporalium delectationum : quia si hoc fiat et doctrina scinditur, et non convenit vetustati. (*Beda.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

II. — Et nemo mittit vinum novum in utres veteres : alioquin rumpet vinum novum utres, et ipsum effundetur, et utres peribunt. (*Luc. V. 37. — Marc. II. 22. — Matth. IX. 17.*)

Sed vinum novum in utres novos mitti debet. (*Marc. II. 22. — Luc. V. 38. — Matth. IX. 17.*)

Discipulos veteribus comparat utribus, quos vino novo, id est spiritualibus præceptis, facilius disrumpi, quam posse continere dicit. Erunt autem utres novi cum post ascensum Domini desiderio consolationis ejus innovabuntur ; tunc novum vinum novis utribus adveniet ; hoc est Spiritus sancti fervor spiritualium corda replebit. Doctori etiam cavendum est, ne anima in vetustate malitia perduranti, novorum mysteriorum secreta committat. (*Beda.*)

III. — Et nemo bibens vetus, statim vult novum, dicit enim : Vetus melius est. (*Luc. V. 39.*)

Non statim eo adducitur ut vetere relicto, amplectatur novum, licet novum melius sit. Hoc affertur a Christo ad defendendam eam rationem quam tenebat cum discipulis, quos jejunare non cogebat, cum non essent assueti jejunio, vox tamen *statim* indicat mox jejunaturos, licet nunc non jejunent. (*Menochius ibid.*)



## MEDITATIO CC.

### DIDAGMA SEXTUM.

#### De resuscitatione mortuorum.

I. — Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, et credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, et in judicium non venit, sed transit a morte in vitam.

Amen, amen dico vobis, quia venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei : et qui audierint, vivent.

Sicut enim Pater habet vitam in semetipso : sic dedit et Filio habere vitam in semetipso :

Et potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est. (*Joan. V. 24, 25, 26, 27.*)

Ex duobus suum sermonem susceptibilem facit : et in hoc quod Patri creditur ab eo qui ipsum audit, et in hoc quod multis bonis potietur. (*Chrysostomus.*)

Unde sequitur : *In judicium non venit.* Sed quis est hic? Erit quisquam Paulo Apostolo melior, qui ait. " Oportet nos exhiberi omnes ante tribunal Christi?" (*II. Corinth. VII.*) Aliquando ergo judicium pœna dicitur, aliquando judicium discretio dicitur.

Ergo secundum judicium discretionis oportet nos omnes exhiberi ante tribunal Christi; secundum judicium damnationis hic dicitur. *In judicium non venit :* id est non venit in damnationem : *sed transit a morte in vitam.* Ne putares credendo te non moriturum secundum carnem, scias te mortem quam debes supplicio Adam, persoluturum. Accepit enim ille, in quo tunc omnes fuimus : " Morte morieris : " (*Gen. II.*) Nec potes evadere divinam sententiam. Sed cum persolveris mortem veteris hominis, suscipies vitam novi hominis, et transitum facies de morte ad vitam. Ad quam vitam? ad æternam : resurrecturi enim in fine sæculi, mortui in vitam æternam transibunt. (*Augustinus.*)

Sicut in resurrectione futura, vocem audientes præcipientem, suscitabimur, ita et nunc fit. (*Chrysosto.*) Hoc enim dixit pro his quos a mortuis suscitaturus fuit, scilicet filia archysinagogi, filio viduæ et Lazaro. (*Theophylactus.*)

Vel, quid est *audient*, nisi, obedient? Qui enim credunt, et secundum veram fidem agunt, vivunt et mortui non sunt : qui autem vel non credunt, vel credunt male viventes et caritatem non habentes, mortui potius deputandi sunt.

Sed quæret aliquis : Habet Filius vitam unde vivant credentes? Audi ipsum dicentem : *Sicut enim habet Pater*, etc. Vivere



quippe suum in illo est, non aliunde, non alienum est; non quasi particeps sit vitæ, quæ non est quod ipse; sed habet vitam in semetipso, ut ipsa vita sibi sit ipse. Quid tu? Anima mortua erat : audi Patrem per Filium : surge, ut in eo recipias vitam quam non habes in te, qui habet vitam in semetipso;et sic agitur prima resurrectio.(*August.*)

Non solum Pater dedit Filio quod vivificet, sed etiam quod judicium faciat. (*Theophylactus.*) Quia homo est. Æquum enim esse judicavit Deus ut in extremo illo judicio omnes, tam pii quam impii, oculis corporis judicem intueantur; intuebuntur autem, cum sit non solum Deus, sed etiam homo. (*Menochius, ibid.*)

II. — Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei :

Et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ : qui vero mala egerunt in resurrectionem judicii. (*Joan, V. 28, 29.*)

Accepisti certe potestatem judicandi, quia Filius hominis es. Resurgent corpora : de ipso judicio dic aliquid? Hoc audite : *qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ;* vivere scilicet cum Angelis Dei; *qui male egerunt, in resurrectionem judicii.* Hic judicium pro pœna posuit. (*Augustinus.*)

III. — Non possum ego a meipso facere quidquam. Sicut audio, judico : et judicium meum justum est : quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me. (*Joan. V. 30.*)

Non extraneum, neque dissimile his quæ vult Pater, a me fieri videbitis : sed *sicut audio judico* : in quo nihil aliud ostendit quam quoniam impossibile est eum aliud velle quam quod Pater vult : hoc est, ita judico ac si ipse Pater esset qui judicaret. (*Chrysostomus.*)

## MEDITATIO CCI.

### DIDAGMA SEPTIMUM.

**Tria testimonia Divinitatis Christi ac primum a Joanne.**

I. — Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum.

Alius est, qui testimonium perhibet de me : et scio quia verum est testimonium, quod perhibet de me. (*Joan. V. 31, 32.*)

Noverat ipse verum esse de se testimonium suum : sed propter infirmos et propter incredulos quærebat sol lucernas : fulgorem



quippe solis lippitudo eorum ferre non poterat : ideo quæsitus est Joannes, qui testimonium perhiberet veritati. (*Augustinus.*)

II. — Vos misistis ad Joannem : et testimonium perhibuit veritati.

Ego autem non ab homine testimonium accipio : sed hæc dico ut vos salvi sitis. (*Joan. V. 33, 34.*)

Quasi dicat : Ego quidem Deus exsistens, non indigebam hujusmodi testimonio humano : quia vero ei magis attenditis, et eum magis omnibus fide dignum putatis, mihi autem neque miracula facienti creditis; propter hoc vobis commemoro testimonium illius. (*Chrysostomus.*)

III. — Ille erat lucerna ardens, et lucens : Vos autem voluistis ad horam exsultare in luce ejus. (*Joan. V. 35.*)

Hoc quod dicit, *ad horam* facilitatem credendi ostendit, et quam cito ab eo resilierunt : quod si non fecissent, cito eos ad Jesum manu duxisset. Vocando autem eum lucernam, ostendit quoniam non ex se habebat lumen, sed a Spiritus sancti gratia. (*Chrysostomus.*)

Joannes enim erat lucerna illuminatus a Christo luce, ardens fide et dilectione, lucens verbo et actione, qui præmissus est ut inimicos Christi confunderet. (*Alcuinus.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## MEDITATIO CCII.

### DIDAGMA OCTAVUM.

### Alterum testimonium divinitatis Christi ab operibus.

I. — Ego habeo testimonium majus Joanne. Opera enim, quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea : ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me. (*Joan. V. 36.*)

Quod enim cæcos illuminat, aures operit, ora mutorum resolvit, dæmonia fugat, mortuos suscitat : opera hæc testimonium perhibent de Christo. (*Alcuinus.*)

II. — Et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me : neque vocem ejus unquam audistis, neque speciem ejus vidistis.

Et verbum ejus non habetis in vobis manens : quia quem misit ille, huic vos non creditis. (*Joan. V. 37, 38.*)

Resolvite evangelica volumina, et omne eorum opus recensete : nullum aliud Patris de Filio testimonium exstat in libris, quam quod hic sit Filius suus. Quid infertur hodie calumniæ, ut adoptio nominis sit, ut mendax Deus sit, ut nomina inania sint. (*Hilarius.*)



Non carnalibus auribus, sed spiritali intelligentia per gratiam Spiritus sancti, Deus audiri potest. Non ergo vocem spiritalem audierunt, quoniam eum amare et præceptis ejus obedire nolebant, neque speciem ejus viderunt, quia non exterioribus oculis videri potest, sed fide et dilectione. (*Alcuinus.*)

Sed neque possibile erat eis dicere quod præcepta ejus suscepissent et servarent; ideoque subjungit : *Et verbum ejus non habetis in vobis manens*, id est præcepta Dei, legem et Prophetas : etsi enim ea Deus constituit, sed apud vos non sunt : etsi Scripturæ ubique docent ut mihi credatis, vos autem non creditis, manifestum est quod sermo ejus deficit a vobis. (*Chrysostomus.*)

III. — Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere : et illæ sunt quæ testimonium perhibent de me :

Et non vultis venire ad me ut vitam habeatis.

Claritatem ab hominibus non accipio.

Sed cognovi vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis.

Ego veni in nomine Patris mei, et non accipitis me : si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. (*Joan. V. 39, 40, 41, 42, 43.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Dixerat se habere testimonium a Joanne, ab operibus, a Patre : addit et testimonium a lege quæ data est per Moysen : quasi dicat : Vos in Scripturis putatis vitam æternam habere, et me quasi contrarium Moysi repudiatis : testimonio ipsius Moysi me esse Deum intelligere potestis, si ipsas Scripturas diligenter investigatis. (*Alcuinus.*)

Ostendit quoniam non capiebant magnum fructum et nobilem ex Scripturis, sola lectione æstimantes se salvari, cum fide essent privati : propter quod subdit : *Et non vultis venire ad me;* quia ei credere nolebant. (*Chrysostomus.*)

Quod autem venire pro credere ponatur, Psalmista ostendit dicens. " Accedite ad eum, et illuminamini. " (*Psal. XXXIII.*) Subdit, *ut vitam habeatis :* si enim anima quæ peccat moritur, ipsi anima et mente mortui erant. Promittebat ergo illis vitam animæ, vel felicitatis æternæ. (*Beda.*)

Laudem humanam non quæro : non enim veni ut honorem ab hominibus acciperem carnalem, sed honorem hominibus darem spiritualem. Non ergo ideo hoc loquor ut gloriam meam quæram, sed condoleo vobis errantibus, et volo vos reducere ad viam veritatis. (*Alcuinus.*)

Irrefragabilem indevotionis eorum ponit demonstrationem, quasi dicat : Si ut amantes Deum me persequeremini, multo magis in Antichristo hoc vos facere oportet : ille enim non dicit se a Patre missum, neque secundum voluntatem illius venire : sed e contrario ea quæ sibi non congruunt rapiens, super omnia Deum se esse dicet. Manifestum est igitur quod livoris persecutio erat qua Christum persequebantur, et odii in Deum. (*Chrysostomus.*)



## MEDITATIO CCIII.

### DIDAGMA NONUM.

### Tertium testimonium divinitatis Christi a Moyse.

I. — Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis : et gloriam quæ a solo Deo est non quæritis? (*Joan. V. 44.*)

Causam eorum infidelitatis ponit. Hinc enim ostendit quoniam non quæ Dei sunt intendebant, sed propriam volebant passionem defendere. (*Chrysostomus.*)

Magnum igitur vitium est jactantia, et humanæ laudis ambitio. Ideo enim non possunt credere, quia superba mens eorum laudari desiderat, et se super alios efferre. (*Alcuinus.*)

II. — Nolite putare quia ego accusaturus sim vos apud Patrem : est qui accu-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sat vos Moyses, in quo vos speratis. (*Joan. V. 45.*)

Possent ipsi respondere : Ergo accusabis nos apud Patrem? Et ideo eorum quæstionem prævéniens subdit : *Nolite*, etc. (*Beda.*)

Quia scilicet non veni damnare, sed salvare. (*Chrysostomus.*)

III. — Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi: de me enim ille scripsit.

Si autem illius litteris non creditis : quomodo verbis meis credetis? (*Joan. V. 46, 47.*)

*Forsitan* more nostro posuit, non quia dubitatio sit in Deo. Scripsit autem de Christo Moyses dicens,(*Deut. XVIII*): "Prophetam vobis suscitabit Deus de fratribus vestris : tamquam meipsum audietis." (*Alcuinus.*)

Sed et omne quod scripsit Moyses, de Christo est, id est ad Christum omnino pertinet, sive quod eum figuris rerum vel gestarum vel dictarum prænuntiet, sive quod ejus gratiam, gloriamque commendet. (*Augustinus.*)

Et quidem si attenderent his quæ dicebantur; oportebat quærere, et ab eo discere quæ sunt illa quæ Moyses de eo scripsit; sed silent : talis enim est nequitia, ut quicquid dicas, vel facias, maneat proprium venenum conservans.



## MEDITATIO CCIV.

### DIDAGMA DECIMUM.

**Discipuli sabbato spicas confricant, et a Christo contra Pharisæorum calumnias vindicantur.**

I. — In illo tempore abiit Jesus per sata sabbato. (*Matth. XII. 1.*) Factum est autem in Sabbato secundo, primo, cum transiret per sata. (*Luc. VI. 1.*) Discipuli ejus esurientes. (*Matth. XII. 1.*) Cœperunt progredi et vellere spicas. (*Marc. II. 23.*) Et manducabant confricantes manibus. (*Luc. VI. 1.*)

Judæi omnem festivitatem sabbatum nuncupabant : requies enim dicitur sabbatum : multoties ergo contingebat in parasceve festivitas, et vocabant parascevem sabbatum propter festum : deinde principale sabbatum secundum primum dicebant, quasi secundum exsistens a præcedentis diei festivitate. (*Theophylactus.*)

Tu autem admirare discipulos, qui ita erant oppressi et nullam corporalium habebant curam, sed contemnebant carnalem mensam; et fame oppugnabantur, nec tamen desistebant a Christo : nisi enim eos cogeret vehementer esuries, nequaquam hoc fecissent. (*Chrysostomus.*)

II. — Quidam autem Pharisæorum, dicebant illis : Quid facitis quod non licet in sabbatis? (*Luc. VI. 2. P.*)

Pharisæi autem videntes, dixerunt ei : Ecce discipuli tui faciunt quod non licet facere sabbatis. (*Matth. XII. 2.*)

Et respondens Jesus ad eos dixit. (*Luc. VI. 3.*)

Nunquam legistis quid fecerit David, quando necessitatem habuit, et esuriit ipse, et qui cum eo erant?

Quomodo introivit in domum Dei sub Abiathar principe Sacerdotum. (*Marc. II. 25, 26.*)

Et panes propositionis sumpsit, et manducavit, et dedit his qui cum ipso erant. (*Luc. VI. 4.*)

Quos non licebat ei edere, neque his, qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus. (*Matth. XII. 4.*)

Die igitur sabbati visi sunt transeuntes per segetes, et spicas edebant, ostendentes quoniam dissolutum est vinculum sabbati, ubi magnum venit sabbatum, hoc est Christus, qui fecit nos quiescere ab opere delictorum nostrorum. (*Epiphanius.*)

Pharisæi autem et Scribæ ignari Sacrarum Scripturarum, in unum conspiraverant ad reprehendendum Christi discipulos. Dic



mihi tu : cum in sabbato tibi mensa proponitur, nonne frangis panem? quid igitur alios reprehendis? (*Cyrillus.*)

Dicet aliquis : Quid est exemplum hoc ad id quod quæritur? Non enim David sabbatum transgressus est. Sed in hoc ostenditur Christi sapientia, quod aliud exemplum fert sabbato majus : neque enim est æquale transgredi sabbati diem, quod multoties factum est, et sacram illam tangere mensam, quod nulli fas erat. Deinde rursus et aliter solvit, principaliorem inducens solutionem. (*Chrysostomus.*)

III. — Aut non legistis in lege quia sabbatis, sacerdotes in templo sabbatum violant, et sine crimine sunt?

Dico autem vobis, quia templo major est hic.

Si autem sciretis quid est : misericordiam volo et non sacrificium : nunquam condemnassetis innocentes. (*Matth. XII. 5, 6, 7.*)

Et dicebat eis : Sabbatum propter hominem factum est, et non homo propter sabbatum.

Itaque Dominus est Filius hominis, etiam sabbati. (*Marc. II. 27, 28. — Luc. VI. 5. — Matth. XII. 8.*)



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Calumniamini discipulos meos, cur sabbato spicas triverint, famis necessitate cogente : cum ipsi sabbatum violetis in templo immolantes victimas, cædentes tauros, holocausta super lignorum struem incendio concremantes. (*Hieronymus.*)

Vide quanta posuit. Locum, ubi dicit, *in templo;* tempus cum dicit, *sabbatis* : legis remissionem, cum dicit, *violant*, et non solum solvant : et quod non solum liberantur a pœna, sed a culpa liberati sunt : unde dicit, *sine crimine sunt.* Sed numquid discipuli sunt sacerdotes? Immo sunt sacerdotibus majores : ipse enim aderat, qui templi est Dominus, qui veritas est et non typus, et ideo subditur : Dico autem vobis, quia templo major est hic. (*Chrysostomus.*)

Vide qualiter ad veniam ducens sermonem, discipulos rursus venia superiores ostendit, in hoc quod dicit eos innocentes; quod quidem supra et de sacerdotibus dixerat. Deinde et aliam causam dixit quare sunt innocentes, dicens Dominus est Filius hominis etiam sabbati. (*Chrysostomus.*)

Filium autem hominis seipsum appellat : et est sensus : Ille quem vos purum hominem putatis, Deus est omnium creaturarum Dominus et etiam sabbati; et ideo potest legem mutare pro sua voluntate, quia fecit eam. (*Remigius.*)



## MEDITATIO CCV.

### DIDAGMA UNDECIMUM.

**De sermone Christi habito in monte ac primum de octo beatitudinibus.**

1. — Videns autem Jesus turbas, ascendit in montem, et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus. (*Matth. V. 1.*)

Et ipse elevatis oculis in discipulos suos. (*Luc. VI. 20.*)

Aperiens os suum docebat eos, dicens :

Beati pauperes spiritu : quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

Beati mites : quoniam ipsi possidebunt terram. (*Matth. V. 2, 3, 4.*)

Ascendit in montem, ut ostendat quod ascendere omnis qui vult discere mysteria veritatis, in montem Ecclesiæ debet : de quo Propheta (*Psal. LXVII.*) : " Mons Dei, mons pinguis. " (*Chrysostomus.*)

Vel ascendit in montem, quia in paternæ majestatis celsitudine positus, cœlestis vitæ præcepta constituit. (*Hilarius.*)

Ideo autem non stans, sed sedens loquitur, quia non poterant eum intelligere in sua majestate fulgentem. (*Hieronymus.*)

Vel quod sedens docebat, pertinet ad dignitatem Magistri. (*Augustinus.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Et quamvis generaliter omnibus loquatur, specialius tamen oculos in discipulos levat : ut his qui verbum intenta cordis ore percipiunt, latius saporis intimi lumen aperiat. (*Beda.*)

*Beati pauperes spiritu :* qui scilicet propter Spiritum sanctum voluntarie sunt pauperes. (*Chrysostomus.*)

Inde autem incipit beatitudo judicio divino, ubi ærumna æstimatur humana. (*Ambrosius.*)

Pauperibus autem in præsenti, convenienter promittuntur divitiæ cœli. (*Glossa interl.*)

Mites etiam, qui seipsos possederunt, hereditatem Patris in futuro possidebunt. Plus autem est possidere quam habere : multa enim habemus quæ statim amittimus. (*Glossa.*)

II. — Beati qui lugent : quoniam ipsi consolabuntur.

Beati, qui esuriunt, et sitiunt justitiam : quoniam ipsi saturabuntur.

Beati misericordes : quoniam ipsi misericordiam consequentur. (*Matth. V. 5, 6, 7.*)

Cum hoc feceris, ut scilicet sis pauper et mitis, memento quia peccator es, et lugeto peccata tua. Et bene tertia benedictio est peccata deflentis, quia Trinitas est quæ peccata condonat. (*Ambrosius.*)



Cum autem consolatio sit lugentium cessatio luctus : qui sua peccata lugent consolabuntur indulgentiam consecuti. (*Chrysost.*)

Postquam delicta deflevi, esurire incipio et sitire justitiam. Æger enim cum in gravi morbo est, non esurit. (*Ambrosius.*)

Sitientibus autem et esurientibus justitiam, beatitudinem tribuit; significans extensam in Dei doctrinam sanctorum aviditatem perfecta in cœlo satietate repleri. (*Hilarius.*)

Misericordia hic non solum in eleemosynis intelligitur, sed in omni peccato fratris, si alter alterius onera portemus. (*Hieronymus.*)

Beatos autem dicit esse qui subveniunt miseris, quoniam eis ita rependitur ut de miseria liberentur. (*Augustinus.*)

Videtur autem esse æqualis retributio : sed est multo major : non enim est æqualis humana misericordia et divina. (*Chrysost.*)

III. — Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt.

Beati pacifici : quoniam filii Dei vocabuntur.

Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam : quoniam ipsorum est regnum cœlorum. (*Matth. V. 8, 9, 10.*)

Qui misericordiam defert, misericordiam amittit, nisi mundo corde misereatur : nam si jactantiam quærit, nullus est fructus. (*Ambrosius.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Mundos hic ait, vel eos qui universalem virtutem possident et nullius sibi malitiæ conscii sunt, vel eos qui in temperantia consistunt; quæ maxime necessaria est ad videndum Deum, secundum illud Pauli : (*Hebr. XII.*) " Pacem sequimini cum omnibus et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. " Quia enim multi miserentur quidem, sed impudica agunt : monstrans quod non sufficit primum, scilicet misereri, hoc de munditia opposuit. (*Chrysostomus.*)

Mundus autem Deus a mundo corde concupiscitur : templum enim Dei non potest esse pollutum. (*Hieronymus.*)

Cum interiora tua vacua feceris ab omni labe peccati, ne dissentiones contentionesque ex affectu tuo prodeant, a te pacem incipe, ut sic pacem aliis feras. (*Ambrosius.*)

Cum pacifici dicantur qui non adversum se mutuo dimicant, sed alios dissidentes in concordiam revocant, jure etiam filii Dei appellantur : quia Unigeniti hoc præcipuum fuit opus, distantia copulare, conciliare pugnantia. (*Chrysostomus.*)

Posita pacificorum beatitudine, ne aliquis existimaret quod semper pacem sibi quærere sit bonum subdit : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam*, hoc est propter virtutem, propter defensionem aliorum, propter pietatem : justitiam enim consuevit pro omni virtute animæ ponere. (*Chrysostomus.*)



IV. — Beati estis cum maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me. (*Matth. V. 11.*)

Beati eritis cum vos oderint homines, et cum separaverint vos, et exprobraverint, et ejecerint nomen vestrum tamquam malum propter Filium hominis.

Gaudete in illa die, et exsultate : ecce enim merces vestra multa est in cœlo. (*Luc. VI. 22, 23.*) Copiosa est in cœlis. (*Matth. V. 12.*)

Secundum hæc enim faciebant prophetis patres eorum. (*Luc. VI. 23.*)

Sic persecuti sunt prophetas, qui fuerunt ante vos. (*Matth. V. 12.*)

Superiores sententias generaliter dirigebat : jam incipit loqui præsentes compellans, prædicens eis persecutiones quas pro nomine ejus passuri erant. (*Rabanus.*)

Si autem verum est quoniam qui calicem aquæ porrexerit merces ejus non perit, consequenter qui vel unius levissimi verbi injuriam fuerit passus, vacuus non erit a mercede. Ut autem blasphematus sit beatus, duo convenire debent : ut et mendaciter blasphemetur, et propter Deum; alioquin si unum defuerit, non est beatitudinis merces. (*Chrysostomus.*)

Quantum aliquis lætatur de laude hominum, tantum de vituperatione tristatur. Qui vero gloriam concupiscis in cœlo, opprobria non timeas in terris. (*Chrysostomus.*)

Magnam consolationem accipit homo in tribulatione positus, dum recordatur passiones aliorum a quibus exemplum patientiæ accipit : ac si diceret : Mementote quia illius vos estis Apostoli cujus illi fuerunt prophetæ. (*Remigius.*)

## MEDITATIO CCVI.

### DIDAGMA DUODECIMUM.

### Exhortatio Christi ad recte utendum talentis.

I. — Vos estis sal terræ, quod si sal evanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus. (*Matth. V. 13.*)

Quoniam sublimia præcepta apostolis dederat, et multo quam in lege veteri majora : ne turbarentur ac dicerent, quonam modo hæc implere poterimus? eos laudum admixtione permulcet, dicens : *Vos estis sal terræ* : per quod ostendit quam necessario ea præcipiat. Non enim pro vestra inquit, saute tantummodo, aut pro una solum gente, sed pro universo prorsus orbe hæc vobis doctrina committitur. (*Chrysostomus.*)



Apostoli autem sunt rerum cœlestium prædicatores, et æternitatis velut salitores : merito sal terræ nuncupantur, quia per virtutem doctrinæ quasi salientes, æternitati corpora servant. (*Hilarius.*)

II. — Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita :

Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum ut luceat omnibus qui in domo sunt. (*Matth. V. 14, 15.*)

Nemo lucernam accendit, et in abscondito ponit, neque sub modio : sed supra candelabrum, ut qui ingrediuntur lumen videant. (*Luc. XI. 33.*)

Sicut doctores per bonam conversationem sunt sal quo populus conditur : ita propter verbum doctrinæ sunt lux qua ignorantes illuminantur. Prius autem est bene vivere quam bene docere : et ideo postquam Apostolos dixerat sal, consequenter vocat eos lucem. (*Chrysostomus.*)

Docet eos esse sollicitos de propria vita, quasi in oculis omnium positos, sicut civitas quæ est supra montem posita, vel lucerna supra candelabrum lucens. (*Chrysostomus.*)

Non potest abscondi civitas posita supra montem etiam si ipsa voluerit, mons enim

qui eam portat, facit eam omnibus manifestam : sic et Apostoli, et sacerdotes, qui fundati sunt in Christo, non possunt esse absconditi etiam si voluerint, quia Christus eos manifestat. (*Chrysostomus.*)

Ipse Christus accendit lucernam qui testam humanæ naturæ flamma suæ divinitatis implevit; quam nec credentibus abscondere, nec modio supponere, hoc est sub mensura legis includere, vel intra unius gentis terminos noluit cohibere. Candelabrum Ecclesiam dicit, cui lucernam superposuit, quia nostris in frontibus fidem suæ incarnationis affixit. (*Beda.*)

III. — Sic luceat lux vestra coram hominibus : ut videant opera vestra bona, et glorificent patrem vestrum qui in cœlis est. (*Matth. V. 16.*)

Non est enim occultum, quod non manifestetur, nec absconditum, quod non cognoscatur, et in palam veniat. Videte ergo quomodo audiatis, qui enim habet, dabitur illi : et quicumque non habet, etiam quod putat se habere, auferetur ab illo. (*Luc. VIII. 17, 18.*)

Sic illuminate docentes ut non vestra tantum audiant verba, sed et opera videant : et quos illuminaveritis per verbum quasi lux, condiatis per exemplum quasi sal. Per illos



autem doctores qui docent et faciunt magnificatur Deus : nam disciplina domini ex moribus familiæ demonstratur. (*Chrysostomus.*)

His verbis (sequentibus ex capit. VIII. Luc.) typice docet fiduciam prædicandi, ne quis timore carnalium incommodorum lucem scientiæ abscondat; vasis enim et lecti nomine carnem, lucernæ autem vocabulo verbum designat; quod ob metum carnalium incommodorum occultat quis, ipsam carnem præponit manifestationi veritatis, et ea quasi operit verbum qui prædicare trepidat. Supra candelabrum autem ponit lucernam qui corpus suum ministerio Dei subjicit, ut superior sit prædicatio veritatis, et inferior servitus corporis. (*Augustinus.*)

Instanter autem nos Dominus docet verbo auscultare, ut et nos illud pectore ruminare continue, et alieno eructare sufficiamus auditui : unde sequitur : *Videte ergo, etc.* Quasi dicat : Tota intentione verbo quod auditis operam date : quia qui amorem habet verbi, dabitur illi et sensus intelligendi quod amat : at qui verbi audiendi amorem non habet, etsi vel naturali ingenio, vel litterario callere se putaverit exercitio, nulla sapientiæ dulcedine gaudebit. Sæpe enim desidiosus ingenium accipit, ut de negligentia justius puniatur : quia quod sine labore assequi potuit, scire contemnit; et nonnunquam studiosus tarditate intelligentiæ premitur,

ut eo majora præmia retributionis inveniat, quo magis studio inventionis elaborat. (*Beda.*)

## MEDITATIO CCVII.

### DIDAGMA DECIMUM TERTIUM.

**Christus non venit solvere legem sed implere.**

I. — Nolite putare quoniam veni solvere legem, aut prophetas : non veni solvere, sed adimplere. (*Matth. V. 7.*)

Postquam hortatus est audientes ut se præpararent ad omnia sustinenda pro justitia, et non absconderent quod accepturi erant, sed ea benevolentia discerent, ut ceteros docerent, incipit eos informare quid doceant, tamquam si quæreretur : quid est hoc quod non vis abscondi, pro quo jubes omnia tolerari? Numquid aliquid dicturus es extra quæ in lege sunt scripta? Non, inquit. *Nolite*, etc. (*Glossa.*)

In hac autem sententia duplex est sensus : nam adimplere legem aut est addendo aliquid quod minus habet, aut faciendo quod habet. (*Augustinus.*)

II. — Amen quippe dico vobis, donec transeat cœlum et terra, iota unum, aut



unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant. (*Matth. V. 18.*)

Per hoc quod ait nihil potest aliud intelligi nisi vehemens expressio perfectionis, quæ per litteras singulas demonstrata est : inter quas litteras iota minor est ceteris, quia uno ductu fit : apex etiam est ipsius aliqua in summo particula. Quibus verbis ostendit in lege, ad effectum et minima quæque perduci. (*Augustinus.*)

III. — Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum : qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. (*Matth. V. 19.*)

Per regnum cœlorum Ecclesia intelligenda est, in qua doctor qui solvit mandatum, minimus vocatur : quia cujus vita despicitur restat ut ejus prædicatio contemnatur. (*Gregorius.*)

Possumus intelligere : quod Magistri eruditio, etiam si parvo peccato obnoxia sit, deducat eum de gradu maximo; nec prosit docere justitiam quam minima culpa destruit; beatitudoque perfecta sit, quæ sermone docueris, opere complere. (*Hieronym.*)

IV. — Dico enim vobis, quia nisi abundaverit justitia vestra plus quam

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Scribarum, et pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. (*Matth. V. 20.*)

Scribarum autem et pharisæorum justitiæ sunt mandata Moysi : superimpletiones autem istorum mandatorum sunt mandata Christi. Hoc est ergo quod dicit : nisi quis supra legis mandata etiam hæc mea præcepta, quæ apud illos minima existimabantur, impleverit, non intrabit in regnum cœlorum : quoniam illa de pœna liberant, quæ scilicet transgressoribus legis debetur, non autem in regnum inducunt : hæc autem et de pœna liberant, et in regnum inducunt. (*Chrysostomus.*)

## MEDITATIO CCVIII.

### DIDAGMA DECIMUM QUARTUM.

**Non irascendum proximo.**

I. — Audistis quia dictum est antiquis : Non occides : qui autem occiderit, reus erit judicio. (*Matth. V. 21.*)

Per hoc ostendit, multum tempus esse ex quo mandatum hoc acceperant. Hoc ergo dicit ut auditores ad sublimiora progredi præcepto cunctantes acrius incitet : ut si quispiam doctor dicat puero negligenti : nescis jam quantum tempus syllabarum meditatione consumpseris? (*Chrysostomus.*)



II. — Ego autem dico vobis : Quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. (*Matth. V. 22.*)

In quo considera legislatoris potestatem : nullus enim antiquorum prophetarum ita locutus est ; sed sic, " Hæc dicit Dominus : " quia illi ut servi ea quæ sunt Domini annuntiabant ; hic autem ut Filius ea quæ sunt Patris, quæ etiam sua sunt ; et illi conservis prædicabant, hic autem suis servis legem ponebat. (*Chrysostomus.*)

Puto autem quod non de iracundia carnis loquitur Christus, sed de iracundia animæ : caro enim non potest obedire, ut non conturbetur. Quando ergo homo irascitur, et non vult facere quod ira compellit, caro ejus irata est, animus autem ejus non est iratus. (*Chrysostomus.*)

III. — Qui autem dixerit fratri suo, raca : reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue : reus erit gehennæ ignis. (*Matth. V. 22.*)

Sic ergo in primo est unum, idest ira sola : in secundo autem sunt duo, scilicet ira et vox, quæ iram significat : in tertio autem significantur tria : ira, et vox quæ iram significat, et in voce vituperationis expressio : unde dicitur : *Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.* (*Augustinus.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Non æstimes hoc esse onerosum : plures enim pœnarum et peccatorum a verbis habent principium : etenim parva verba multoties homicidium pepererunt et civitates integras everterunt. Nec enim parvum æstimes, fratrem stultum vocare, auferens ei prudentiam et intellectum quo homines sumus, et ab irrationabilibus distamus. (*Chrysostomus.*)

## MEDITATIO CCIX.

### DIDAGMA DECIMUM QUINTUM.

#### De quærenda reconciliatione.

I. — Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te :

Relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo : et tunc veniens offeres munus tuum. (*Matth. V. 23, 24.*)

Si irasci non est fas fratri suo, aut dicere raca, aut fatue; multo minus in animo tenere aliquid, ut in odium indignatio convertatur. Tunc ipse (frater) habet adversus nos, si nos eum in aliquo læsimus : nos adversus illum habemus si ille nos læserit, ubi non est opus pergere ad reconciliationem : non enim veniam postulabis ab eo qui tibi fecit injuriam : sed tantum dimittas, sicut tibi a Domino dimitti cupis quod ipse commiseris. (*Augustinus.*)



Ecce a discordantibus accipere non vult sacrificium. Hinc ergo perpendite quantum sit malum discordiæ, propter quod et illud abjicitur per quod culpa relaxatur. (*Gregorius.*)

Vide autem misericordiam Dei, quomodo hominum utilitates amplius adspicit quam suos honores : plus enim diligit concordiam fidelium quam munera : quamdiu enim fideles homines aliquam dissensionem habuerint, munus eorum non suscipitur, oratio eorum non exauditur. (*Chrysostom.*)

II. — Esto consentiens adversario tuo cito dum es in via cum eo ; ne forte tradat te adversarius judici, et judex tradat te ministro : et in carcerem mittaris.

Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem. (*Matth. V. 25, 26.*)

Ex præcedentibus manifestus est sensus, quod Dominus nos ad concordiam proximi cohortatur : nam supra dictum est : *Vade prius reconciliari fratri tuo.* (*Hieronymus.*)

Festinat enim Dominus ut ad amicitiam festinemus inimicorum nostrorum, quamdiu vivimus in hac vita, sciens quam periculo-

sum est si unus ex inimicis, pace non facta, mortuus fuerit. Si enim inimicans te iverit ante Judicem tradet te Christo, convincens te reum judicio ejus. Tradet autem te judici etiam, si te prius rogaverit : qui enim rogat prius inimicum, reum facit eum ante Deum. (*Chrysostomus.*)

III. — Cum vadis cum adversario tuo ad principem, in via da operam liberari ab illo, ne forte tradat te ad judicem, et judex tradat te exactori, et exactor mittat te in carcerem.

Dico tibi, non exies inde, donec etiam novissimum minutum reddas. (*Luc. XII. 58, 59.*)

Videtur mihi de præsentibus judicibus dicere, et de itinere ad præsens judicium et de carcere hujus mundi : per hæc enim quæ apparent et in promptu sunt, irrationabiles homines se corrigere consueverunt : frequenter enim non solum ex futuris bonis vel malis commonet, sed etiam ex præsentibus, propter grossiores auditores. (*Chrysostomus.*)



## MEDITATIO CCX.

### DIDAGMA DECIMUM SEXTUM.

De refrenenda concupiscentia.

I. — Audistis quia dictum est antiquis : Non mœchaberis.

Ego autem dico vobis : Quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo. (*Matth. V. 27, 28.*)

Quisquis incaute exterius respicit plerumque in delectationem peccati cadit, atque obligatus desideriis, incipit velle quod noluit. Valde namque est quod caro deorsum trahit, et semel species formæ cordi per oculos alligata, vix magni luctaminis manu solvitur. Providendum ergo nobis est : quia intueri non debet quod non licet concupisci. Ut enim munda mens in cogitatione servetur, a lascivia voluptatis suæ deprimendi sunt oculi, quasi quidam raptores ad culpam. (*Gregorius.*)

II. — Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te : expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Et si dextera manus tua scandalizat te, abscide eam, et projice abs te : expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. (*Matth. V. 29, 30. — et infra XVIII. 8, 9. — Marc. IX. 42, 43, 44, 45, 46, 47.*)

Quia non solum peccata vitanda sunt, sed et occasiones peccatorum tollendæ, postquam docuit vitare mæchiæ peccatum, non solum in opere, sed etiam in corde, consequenter docet occasiones peccatorum abscindere. (*Glossa.*)

Per oculum autem intelligimus dilectissimum amicum. Oportet autem intelligi per oculum amicum consiliarium, quia oculus iter demonstrat. Quod autem additum est *dexter*, fortasse ad augendam vim dilectionis valet : dextrum enim oculum homines magis formidant amittere. Vel quia dexter est, intelligitur consiliarius in rebus divinis, sinister autem oculus est consiliarius in rebus terrenis ; ut sic ille sit sensus : quicquid illud est quod ita diligis ut pro dextro oculo habeas, si scandalizat te, idest si impedimento est tibi ad veram beatitudinem, *ejice eum, et projice abs te*. De sinistro autem scandalizante superfluum erat dicere, quandoquidem nec dextero parcendum est. Dextera autem manus accipitur dilectus adjutor in divinis operibus : sinistra autem in operibus quæ huic vitæ et corpori sunt necessaria. (*Augustinus.*)



III. — Dictum est : Quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii.

Ego autem dico vobis : Quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mæchari : et qui dimissam duxerit, adulterat. (*Matth. V. 31, 32. — Luc. XVI. 18.*)

Qui dimittendi moram quæsivit, significavit quantum potuit duris hominibus, se nolle discidium. Dominus ergo ad illud confirmandum, ut non facile uxor dimittatur, solam causam fornicationis excepit ; ceteras vero universas molestias, si quæ forte exstiterint, jubet pro fide conjugali fortiter sustineri. (*Augusti.*)

## MEDITATIO CCXI.

### DIDAGMA DECIMUM SEPTIMUM.

**Non esse jurandum omnino.**

I. — Iterum audistis quia dictum est antiquis : non perjurabis : reddes autem Domino juramenta tua. (*Matth. V. 33.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Hoc quasi parvulis fuerat lege concessum, ut quomodo victimas immolabant Deo, ne eas idolis immolarent, sic et jurare permitterentur in Deum : non quod recte hoc facerent, sed quod melius esset Deo hoc exhibere quam dæmoniis. (*Hieronymus.*)

II. — Ego autem dico vobis non jurare omnino, neque per cœlum, quia thronus Dei est : neque per terram, quia scabellum est pedum ejus : neque per Jerosolymam, quia civitas est magni regis.

Neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere aut nigrum. (*Matth. V. 34, 35, 36.*)

Nemo enim frequenter jurat qui non aliquando perjuret ; sicut qui fecit consuetudinem multa loqui, aliquando loquitur importuna. (*Chrysostomus.*)

Considera quod hic Salvator non per Deum jurare prohibuit, sed per cœlum, per terram, et per Hierosolymam, et per caput tuum : hanc enim per elementa jurandi pessimam consuetudinem semper habuere Judæi. Qui autem jurat, aut veneratur aut diligit eum per quem jurat : Judæi autem per Angelos et urbem Hierusalem, et templum et elementa jurantes. creaturas venerabantur Dei honore, cum in lege præceptum sit ut non juremus nisi per Dominum Deum nostrum. (*Hiero.*)



Attendite quod elementa mundi extollit, non ex propria natura, sed ex habitudine quam habent ad Deum, ne idololatriæ daretur occasio. (*Chrysostomus.*)

Ergo Deo debet jusjurandum quisquis etiam per caput suum jurare voluerit. (*Augustinus.*)

III. — Sit autem sermo vester, est, est : non, non : quod autem his abundantius est, a malo est. (*Matth. V. 37.*)

Evangelica igitur veritas non recipit juramentum, cum omnis sermo fideli pro jurejurando sit. (*Hieronymus.*)

Si jurare cogeris, scias de necessitate venire infirmitatis eorum quibus aliquid suades, quæ utique infirmitas malum est. Itaque non dixit, quod amplius est malum est : tu enim non malum facis qui bene uteris juratione, ut alteri persuadeas quod utiliter persuades ; sed a malo est illius cujus infirmitate jurare cogeris. (*Augustinus.*)

## MEDITATIO CCXII.

### DIDAGMA DECIMUM OCTAVUM.

### De pace quærenda.

I. — Audistis quia dictum est : Oculum pro oculo, et dentem pro dente.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ego autem dico vobis, non resistere malo : sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram. (*Matth. V. 38, 39.*)

Quia superius docuerat Dominus non esse proximo injuriam inferendam, nec irreverentiam Domino, consequenter hic docet qualiter se Christianus habere debeat ad injuriam sibi inferentes. (*Glossa.*)

Si secundum legis mandatum, omnibus reddere mala pro malis cœperimus, omnes efficiemur mali, eo quod persequentes abundant. Si autem secundum Christi præceptum, non resistitur malo, et si mali non leniuntur, tamen boni permanebunt boni. (*Chrysostomus.*)

Docet ergo Dominus medicus animarum, ut discipuli sui, eorum quorum saluti consulere vellent, imbecillitates æquo animo tolerarent. Omnis namque improbitas ex imbecillitate animi venit : quia nihil innocentius est eo qui in virtute perfectus est. (*Augustinus.*)

II. — Et ei, qui vult tecum judicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium. (*Matth. V. 40.*)

Ab eo, qui aufert tibi vestimentum, (pallium quod supra tunicam induitur) etiam tunicam noli prohibere. (*Luc. VI. 29.*)



Et quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo et alia duo (nimirum millia passuum, seu alterum milliare.) (*Matth. V. 41.*)

Sicut quod positum est de percussa maxilla, omnia significat quæ sic ingeruntur ab improbis ut restitui non possint nisi vindicta; ita quod de vestimento dictum est, omnia significat quæ possunt restitui sine vindicta; et hoc etiam ad præparationem cordis, non ad ostensionem operis præceptum recte intelligitur. Et quod de tunica et vestimento dictum est, in omnibus faciendum est quæ aliquo jure temporaliter nostra esse dicimus. Si enim de necessariis hoc imperatum est : quanto magis superflua contemnere convenit? (*Augustinus.*)

Sed dicet aliquis : Quomodo potest hoc fieri? Cum videris Deum factum hominem tot passum pro te, adhuc quæris et dubitas quomodo possibile sit nequitiis ignoscere conservorum? Quis tale passus est quale Dominus tuus dum ligaretur, flagellaretur, sputa perferens, mortem patiens? (*Chrysostomus.*)

III. — Qui petit a te, da ei : et volenti mutuari a te, ne avertaris. (*Matth. V. 42.*)

Omni petenti a te, tribue : et qui aufert quæ tua sunt, ne repetas.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Et prout vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis similiter. (*Luc. VI. 30, 31.*)

Non ait : Quæcumque non vultis ut faciant, nec vos faciatis : cum enim duæ sint viæ quæ ducunt ad virtutem, scilicet abstinentia mali, et operatio boni : hanc ponit, per istam et illam significans. Et si quidem dixisset, ut sitis homines, diligite bestias, esset mandatum difficile : si vero homines diligere jussit, ad quod naturalis monitio est, quam difficultatem res continet; quam leones, et lupi servant, in quibus naturalis cognatio amicitiam cogit? Ostenditur igitur quod Christus nihil statuit nostram transcendens naturam : sed quod dudum inseruit conscientiæ nostræ, docet : ut propria voluntas pro lege sit tibi : ut si vis bene tibi, bene facias alii; si vis ut alius tui misereatur, proximi miserearis. (*Chrysostomus.*)

## MEDITATIO CCXIII.

### DIDAGMA DECIMUM NONUM.

### De diligendis inimicis.

I. — Audistis quia dictum est : Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum.



Ego autem dico vobis : Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos. (*Matth. V. 43, 44.*)

Benedicite maledicentibus vobis. (*Luc. VI. 28.*) Et orate pro persequentibus et calumniantibus vos. (*Matth. V. 44.*)

Docuit Dominus supra, injuriam inferenti non esse resistendum, sed ad plura perferenda paratum esse : nunc autem ulterius docet injuriam inferentibus impendendum esse caritatis affectum. Et cum præmissa ad complementum justitiæ legis pertineant, convenienter hoc ultimum rite pertinet ad impletionem caritatis, quæ, secundum Apostolum, est legis plenitudo. (*Glossa.*)

II. — Vos sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos, et malos, et pluit super justos et injustos.

Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne et publicani hoc faciunt? (*Matth. V. 45, 46.*)

Si diligitis eos qui vos diligunt, quæ vobis est gratia? nam et peccatores diligentes se diligunt. (*Luc. VI. 32.*)

Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? nonne et ethnici hoc faciunt?

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Estote ergo vos perfecti, sicut et pater vester cœlestis perfectus est. (*Matth. V. 43.*)

Vide autem quot gradus ascendit, et qualiter nos in ipsum virtutis verticem statuit. Primus gradus est non incipere injustitiam; secundus æqualibus non vindicare; tertius non facere vexanti quæ quis passus est : quartus exponere seipsum ad patiendum mala : quintus amplius tribuere quam ille vult qui fecit mala; sextus non odio habere eum qui hoc operatur; septimus diligere; octavus benefacere : nonus pro ipso orare. Et quia magnum erat præceptum, præclarum præmium subdit, scilicet fieri similes Deo. (*Chrysostomus.*)

III. — Si benefeceritis his, qui vobis benefaciunt : quæ vobis est gratia? Nam et peccatores diligentes se diligunt.

Et si benefeceritis his, qui vobis benefaciunt : quæ vobis est gratia? siquidem et peccatores hoc faciunt.

Et si mutuum dederitis his, a quibus speratis recipere : quæ gratia est vobis? nam et peccatores peccatoribus fenerantur, ut recipiant æqualia.

Verumtamen diligite inimicos vestros : benefacite et mutuum date, nihil inde sperantes : et erit merces vestra multa, et



eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos et malos.

Estote ergo misericordes sicut et pater vester misericors est. (*Luc. VI. 33, 34, 35, 36.*)

Attende mutui naturam mirabilem : alius recipit, et alius obligat se pro debitis centuplum in præsenti reddens, in futuro vero vitam æternam. (*Chrysostomus.*)

Magnum est ergo præconium pietatis : reddit enim hæc virtus nos Deo conformes, et quasi quædam signa sublimis naturæ nostris imprimit animabus : unde sequitur : *Estote ergo misericordes sicut et pater vester misericors est.* (*Cyrillus.*)

Ut scilicet adspicientes beneficia ejus, bona quæ facimus, non hominum, sed ejus intuitu faciamus; quatenus a Deo, non ab hominibus præmia consequamur. (*Athanasius.*)

## MEDITATIO CCXIV.

### DIDAGMA VIGESIMUM.

De modo distribuendi eleemosynas.

I. — Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis : alioquin mercedem non habebitis

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

apud patrem vestrum, qui in cœlis est. (*Matth. VI. 1.*)

Cor nostrum attendere debemus; invisibilis enim est serpens quem observare jubemur et latenter ingreditur et seducit. (*Chrysostomus.*)

Quid autem a Deo recipies qui Deo nihil dedisti? Nam quod propter Deum fit Deo datur, et ab eo recipitur; quod autem propter homines fit, in ventos effunditur. Quæ est autem sapientia res dare, et verba vacua comparare, et mercedem Dei contemnere? (*Chrysostomus.*)

II. — Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis, et in vicis, ut honorificentur ab hominibus : Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. (*Matth. VI. 2.*)

Generaliter supra Dominus justitiam nominavit : nunc autem per partes exsequitur. (*Augustinus.*)

Ponit autem tria fortia bona, scilicet eleemosynam, orationem et jejunium, contra tria mala adversus quæ Dominus tentationis bellum suscepit : pugnavit enim pro nobis contra gulam in eremo : contra avaritiam supra montem, contra vanam gloriam supra templum. (*Chrysostomus.*)



Sciendum est quod sunt nonnulli, qui et sanctitatis habitum tenent et perfectionis meritum exsequi non valent: quos nequaquam credendum est inter hypocritarum numerum currere : quia aliud est infirmitate, aliud callida simulatione peccare. (*Gregorius.*)

III. — Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua :

Ut sit eleemosyna tua in abscondito, et Pater tuus, qui videt in abscondito reddet tibi. (*Matth. VI. 3, 4.*)

Cum conscientiæ facienti eleemosynam miscet se appetitio laudis humanæ, fit sinistra conscientia dexteræ. *Nesciat* ergo *sinistra;* idest, non se misceat conscientiæ tuæ, laudis humanæ appetitio. Quo autem fine hoc dixerit, ostendit cum subdit : *Ut sit eleemosyna vestra in abscondito,* idest in ipsa bona conscientia, quæ humanis oculis demonstrari non potest, nec verbis aperiri, quandoquidem multi multa mentiuntur. Sufficit autem tibi, ad promerendum præmium, ipsa conscientia, si ab eo exspectas præmium qui solus conscientiæ inspector est. (*Augustinus.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## MEDITATIO CCXV.

### DIDAGMA VIGESIMUM PRIMUM.

De modo recte orandi.

I. — Cum oratis, non eritis sicut hypocritæ qui amant in synagogis, et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus : amen dico vobis receperunt mercedem suam. (*Matth. VI. 5.*)

Non autem hoc monet nunc ut oremus, sed quomodo oremus ; sic nec superius ut faciamus eleemosynam, sed quo animo faciamus. (*Augustinus.*)

Est autem oratio quasi quoddam spiritale tributum, quod anima offert Deo de visceribus suis. Quanto ergo gloriosior est tanto cautius est servanda, ne propter homines facta vilescat. (*Chrysostomus.*)

II. — Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito et Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. (*Matth. VI. 6.*)

Per cubicula nostra sunt intelligenda corda nostra. Ostium est carnalis sensus : foris sunt omnia temporalia, quæ per sensum cogitationes nostras penetrant, et turba vanorum phantasmatum orantibus obstrepunt. Claudendum est ergo ostium, idest carnali sensus resistendum, ut oratio spiritualis dirigatur ad Patrem, quæ fit in intimis cordis ubi oratur Pater in abscondito. (*Augustinus.*)



III. — Orantes autem, nolite multum loqui, sicut ethnici : putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur.

Nolite ergo assimilari eis : scit enim Pater vester, quid opus sit vobis antequam petatis eum. (*Matth. VI. 7, 8.*)

Non ut quidam putant, hoc est orare in multiloquio, si diutius oretur. Aliud est sermo multus, aliud diuturnus affectus. Nam et de ipso Domino scriptum est, quod pernoctaverit in orando, et prolixius oraverit ut nobis præberet exemplum. Absit ab oratione multa locutio; sed non desit multa precatio si fervens perseverat intentio : nam multum loqui est in orando rem necessariam superfluis agere verbis. Multum autem precari, est eum quem precamur diuturna cordis excitatione pulsare : nam plerumque hoc negotium plus gemitibus quam sermonibus agitur, plus fletu quam affatu. (*Augustinus.*)

## MEDITATIO CCXVI.

### DIDAGMA VIGESIMUM SECUNDUM.

Formula precandi præscribitur.

I. — Sic ergo vos orabitis : Pater noster, qui es in cœlis : sanctificetur nomen tuum.

Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, et in terra. (*Matth. VI. 9, 10.*)

Inter salutaria monita et divina, quibus consuluit credentibus formam orandi proposuit, et orationes composuit brevibus verbis, ut sit fiducia cito annuendi, quod breviter vult rogari. (*Glossa.*)

Multa quidem dicta sunt in laudem Dei; nusquam tamen invenitur præceptum populo Israel ut dicerent, *Pater noster*, sed eis insinuatur ut Dominus tamquam servis. (*Augustinus.*)

Non autem dicimus, Pater meus, sed *Pater noster*, quia pacis et unitatis magister noluit sigillatim et privatim precem fieri, ut qui eum precatur, pro se tantum precetur. Sic enim unum orare pro omnibus voluit, quomodo in uno omnes ipse portavit. (*Cyprianus.*)

Addit autem *qui es in cœlis*, ut erubescant



se terrenis rebus substernere qui patrem habent in cœlis. (*Chrysostomus.*)

Primum autem omnium quæ petuntur hoc est, *sanctificetur nomen tuum :* quod non sic petitur quasi non sit sanctum Dei nomen, sed ut sanctum habeatur ab hominibus; id est, ita innotescat Deus ut non æstimetur aliquid sanctius. (*Augustinus.*)

*Adveniat regnum tuum.* Congrue sequitur, ut post adoptionem filiorum, regnum petamus quod filiis debetur. (*Glossa.*)

Vide autem consequentiam optimam, quia enim concupiscere docuit cœlestia; antequam ad cœlum perveniatur, ipsam terram jussit fieri cœlum. (*Chrysostomus.*)

II. — Panem nostrum supersubstantialem quotidianum (*Luc. XI. 3.*) da nobis hodie.

Et dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.

Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos a malo. Amen. (*Matth. VI. 11, 12, 13.*)

Panis vitæ Christus est : et panis hic omnium non est, sed noster est.

Petimus ergo ut qui in Christo manemus a sanctificatione ejus et corpore non recedamus. (*Cyprianus.*)

Post subsidium cibi petitur et venia delicti; ut qui a Deo pascitur, in Deo vivat; nec

tantum præsenti vitæ, sed æternæ consulatur, ad quam venire potest, si peccata donentur; et ne quis sibi quasi innocens placeat et se extollendo plus pereat, instruitur se peccare quotidie dum pro peccatis quotidie jubetur orare. (*Cyprianus.*)

Quia multa magnifica supra mandavit hominibus, ut Deum patrem suum dicant, ut regnum Dei petant venire : ideo nunc additur humilitatis doctrina cum dicitur : *et ne nos inducas in tentationem.*

Orandum est, non solum ut non inducamur in malum quo caremus, sed ab illo etiam liberemur in quod jam inducti sumus. (*Augustinus.*)

Vel malum hic diabolum vocat, propter excellentiam malitiæ, non quæ ex natura est, sed quæ ex electione. Et quia ad nos implacabile bellum habet. (*Chrysostomus.*)

III. — Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum : dimittet et vobis Pater vester cœlestis delicta vestra.

Si autem non dimiseritis hominibus : nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra. (*Matth. VI. 14, 15.*)

Non est prætereundum, quod ex omnibus his sententiis, quibus nos Dominus orare præcepit, eam potissimum commendandam esse judicavit quæ pertinet ad remissionem peccatorum, in qua nos misericordes esse



voluit : quod est unum consilium miserias evadendi. (*Augustinus.*)

Excusatio tibi nulla est in die judicii, cum secundum tuam sententiam judiceris, et quod feceris hoc patiaris. (*Cyprianus.*)

IV. — Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in cœlis est.

Ubi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. (*Matth. XVIII. 19, 20.*)

Ista est causa propter quam non exaudimur orantes, quia non consentimus nobis per omnia super terram, neque dogmate, neque conversatione. Sicut enim in musicis, nisi fuerit convenientia vocum, non delectat audientem : sic in Ecclesia, nisi consensum habuerit, non delectatur Deus in ea, nec audit voces eorum. (*Origenes.*)

## MEDITATIO CCXVII.

### DIDAGMA VIGESIMUM TERTIUM.

De modo bene jejunandi.

I. — Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes : exterminant enim facies

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

suas, ut appareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam. (*Matth. VI. 16.*)

Sciebat Dominus gloriam vanam ex omni bono procedere; ideo spinam vanæ gloriæ, quæ nascitur in terra bona jubet præcidere, ne suffocet jejunii fructum. Non autem potest fieri ut non sentiatur qui jejunat; sed melius est ut jejunium te ostendat, quam tu jejunium. (*Chrysostomus.*)

II. — Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava. (*Matth. VI. 17.*)

Simplex interpretatio hujus est, quoniam per aggregationem intelligenda sunt ista, sicut cetera ante dicta; tamquam si dicat : Sic longe te facere debes ab ostentatione jejunii tui, ut si posset fieri (quod tamen non decet) ea etiam facias quæ ex diverso, luxuriæ et epulationis videntur esse indicia. (*Chrysostomus.*)

III. — Ne videaris hominibus jejunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito : et Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. (*Matth. VI. 18.*)

Sicut nos contumeliam æstimamus, cum non propter nos, sed propter alios diligimur; ita nec virtutem oportet propter alios sequi, nec Deo propter homines obedire, sed propter seipsum. (*Chrysostomus.*)



Ideo, *videaris Patri tuo qui est in abscondito.* Idest Patri tuo cœlesti qui est invisibilis, vel qui habitat in corde per fidem. Deo autem jejunat qui pro ejus amore se macerat, et quod sibi subtrahit, alteri largitur. (*Glossa.*)

## MEDITATIO CCXVIII.

### DIDAGMA VIGESIMUMQUARTUM.

Congregandos thesauros in cœlo.

I. — Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra : ubi ærugo, et tinea demolitur : et ubi fures effodiunt, et furantur. (*Matth. VI. 19.*)

Quia supra Dominus nihil de eleemosyna, vel oratione, vel jejunio docuerat, sed simulationem eorum compescuit tantum : nunc secundum tria prædicta, tres consequentias introducit doctrinæ : quarum prima pertinet ad eleemosynam.

Primo dat consilium ut eleemosyna fiat. Omnia enim bona mundi triplex tollit interitus. Aut enim a semetipsis veterascunt et tineant sicut vestimenta : aut ab ipsis dominis luxuriose viventibus comeduntur; aut ab

extraneis vel dolo, vel vi, vel calumniis, vel alio iniquo modo diripiuntur. (*Chrysostomus.*)

II. — Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo : ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur. (*Matth. VI. 20.*)

Quid ergo melius est, an in terra reponere, ubi incertus est conservationis eventus : an in cœlo, ubi est certa custodia? Quæ autem stultitia est relinquere unde exiturus es, et illuc non præmittere quo iturus es! Illic ergo substantiam tuam colloca ubi patriam habes. (*Chrysostomus.*)

III. — Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum. (*Matt. VI. 21.*)

Quia tamen non omnis terrenus thesaurus ærugine aut tinea destruitur, aut per fures aufertur, aliud inducit; ac si dicat : Etsi nihil priorum veniat, non parvam sustinebis jacturam inferioribus affixus, et eorum servus factus, et a cœlestibus cadens, et nihil excelsorum cogitare potens. (*Chrysostomus.*)



## MEDITATIO CCXIX.

### DIDAGMA VIGESIMUM QUINTUM.

De oculo simplici et nequam.

(hoc est de Intentione. *August.*)

I. — Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex : totum corpus tuum lucidum erit.

Si autem oculus tuus fuerit nequam : totum corpus tuum tenebrosum erit. (*Matth. VI. 22, 23. — Luc. XI. 34.*)

Oculum hic accipere debemus intentionem nostram : quæ si munda fuerit et recta, omnia opera nostra, quæ secundum eam operamur, bona sunt. Non ergo quid quisque faciat, sed quo animo faciat considerandum est. (*Augustinus.*)

Sed ea quæ constat esse peccata, nulla velut bona intentione facienda sunt : ea quippe opera hominum, si causas habuerint bonas vel malas nunc sunt bona aut mala quæ non sunt per seipsa peccata : sicut victum præbere pauperibus bonum est, si fiat misericordiæ causa; malum autem, si fiat causa jactantiæ. Cum vero opera ipsa peccata sunt, ut furta, stupra et hujusmodi : quis dicat causis bonis esse facienda, vel peccata non esse? Quis dicat : Furemur di-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

vitibus, ut habeamus quid demus pauperibus? (*Augustinus.*)

II. — Si ergo lumen, quod in te est, tenebræ sunt : ipsæ tenebræ quantæ erunt? (*Matth. VI. 23.*)

Vide ergo ne lumen, quod in te est, tenebræ sint. (*Luc. XI. 35.*)

Si hoc quod nos bene agere cœpimus, ex mala intentione offuscamus : ipsa quæ mala esse non ignoramus, etiam cum facimus, *quantæ tenebræ sunt!* (*Gregorius.*)

Si ergo intellectum corruperimus, qui potest solvere passiones : totam læsimus animam, patimurque diram caliginem, perversione excæcati intellectus. (*Chrysostomus.*)

III. — Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, et sicut lucerna fulgoris illuminabit te. (*Luc. XI. 36.*)

Si bonum bona intentione patraveris, non habens in tua conscientia aliquam partem tenebrosæ cogitationis : etsi contigerit aliquem proximorum tua bona actione noceri, tu tamen, pro tuo simplici corde, et hic gratia, et in futuro lucis gloria donaberis. (*Beda.*)



## MEDITATIO CCXX.

### DIDAGMA VIGESIMUM SEXTUM.

**Improbam terrenarum sollicitudinem ponendam.**

I. — Nemo potest duobus dominis servire : aut enim unum odio habebit, et alterum diliget : aut unum sustinebit, et alterum contemnet. Non potestis Deo servire, et mammonæ. (*Matth. VI. 24.*)

In anterioribus, avaritiæ compressit tyrannidem per multa et magna : sed adhuc alia apponit ampliora. Non enim in hoc solum nobis nocent divitiæ quod latrones adversus nos armant, et quod intellectum obtenebrant : sed etiam a servitute Dei nos expellunt. Et hoc probat a communibus conceptionibus.

Duos autem dicit (dominos) qui contraria injungunt : concordia enim multos unum facit. (*Chrysostomus.*)

Res autem terrena, vel Deus, si in corde dominetur, ad contraria ex utroque trahitur homo : nam Deus trahit ad superiora sibi servientem, res vero terrena ad inferiora : et ideo quasi concludens subdit : non potestis Deo servire et mammonæ. (*Glossa.*)

II. — Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque

corpori vestro quid induamini. Nonne anima plus est quam esca : et corpus plus quam vestimentum?

Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea : et Pater vester cœlestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? (*Matth. VI. 25, 26.*)

Non hoc dicit, quod anima cibo indigeat, incorporea est enim : sed secundum communem locutus est consuetudinem : aliter enim non potest morari in corpore, nisi eo cibato. (*Chrysostomus.*)

Præcipitur nobis ne solliciti simus quid comedamus; quia in sudore vultus præparamus nobis panem, ergo labor exercendus est, sollicitudo tollenda. (*Hieronymus.*)

Qui majora præstitit, utique et minora præstabit. (*Hieronymus.*)

Nisi enim voluisset conservari quod erat, non creasset : quod autem sic creavit ut per escam servetur, necesse est ut det ei escam quamdiu vult esse quod fecit. (*Chrysostomus.*)

Postquam confirmavit, spem nostram de majore ad minus descendens, deinde confirmat de minori ad majus ascendens cum dicit: *Respicite volatilia*, etc. (*Chrysostomus.*)

III. — Quis autem vestrum cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum?



Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri quomodo crescunt : non laborant, neque nent.

Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis. (*Matth. VI. 27, 28, 29.*)

Non solum autem exemplo avium, sed experimento docet, quod ad hoc quod sumus et vivimus, nostra cura non sufficit, sed divina providentia operatur. (*Glossa.*)

Deus enim est qui per singulos dies incrementa corporis tui facit, te non intelligente. Si ergo in teipso quotidie Dei providentia operatur, quomodo in necessariis tuis cessabit? Si autem vos cogitando modicam partem corpori vestro addere non potestis, quomodo cogitando salvandi estis in toto? (*Chrysostomus.*)

Postquam monstravit quod non oportet nos pro cibo esse sollicitos, ad id quod levius est pertransit, neque enim ita necessarium est indumentum sicut cibus.

Non autem hic utitur exemplo volucrum, ut induceret pavonem et cygnum a quibus erat similia exempla accipere; sed utitur exemplo liliorum. Vult enim ex duobus monstrare superabundantiam : scilicet a munificentia pulchritudinis, et a vilitate participantium tali decore. (*Chrysostomus.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

IV. — Si autem fœnum agri quod hodie est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit : quanto magis vos modicæ fidei? (*Matth. VI. 30.*)

Si autem floribus terrenis sic occurrit Deus, qui nati sunt ut tantummodo videantur et pereant : homines negliget, quos sic creavit ut non pro tempore videantur, sed ut perpetuo sint? (*Chrysostomus.*)

## MEDITATIO CCXXI.

### DIDAGMA VIGESIMUM OCTAVUM.

Quærendum primum regnum Dei : cetera adjectum iri.

I. — Nolite ergo solliciti esse, dicentes : Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?

Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. (*Matth. VI. 31, 32.*)

Postquam sigillatim de victu et vestitu sollicitudinem excluserat argumento ab inferioribus sumpto, hic consequenter utrumque excludit. (*Glossa.*)

Ideo autem hoc Dominus repetivit, ut ostenderet hanc rem esse pernecessariam, et ut arctius eam in cordibus nostris inculcaret. (*Remigius.*)



Quia in rebus humanis fortunam (gentes) credunt esse, non providentiam : neque judicio Dei vitas suas gubernari existimant, sed incerto duci eventu, ideo merito timent et desperant, quasi qui neminem habent gubernantem. Qui autem credit se Dei judicio gubernari, escam quidem suam in manu Dei committit. (*Chrysostomus.*)

II. — Quærite ergo primum regnum Dei, et justitiam ejus : et hæc omnia adjicientur vobis. (*Matth. VI. 33.*)

Scilicet temporalia : quæ manifeste hic ostendit non esse talia bona nostra propter quæ bene facere debeamus : sed tamen necessaria esse. Regnum vero Dei et justitia ejus bonum nostrum est ubi finis constituendus est. Sed quia in hac vita militamus, ut ad illud regnum pervenire possimus, quæ vita sine his necessariis agi non potest : apponentur, inquit, *hæc* vobis. (*Augustinus.*)

III. — Nolite ergo solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi : sufficit diei malitia sua. (*Matth. VI. 34.*)

Prohibuerat sollicitudinem præsentium rerum : modo prohibet sollicitudinem futu-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

rorum vanam, ex vitio hominum provenientem. (*Glossa Anselmi.*)

Numquid enim dies non sufficiens habet onus, idest curam suam? quid igitur eam aggravas magis, curam quæ pertinet ad aliam diem apponendo? (*Chrysostomus.*)

## MEDITATIO CCXXII.

### DIDAGMA VIGESIMUM OCTAVUM.

**Non temere judicandum.**

I. — Nolite judicare, ut non judicemini. (*Matth. VII. 1.*)

Nolite judicare, et non judicabimini : nolite condemnare, et non condemnabimini. (*Luc. VI. 37.*)

Hucusque exposuit consequentiam ad eleemosynam pertinentem : nunc autem incipit exponere consequentiam ad orationem respicientem. Et est doctrina hæc quodammodo pars orationis, ut sit ordo narrationis talis : *Dimitte nobis debita nostra*, et sequitur *nolite judicare, ut non judicemini.*

Nec facile reperies quemquam, neque patremfamilias, neque claustralem expertem hujus erroris. Sunt autem et hæ diabolicæ tentationis insidiæ; nam qui severe discutit aliena, nunquam propriorum reatuum merebitur veniam : sicut enim pius et mitis reprimit peccatorum tumorem; sic severus et dirus adjicit criminibus propriis. (*Chrysostomus.*)



II. — In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini : et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. (*Matth. VII. 2.*)

Dicunt autem aliqui : Quomodo verum est quod ait Christus, si temporale peccatum supplicio puniatur æterno? Nec attendunt non propter æquale temporis spatium, sed propter vicissitudinem mali (idest ut qui mala fecerit, mala patiatur) eamdem dictam mensuram fuisse : quamvis in ea re hoc proprie possit accipi de qua Dominus cum hoc diceret loquebatur, idest de judiciis et condemnationibus. Proinde qui judicat et condemnat injuste, si judicatur et condemnatur juste, in eadem mensura recipit, quamvis non hoc quod dedit : judicio enim fecit quod iniquum est, judicio patitur quod justum est. (*Augustinus.*)

III. — Dimittite, et dimitte mini. Date et dabitur vobis : mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et superefluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis. (*Luc. VI. 37, 38.*)

Brevi sententia, cuncta quæ de conversando cum inimicis mandaverat comprehendendo, concludit dicens : *Dimittite*, etc. Ubi dimittere nos injurias et dare beneficia jubet, ut et nobis peccata dimittantur, et vita detur æterna.

Quod autem ampliori manu recompensationem accipiemus a Deo ; qui largiflue donat diligentibus eum, ostendit subdens : *mensuram bonam, etc.* (*Beda.*)

## MEDITATIO CCXXIII.

### DIDAGMA VIGESIMUM NONUM.

**De festuca et trabe in oculis. Hoc est : de eo qui alterius parva peccata videt, sua magna non videt.**

I. — Dicebat Jesus similitudinem : Numquid potest cæcus cæcum ducere? Nonne ambo in foveam cadunt?

Non est discipulus super magistrum ; perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister ejus. (*Luc. VI. 39, 40.*)

Si tu alium judicas, et ipse in eisdem peccas ; nonne assimilaris cæco cæcum ducenti? Quomodo enim ille a te ducetur ad bonum, cum et tu pecces? *Non est enim discipulus super magistrum.* Si igitur tu peccas qui te magistrum et ductorem putas : ubi erit qui a te disciplinatur et ducitur? Perfectus enim erit discipulus, si sit sicut magister ejus. (*Theophylactus.*)



II. — Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras?

Aut quomodo potes dicere fratri tuo : Frater sine ejiciam festucam de oculo tuo : ipse in oculo tuo trabem non videns. (*Luc. VI. 41, 42.*)

Ecce trabs est in oculo tuo. (*Matth. VI. 4.*)

Inducit autem Dominus et aliam parabolam de eodem. (*Theophylactus.*)

Quasi dicat : Qui gravibus obnoxius est peccatis, quæ trabem vocat : qualiter damnat eum qui pauca, vel quandoque nil mali commisit? hoc enim festuca significat. (*Cyrillus.*)

Convenit autem hoc omnibus et maxime doctoribus, qui subditorum cum minima peccata puniant, propria impunita relinquunt. Propter hoc eos Dominus hypocritas vocat qui ex hoc aliorum peccata judicant ut justi videantur. (*Theophylactus.*)

III. — Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere fe-

stucam de oculo fratris tui. (*Matthæus VI. 5.*)

Tunc perspicies ut educas festucam de oculo fratris tui. (*Luc. VI. 42.*)

Etenim quæ sui ipsius sunt, magis aliquis novit quam quæ sunt aliorum : et quæ majora sunt magis videt quam quæ minora : et seipsum magis diligit quam proximum. Et ideo jubet eum qui obnoxius est multis peccatis, non amarum esse judicem delictorum alterius, et maxime cum fuerint parva : non quidem ab arguendo aut a corrigendo avertans; sed prohibet propria contemnere et aliis insistere. Oportet enim ut primo cum diligentia investiges quæ tua sunt, et tunc quæ proximi sunt discuties. (*Chrysostomus.*)

## MEDITATIO CCXXIV.

### DIDAGMA TRIGESIMUM.

De fugiendis pseudoprophetis.

1. — Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces : A fructibus eorum cognoscetis eos.

Numquid colligunt de spinis uvas, au de tribulis ficus? (*Matth. VII. 15, 16.*)



Unaquæque enim arbor de fructu suo cognoscitur. Neque enim de spinis colligunt ficus : neque de rubo vendemiant uvam. (*Luc. VI. 44.*)

Supra mandaverat apostolis Dominus, ne eleemosynas, orationes et jejunia coram hominibus, sicut hypocritæ facerent, et ideo ad cognoscendum quia hæc omnia in hypocrisi fieri possunt, loquitur dicens : *Attendite a falsis prophetis.* (*Chrysostomus.*)

Oves Christiani dicuntur ; vestimentum autem ovile est species christianitatis et simulatæ religionis. Nulla autem res sic exterminat bonum sicut simulatio : nam malum sub specie boni celatum, dum non cognoscitur non cavetur. (*Chrysostomus.*)

Etsi potest de omnibus intelligi quod hic de falsis prophetis dicitur, qui aliud habitu ac sermone promittunt, aliud opere demonstrant : specialiter de hæreticis intelligendum videtur, qui videntur continentia ac jejunio quasi quadam pietatis veste se circumdare; intrinsecus autem habentes animum venenatum, simplicium fratrum corda decipiunt. (*Hieronymus.*)

Quamvis autem fructus causetur ex arbore, facit tamen notitiam arboris, eo quod arboris distinctio per fructum apparet : unde sequitur : *Unaquæque enim arbor*, etc. (*Chrysostomus.*)

Sed et vita, morum uniuscujusque erit significativa : neque enim extrinsecis ornamentis et fictis humilitatibus, veræ felicitatis apprehenditur decor, sed et ex his quæ aliquis operatur. (*Cyrillus.*)

II. — Sic omnis arbor bona fructus bonos facit : mala autem arbor malos fructus facit. (*Matth. VII. 7.*)

Non est enim arbor bona, quæ facit fructus malos : neque arbor mala faciens fructum bonum. (*Luc. VI. 43.*)

Si veram et non fictam vis habere justitiam, quæ verbis ostentas etiam facto compensa : quia etsi se bonum fingat hypocrita, non est bonus qui facit opera mala ; et si reprehendat insontem, non ideo malus est qui facit opera bona. (*Beda.*)

III. — Non potest arbor bona malos fructus facere : neque arbor mala bonos fructus facere. (*Matth. VII. 18.*)

Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum : et malus homo de malo thesauro profert malum. Ex abundantia enim cordis os loquitur. (*Luc. VI. 45.*)

Arbor quippe est ipsa anima, idest ipse homo : fructus vero opera hominis. Non ergo potest malus homo bona operari, neque bonus mala. Ergo si vult malus bona operari, prius bonus fiat. (*Augustinus.*)



Postquam autem ostendit quod ex operibus potest discerni homo bonus et malus, sicut ex fructibus arbor, idem ostendit per aliud signum dicens : *Bonus homo, etc.* (*Cyrillus.*)

Idem est thesaurus cordis quod radix est arboris. Qui ergo in corde thesaurum patientiæ perfectique habet amoris, optimos fructus effundens diligit inimicum, et cetera facit quæ supra edocuit ; et qui thesaurum nequam corde servat, contraria faciet. (*Beda.*)

IV.—Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur.

Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos. (*Matth. VI. 19, 20.*)

Si quis diligenter investigabit, duæ pœnæ sunt, et excidi et comburi ; qui enim comburitur, et a regno exciditur omnino : quæ pœna difficilior est. Multi autem gehennam solum abhorrent : ego autem casum illius gloriæ multo amariorem pœnam gehenna esse dico. Quod enim parvum vel magnum malum non susciperet pater, ut videat et potiatur dulcissimo filio? Hoc itaque in gloria illa putemus : non enim aliquis filius ita suavis est patri ut illorum bonorum requies, et dissolvi et esse cum Christo. (*Hieronymus.*)

Ex præmissa autem similitudine concludit quod supra jam dixerat, quasi manifestum dicens : *Igitur*, etc. (*Glossa.*)

## MEDITATIO CCXXV.

### DIDAGMA TRIGESIMUM PRIMUM.

**Neque solam fidem; neque gratias gratis datas salvare.**

I. — Quid vocatis me Domine, Domine : et non facitis quæ dico? (*Luc. VI. 46.*)

Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum : sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. (*Matth. VII. 21.*)

Quid folia rectæ confessionis vos germinare jactatis, qui nullos operis boni fructus ostenditis? (*Beda.*)

Sicut supra dixerat, eos qui habent vestem bonæ vitæ, non recipiendos propter dogmatum nequitiam : ita nunc, e contrario, asserit nec his quidem accommodandam fidem, qui cum polleant integritate doctrinæ, malis operibus destruunt; utrumque enim Dei servis necessarium est, ut et opus sermone, et sermo operibus comprobetur. (*Hieronymus.*)



Non ergo putemus ad illos fructus de quibus supra dixerat pertinere, si quis domino nostro dicat : *Domine, Domine*, et ex eo nobis arbor bona videatur : sed illi sunt fructus, facere voluntatem Dei. (*Augustinus.*)

II. — Multi dicent mihi in illa die : Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejicimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? (*Matth. VII. 22.*)

Quando scilicet venerit in majestate Patris sui, quando jam nemo ausurus est, garrula contentione sermonum, aut mendacium defendere, aut contradicere veritati; quando opera singulorum loquentur, et ora tacebunt; nec alter pro altero interveniet. Sed singuli sibi timebunt. (*Chrysostomus.*)

Qui hic mirabiles erant apud omnes, miracula facientes; illic autem vident seipsos punitos, admirantes dicunt : *Domine, nonne*, etc. Quidam autem dicunt, quoniam non in tempore in quo hæc miracula faciebant, iniqua agebant, sed postea. Sed si hoc erit, rursus quod Dominus volebat monstrare, nunc constat : quod scilicet, neque fides neque miracula valent, bona vita non exsistente. Quod et Paulus dicit : (*I. Cori. XIII.*) " Si habuero fidem ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum. " (*Chrysostomus.*)

III. — Et tunc confitebor illis : Quia nunquam novi vos : discedite a me, qui operamini iniquitatem. (*Matth. VII. 23.*)

Sciendum autem quod peccatores nescit Deus, quia non digni sunt ut cognoscantur a Deo : non quia omnino ipsos non cognoscit, sed quia suos esse illos non cognoscit. (*Hieronymus.*)

Dicit autem eis : *nunquam novi vos;* quasi non solum in tempore judicii, sed neque tunc cum miracula faciebatis : multos enim et hic jam odio habet, et ante punitionem avertit. (*Chrysostomus.*)

Hac autem sententia datur intelligi quod in hominibus caritas, humilitas, non autem debeant virtutum signa venerari : unde nunc sancta Ecclesia, etiam si quæ sunt hæreticorum miracula, despicit : quia hæc sanctitatis speciem non esse cognoscit. Probatio quidem sanctitatis non est signa facere, sed proximum ut se diligere; de Deo vera, de proximo meliora quam de seipso sentire. (*Gregorius.*)



## MEDITATIO CCXXVI.

### DIDAGMA TRIGESIMUM SECUNDUM.

**Qui audit verbum et custodit illud cui similis est.**

I. — Omnis, qui venit ad me, et audit sermones meos, et facit eos : ostendam vobis cui similis sit. (*Luc. VI. 47.*)

Quoniam quidam futuri erant quæ dicta sunt a Domino admirantes; ostensionem autem quæ est per opera non tribuentes, prævenies eos terret (per similitudinem sequentem.)

II. — Similis est homini ædificanti domum. (*Luc. VI. 47.*) Viro sapienti. (*Matth. VII. 24.*) Qui fodit in altum, et posuit fundamentum super petram. (*Luc. VI. 48.*)

Et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti et irruerunt in domum illam, et non cecidit. (*Matth. VII. 25.*)

Inundatione autem facta, illisum est flumen domui illi, et non potuit eam movere. (*Luc. VI. 48.*)

Fundata enim erat super petram. (*Matth. VII. 25. — Luc. VI. 48.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Petra erat Christus, qui fodit in altum, qui præceptis humilitatis terrena omnia de cordibus fidelium eruit, ne propter commodum temporale serviant Deo.

Inundatio tribus modis fit; vel immundorum spirituum, vel improborum hominum, vel ipsa mentis aut carnis inquietudine; et quantum propriis viribus homines fidunt, inclinantur : quantum vero invictissimæ illi petræ adhærent, etiam labefactari nequeunt. (*Beda.*)

III. — Qui autem audit, et non facit : similis est homini ædificanti domum suam sine fundamento. (*Luc. VI. 49.*)

Viro stulto qui ædificavit domum suam super arenam. (*Matth. VI. 26.*) In quam illisus est fluvius. (*Luc. VI. 49.*)

Et descendit pluvia, et venerunt flumina et flaverunt venti et irruerunt in domum illam. (*Matth. VII. 27.*) Et continuo cecidit : et facta est ruina domus illius magna. (*Luc. VI. 49.*)

Diabolo autem est similis qui audit verba Christi et non facit. Verba enim quæ audiuntur et non fiunt, separata sunt, et dispersa : et ideo assimilantur arenæ. Arena etiam est omnis malitia, vel etiam mundialia bona. Sicut autem domus diaboli destructa est, ita tales supra arenam fundati cadunt. Et



est ruina magna, si de fundamento fidei aliquid ruinæ fuerit passus : non autem si fornicatus fuerit, aut homicidium fecerit; quia habet unde per pœnitentiam surgat, sicut et David. (*Chrysostomus.*)

IV. — Et factum est cum consummasset Jesus verba hæc, admirabantur turbæ super doctrina ejus.

Erat enim docens eos sicut potestatem habens, et non sicut Scribæ eorum et Pharisæi. (*Matth. VII. 28, 29.*)

Si crederent in Christum, non mirarentur. Illud enim movet admirationem quod superat facientis aut dicentis personam : et ideo quod a Deo factum aut dictum est, non admiramur, quia omnia minora sunt quam Dei potentia. Turbæ autem erant quæ mirabantur, idest populus vulgaris, non principes populi, qui non discendi studio audire solebant : populus autem simplex simpliciter audiebat : sed eorum silentium, si illi interfuissent suis contradictionibus conturbassent : ubi enim est major scientia, illic fortior malitia : qui enim festinat esse prior, non est contentus esse secundus. (*Chrysostomus.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## MEDITATIO CCXXVII.

### DIDAGMA TRIGESIMUM TERTIUM.

### Christus minatur obduratis civitatibus.

I. — Cœpit Jesus exprobrare civitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes ejus, quia non egissent pœnitentiam. (*Matth. XI. 20.*)

Docet Dominus graviori pœna obnoxios fore, qui Evangelium non sequendum, quam qui legem judicaverunt esse solvendam. (*Ambrosius.*)

II. — Væ tibi Corozaïm, væ tibi Bethsaida : quia si in Tyro, et Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, et cinere pœnitentiam egissent.

Verumtamen dico vobis Tyro, et Sidoni remissius erit in die judicii, quam vobis. (*Matth. XI. 21, 22. — Luc. X. 13, 14.*)

Corozaïm autem, quæ interpretatur mysterium meum, et Bethsaida, quæ domus fructuum, vel domus venatorum dicitur, civitates sunt Galilææ sitæ in littore maris Galilææ. Plangit ergo Dominus civitates quæ quondam mysterium Dei tenuerunt, et virtutum jam fructum gignere debuerunt, et in quas spiritales venatores sunt missi. (*Rabanus.*)



Et præferuntur eis Tyrus et Sidon urbes idololatriæ et vitiis deditæ. (*Hieronymus.*)

In cilicio quidem asperitas, qua punctio peccatorum, in cinere autem pulvis ostenditur mortuorum : et idcirco utrumque hoc adhiberi ad pœnitentiam solet, ut in punctione cilicii cognoscamus quid per culpam fecimus, et in favilla cineris perpendamus quid per judicium facti sumus. (*Gregorius.*)

III. — Et tu Capharnaum, numquid usque in cœlum exaltaberis? usque in infernum descendes : quia, si in Sodomis factæ fuissent virtutes, qua factæ sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem.

Verumtamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die judicii, quam tibi. (*Matth. XI. 23, 24.*)

Vel ideo ad inferna descendes, quia contra prædicationem meam superbissime restitisti : vel ideo quia exaltata usque in cœlum meo hospitio, et meis signis atque virtutibus tantum habens privilegium, majoribus plecteris suppliciis, quod his quoque credere noluisti. (*Hieronymus.*)

Non solum autem Tyri et Sidonis, sed et ipsa Sodomorum et Gomorrhæorum fuerunt levia peccata per comparationem. (*Remigius.*)

Per hoc quod dicit, *remissius erit*, etc. Aperte demonstrat quia diversa sunt supplicia in inferno, sicut et diversæ sunt mansiones in regno cœlorum. (*Remigius.*)

## MEDITATIO CCXXVIII.

### DIDAGMA TRIGESIMUM QUARTUM.

### Christi confessio ad divinum Patrem.

I. — In ipsa hora exsultavit Jesus Spiritu sancto et dixit. (*Luc. X. 21.*) Confiteor tibi Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis. (*Matth. XI. 25. — Luc. X. 21.*)

Sicut benignus pater videns filios suos dirigi, gaudet : sic et Christus exsultat, quod Apostoli tantis bonis facti sunt digni. (*Theophylactus.*)

Cœlestium ergo verborum arcana atque virtutes sapientibus absconduntur et parvulis revelantur; parvulis malitia, non sensu : sapientibus vero stultitiæ suæ præsumptione, non prudentiæ causis. (*Hilarius.*)

Revelatum autem esse his, dignum est lætitia : occultari autem his, non lætitia, sed lacrymis dignum est. Non ergo propter hoc lætatur, sed quoniam quæ sapientes non cognoverunt, cognoverunt hi. (*Chrysostomus.*)



II. — Ita, Pater : quoniam sic fuit placitum ante te. (*Matth. XI. 26. — Luc. X. 21.*)

Quibus verbis exempla humilitatis accipimus, ne temere discutere superna consilia, de aliorum vocatione, aliorumve repulsione præsumamus : ostendens quod injustum esse non potest quod placuit justo. (*Gregorius.*)

III. — Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo novit Filium, nisi Pater : neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. (*Matth. XI. 27. — Luc. X. 22.*)

Quia dixerat : *Confiteor tibi Pater*, etc. ut non existimes quoniam ita gratias agit Patri sicut si ipse sit hac virtute privatus, consequenter adjungit : *Omnia mihi tradita*, etc. Cum autem audieris quoniam *tradita sunt*, nihil humanum suspiceris : ut enim non duos deos ingenitos esse æstimes, hanc ponit dictionem. Simul enim cum genitus est, omnium dominator fuit. (*Chrysostomus.*)

Cum autem dixisset omnia sibi fore a Patre tradita, ascendit ad propriam gloriam et excellentiam, ostendens in nullo se superari a Patre, unde subdit : *Et nemo novit*, etc. Scire namque naturam divinam impos-

sibile est cuilibet creaturæ : scire autem quodcumque eorum quæ creata sunt quid sit, non transcendit quemlibet intellectum, quamvis superet nostrum sensum. (*Ambrosius.*)

IV. — Et conversus ad discipulos suos, dixit : Beati oculi, qui vident quæ vos videtis.

Dico enim vobis, quod multi prophetæ, et reges voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt : et audire quæ auditis, et non audierunt. (*Luc. X. 23, 24.*)

Convertitur quidem ad eos, quia repellens Judæos surdos, et cæcam mentem gerentes, nec videre volentes, totum se præbebat diligentibus eum; et beatos asserit oculos videntes quæ prius aliis ipsi videbant. Illud autem scire convenit, quia videre non significat actum oculorum, sed mentis recreationem in præstitis beneficiis. (*Cyrillus.*)

Illi (Prophetæ et reges) a longe inspicientes per speculum et in ænigmate viderunt : Apostoli autem in præsentiarum habentes Dominum, quæcumque voluissent interrogando discentes, nequaquam per Angelos aut alias visionum species opus habebant doceri. (*Beda.*)



## MEDITATIO CCXXIX.

### DIDAGMA TRIGESIMUM QUINTUM.

**Christus omnes oneratos ad se vocat : jugum suum dicit esse suave.**

I. — Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos. (*Matth. XI. 28.*)

Per ea quæ dicta sunt, in desiderium sui discipulos constituerat, ostendens ineffabilem suam virtutem : nunc autem eos ad se vocat. (*Chrysostomus.*)

Non autem dicit, venite ille et ille : sed omnes qui in sollicitudinibus, qui in tristitiis, qui in peccatis estis : non ut expetam noxas, sed ut solvam peccata; venite, non quoniam indigeo vestra gloria, sed quia volo vestram salutem, unde dicit, *reficiam vos;* non dixit salvabo solum : sed quod multo amplius erat, *reficiam vos;* id est, in omni quiete constituam. (*Chrysostomus.*)

II. — Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum, et humilis corde : et invenietis requiem animabus vestris. (*Matth. XI. 29.*)

Jugum Christi est Evangelium Christi, quod Judæos et Gentes in unitate fidei con-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

jungit et sociat. Hoc autem super nos jubemur sumere idest in honore habere, ne forte subtus ponentes, idest illud prave contemnentes, luculentis pedibus vitiorum contemnamus. (*Rabanus.*)

Discendum ergo nobis est a Salvatore nostro, ut simus mites moribus et humiles mentibus : neminem lædamus, neminem contemnamus, et virtutes quas foris ostendimus in opere, intus teneamus in corde. (*Rabanus.*)

Et ideo incipiens divinas leges, ab humilitate incipit : et maximum præmium ponit, dicens : *et invenietis requiem*, etc. Hoc maximum est præmium : non enim alteri efficeris utilis solum, sed teipsum requiescere facis, et ante futuram, hanc tibi dat retributionem : in futuro autem perpetua gaudebis requie. (*Chrysostomus.*)

III. — Jugum enim meum suave est, et onus meum leve. (*Matth. XI. 30.*)

Et quid jugo ipso suavius, quid onere levius? Probatiorem fieri, scelere abstinere, bonum velle, malum nolle, amare omnes, odisse nullum, æterna consequi, præsentibus non capi, nolle inferre alteri quod sibi perpeti sit molestum. (*Hilarius.*)



## MEDITATIO CCXXX.

### DIDAGMA TRIGESIMUM SEXTUM.

**Rationem reddendam de quolibet verbo otioso.**

I. — Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? ex abundantia enim cordis os loquitur.

Bonus homo de bono thesauro profert bona : et malus homo de malo thesauro profert mala. (*Matth. XII. 34, 35.*)

Progenies viperarum eos dicit, quia in progenitoribus gloriabantur : ut ergo excluderet eorum superbiam, separavit eos a cognatione Abraham, attribuens eis progenitores similium morum. (*Chrysostomus.*)

Sed cum augetur multitudo malorum quæ intus sunt, quæ interim occultabantur, extra per verba proveniunt : et ideo dicit : *ex abundantia*, etc. (*Chrysostomus.*)

II. — Dico autem vobis quoniam omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. (*Matth. XII. 36.*)

Post præmissa, eis Dominus multum timorem incutit, ostendens quod ultimam dabunt vindictam qui talia deliquerunt. (*Chrysostomus.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Et est sensus : si otiosum verbum quod nequaquam ædificat audientes, non est absque periculo ejus qui loquitur; et in die judicii reddet unusquisque rationem sermonum suorum : quanto magis vos, qui opera sancti Spiritus calumniamini, et dicitis me in Beelzebub ejicere dæmonia, reddituri estis rationem calumniæ vestræ? (*Hieronymus.*)

III. — Ex verbis enim tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis. (*Matth. XII. 37.*)

Vide autem quia non est onerosum hoc judicium. Non ex quibus alius dixit de te, sed ex quibus ipse locutus es, sententiam judex feret. Non igitur accusatos timere oportet, sed accusantes : non enim illi coguntur accusare se pro his malis quæ audierunt, sed hi pro his quæ male dixerunt. (*Chrysostomus.*)

## MEDITATIO CCXXXI.

### DIDAGMA TRIGESIMUM SEPTIMUM.

### Quænam mater, et qui sunt fratres Christi.

I. — Adhuc Jesu loquente ad turbas, ecce mater ejus, et fratres stabant foris, quærentes loqui ei. (*Matth. XII. 46.*)



Et non poterant adire eum præ turba. (*Luc. VIII. 19.*)

Et foris stantes miserunt ad eum vocantes eum. (*Marc. III. 31.*)

Si audiveris de fratribus Domini, addisce pietatem, et intellige gratiam : nullus enim secundum divinitatem salvatoris frater est, unigenitus enim est : sed pietatis gratia communicavit nobis in carne et sanguine, et factus est frater noster, cum esset naturaliter Deus. (*Titus.*)

Fratres tamen Domini secundum carnem dicuntur, non filii beatæ Mariæ Genitricis Dei, secundum Elvidium, nec filii Joseph de alia uxore, secundum quosdam putandi sunt, sed eorum potius putandi sunt esse cognati. (*Beda.*)

II. — Dixit autem ei quidam : Ecce mater tua, et fratres tui foris stant quærentes te. (*Matth. XII. 47.*) Volentes te videre. (*Luc. VIII. 20.*)

Et sedebat circa eum turba : et dicunt ei : Ecce mater tua, et fratres tui foris quærunt te. (*Marc. III. 32.*)

At ipse respondens dicenti sibi. (*Matth. XII. 43.*) Et respondens eis, ait : (*Marc. III. 33.*) Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei? (*Matth. XII. 43. — Marc. III. 33.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Putabant autem fratres ejus quod cum eorum audiret præsentiam, dimitteret populum, reveritus maternum nomen, et flexus amore materno. (*Titus.*)

Considera quale erat, adstante ei toto populo, et ab ore ejus pendente, jam inchoata doctrina, eum foras extrahere. Ob hoc Dominus, quasi increpando respondit. (*Chrysostomus.*)

Moralis magister, qui de se ceteris præbet exemplum, præscripturus ceteris quoniam qui non reliquerit patrem aut matrem suam, non est Filio Dei dignus, sententiæ huic ipse primus se subjicit : non quod maternæ refutet pietatis obsequia, sed quia paternis se mysteriis amplius quam maternis affectibus debere cognoscit. (*Ambrosius.*)

III. — Et circumspiciens eos, qui in circuitu ejus sedebant. (*Marc. III. 34.*)

Et extendens manum in discipulos suos, dixit : Ecce mater mea et fratres mei.

Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est : ipse meus frater, et soror, et mater est. (*Matth. XII. 49, 50.*)

Mater mea, et fratres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt, et faciunt. (*Luc. VIII. 21.*)

Hi igitur qui verbum Dei audiunt et faciunt, mater Domini vocantur, eo quod illum



quotidie, suo exemplo vel dicto, quasi parturiunt in cordibus proximorum : fratres quoque sunt ejus, cum et ipsi faciunt voluntatem patris ejus qui in cœlis est. (*Beda.*)

Non autem hoc dixit increpando matrem, sed eam plurimum adjuvando. Nam si erga ceteros sollicitus erat, ut generaret eis de se debitam opinionem : multo magis erga matrem : non autem elevasset eam ad illa fastigia, si semper exspectaret honorari ab eo tamquam a filio, non autem eum Dominum reputaret. (*Chrysostomus.*)

## MEDITATIO CCXXXII.

### DIDAGMA TRIGESIMUM OCTAVUM.

### Prophetam non esse acceptum in patria.

I. — Jesus veniens in patriam suam, (Nazareth ubi erat nutritus, *Luc. IV. 16.*) docebat eos in synagogis eorum (facto sabbato, *Marc. VI. 2.*) ita ut mirarentur, et dicerent : unde huic sapientia hæc, et virtutes?

Nonne hic est fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria, et fratres ejus Jacobus, et Joseph, et Simon, et Judas :

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Et sorores ejus, nonne omnes apud nos sunt? Unde ergo huic omnia ista? (*Matth. XIII. 54, 55, 56.*)

Mira stultitia Nazaræorum! mirantur unde habeat sapientiam sapientia, et virtutes virtus : sed error in promptu est, quia fabri filium suspicantur. (*Hieronymus.*)

Per omnia ergo erant insensati, vilipendentes eum ab eo qui æstimabatur esse pater : quamvis multa horum exempla habentes in antiquis temporibus, et patrum ignobilium nobiles videntes filios ; etenim David cujusdam agricolæ Jesse fuit filius, et Amos cujusdam pastoris, et ipse pastor. Oportebat enim propter hoc maxime eum honorare, quoniam a talibus exsistens, talia loquebatur. Ex hoc enim erat manifestum, quoniam non ex humana diligentia erat, sed ex divina gratia. (*Chrysostomus.*)

II. — Jesus autem dixit eis : Non est propheta sine honore nisi in patria sua, et in domo sua, (*Matth. XIII. 57.*) et in cognatione sua. (*Marc. VI. 4.*)

Propemodum enim naturale est cives semper civibus invidere : non enim considerant præsentia viri opera, sed fragilis recordantur infantiæ : quasi non et ipsi per eosdem ætatum gradus ad maturam ætatem venerint. (*Hieronymus.*)



III. — Et non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem illorum. (*Matth. XIII. 58.*)

Et non poterat ibi virtutem ullam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curavit :

Et mirabatur propter incredulitatem eorum, et circuibat castella in circuitu docens. (*Marc. VI. 5, 6.*)

Si autem admiratio ei veniebat ex miraculis, quare non multa fecit? Quia non ad ostentationem suam inspiciebat, sed ad ea quæ aliis erant utilia. Hoc igitur non proveniente, despexit quod erat sui ipsius, ut non pœnam augeat. Cur igitur vel pauca fecit signa? Ut non dicant : si utique facta essent signa, nos credidissemus. (*Chrysost.*)

Non quasi inopinata et improvisa miratur qui novit omnia antequam fiunt; sed qui novit occulta cordis, quod mirandum intimare vult hominibus, mirari se coram hominibus ostendit. Judæorum enim miranda notatur cæcitas, qui nec Prophetis suis credere de Christo, nec ipsi inter se nato voluerunt credere Christo. (*Beda.*)

## IDEM DIDAGMA EX S. LUCA.

I. — Ait illis Jesus : Utique dicetis mihi hanc similitudinem : Medice cura

teipsum : quanta audivimus facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua.

Ait autem : Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus est in patria sua. (*Luc. IV. 23, 24.*)

Hoc autem exemplo declaratur, quod frustra opem misericordiæ cœlestis exspectas, si alienæ fructibus virtutis invideas : aspernator enim Deus invidorum est, et ab his qui divina beneficia in aliis persequuntur, miracula suæ potestatis avertit.

Videte quid mali invidia afferat : indigna propter invidiam patria judicatur in qua civis operetur, quæ digna fuit in qua Dei Filius nasceretur. (*Ambrosius.*)

II. — In veritate dico vobis, multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israel, quando clausum est cœlum annis tribus, et mensibus sex : cum facta esset fames magna in omni terra.

Et ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidoniæ, ad mulierem viduam. (*Luc. IV. 25, 26.*)

Bene autem apto comparationis exemplo arrogantia civium retunditur invidorum, dominicumque factum Scripturis docetur veteribus convenire. (*Ambrosius.*)

Ipse quidem terrestris Angelus, cœlestis homo (Elias) qui nec tectum nec mensam



nec amictum habebat, ut multi, clavem cœlorum gerit in lingua. (*Chrysostomus.*)

III. — Et multi leprosi erant in Israel sub Elisæo propheta : et nemo eorum mundatus est nisi Naaman Syrus.

Et repleti sunt omnes in Synagoga ira, hæc audientes.

Et surrexerunt, et ejecerunt illum extra civitatem. (*Luc. IV. 27, 28, 29.*)

Nec mirum, si perdiderunt salutem qui ejecerunt de suis finibus Salvatorem. Dominus autem qui docuerat Apostolos exemplo sui omnibus omnia fieri, nec volentes repudiat, nec invitos alligat, nec ejicientibus reluctatur, nec rogantibus deest. Non mediocriter autem invidia proditur, quæ caritatis oblita, in acerba odia causas amoris inflectit. (*Ambrosius.*)

## MEDITATIO CCXXXIII.

### DIDAGMA TRIGESIMUM NONUM.

**De prudentia ac patientia ad prædicandum necessariis.**

I. — Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes

sicut serpentes et simplices sicut columbæ. (*Matth. X. 16.*)

Considerandum, quod non simpliciter ad lupos, sed in medio luporum mittit, ut sic suam virtutem magis demonstrent, cum oves lupos superaverint, etiam in medio luporum exsistentes : et plurimos morsus accipientes ab eis, non solum non consumuntur, sed et illos convertunt : multo autem mirabilius est et majus, transmutare mentes eorum quam interficere eos. (*Chrysostomus.*)

Serpentis astutia ponitur in exemplum : quia toto corpore occultat caput, ut illud in quo vita est, protegat. Ita et nos toto periculo, caput nostrum qui Christus est, custodiamus : idest fidem integram et incorruptam servare studeamus. (*Hieronymus.*)

Sicut autem prudentiam serpentis oportet habere, ut in principalibus non lædamur : sic et simplicitatem columbæ in non vindicando cum injusta patimur, neque per insidias alicui nocendo. (*Chrysostomus.*)

11. — Cavete autem ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos :

Et ad præsides, et ad reges ducemini propter me in testimonium illis et gentibus.

Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini : dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini.

Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. (*Matth. X. 17, 18, 19, 20.*)

Quod autem lupi, de quibus supra dixerat sint homines ostendit. (*Rabanus.*)

Mirandum est autem qualiter hoc audientes non statim abscesserint homines, qui stagnum illud nunquam egressi fuerant, circa quod piscabantur : quod non virtutis eorum erat solum, sed sapientiæ doctoris. Unicuique enim malorum mitigationem adjungit : unde et hic dicit, *propter me* : non enim parva consolatio est propter Christum pati. (*Chrysostomus.*)

Et iterum addit, *in testimonium illis.* (*Chrysostomus.*)

Mors quippe Sanctorum bonis est in adjutorium, malis in testimonium : ut inde perversi sine excusatione pereant, unde electi exemplum capiant et vivant. (*Gregorius.*)

Cum præmissis consolationibus non parvam et aliam apponit : ut enim non dicerent : qualiter suadere poterimus talibus persecutionibus exsistentibus? jubet eos de responsione confidere. (*Chrysostomus.*)

Vos acceditis ad certamen, sed ego sum qui prælior : vos verba editis, sed ego sum qui loquor. Hinc Paulus ait : (*II. Cor. XIII.*)

" An experientiam quæritis ejus qui in me loquitur Christus. (*Remigius.*)

III. — Tradet autem frater fratrem in morte, et pater filium : et insurgent filii in parentes et morte eos afficient :

Et eritis odio omnibus propter nomen meum : qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. (*Matth. X. 21, 22.*)

Minorem enim dolorem ingerunt mala quæ ab extraneis, majorem quæ ab illis patimur de quorum mentibus præsumebamus : quia cum damno corporis mala nos cruciant caritatis amissæ. (*Gregorius.*)

Deinde quod est multo horribilius apposuit dicens : *Et eritis odio omnibus.* Ut enim communes orbis terrarum hostes, ita eos expellere tentabant. Hinc etiam rursus apponitur consolatio cum dicit, *propter nomen meum.*

Et cum hoc rursus aliud consolatorium ponitur, cum subditur : *qui autem perseveraverit.* (*Chrysostomus.*)

Ne autem aliquis dicat, quia omnia Christus in Apostolis fecit, nihil mirabile est tales illos esse effectos, nihil patientes onerosum : propter hoc ait, quod perseverantia eis est opus.

Etsi enim ex primis eruti fuerint periculis, aliis difficilioribus conservantur; et post illa rursus alia succedent, et non stabunt quin



insidias patiantur donec vivunt. (*Chrysostomus.*)

## MEDITATIO CCXXXIV.

### DIDAGMA QUADRAGESIMUM.

**De modo profectionis et mansionis.**

I. — Præcepit eis Jesus ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum : (*Intellige baculum viatorum more peregrinorum*) non peram, non panem, neque in zona æs. (*Marc. VI. 8.*)

Ait ad illos : Nihil tuleritis in via, neque virgam, (*intellige talem quæ sit insigne honoris et potestatis, ut est sceptrum, fasces,* etc., *item talem qua alios percutiant.*) neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis. (*Luc. IX. 3.*)

Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris :

Non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, (*hoc est, non duo calceamentorum paria, nam Marcus VI. 9. mittit eos calceatos sandaliis.*) neque virgam : dignus enim est operarius cibo suo. (*Matth. X. 9, 10.*)

Tanta enim prædicatori in Deo debet esse fiducia ut præsentis vitæ sumptus, quamvis non provideat, tamen hos sibi non deesse certissime sciat, ne dum mens ejus occupatur ad temporalia, minus aliis provideat æterna. (*Beda.*)

Ostendit etiam Dominus his verbis, quia sancti prædicatores revocati sunt ad primi hominis dignitatem : qui quamdiu cœlestes possedit thesauros, ista non concupiscit; sed mox ut peccando illa amisit, ista desiderare cœpit. (*Remigius.*)

Cum dixerit Dominus Apostolis, *Nolite possidere aurum*, continuo subjecit : *dignus est operarius cibo suo.* Unde satis ostenditur cur eos possidere hoc ac ferre noluerit : non quod necessaria non sint sustentationi hujus vitæ; sed quia sic eos mittebat, ut eis hoc deberi demonstraret ab illis quibus Evangelium credentibus annuntiarent, tanquam stipendia militantibus. (*Augustinus.*)

II. — In quamcumque autem civitatem, aut castellum intraveritis, interrogate quis in ea dignus sit : et ibi manete donec exeatis. (*Matth. X. 11.*)

Quocumque introieritis in domum : illic manete donec exeatis inde : (*Marc. VI. 10.*) (*nimirum ex civitate aut castello.*)

In quamcumque domum intraveritis, ibi manete, et inde (*ex domo illa ad alias atque alias domos*) ne exeatis. (*Luc. IX. 4.*)



Intende autem quia nondum omnia eis tribuit : neque enim eis largitur ut sciant quis sit dignus, sed jubet scrutari. Non solum autem dignos jubet quærere, sed neque de domo in domum transmutari, ut neque suscipientem contristent, neque ipsi opinionem accipiant levitatis, aut gulæ. (*Chrysost.*)

III. — Intrantes autem in domum, salutate eam, dicentes : Pax huic domui.

Et si quidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam : si autem non fuerit digna, pax vestra revertetur ad vos. (*Matth. X. 12, 13.*)

Instruit ergo eos Dominus quod non propter hoc exspectent ab aliis præsalutari, quia docebant; sed antecedere salutatione, alios honorando. Deinde monstrat quod non est sola salutatio, sed benedictio. (*Chrysostomus.*)

## MEDITATIO CCXXXV.

### DIDAGMA QUADRAGESIMUM PRIMUM.

### De modo egressionis ab infidelibus.

I. — Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. Amen dico vobis,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

non consummabitis civitates Israel donec veniat Filius hominis. (*Matth. X. 23.*)

Neque tamen Salvator non poterat tueri discipulos suos, quibus fugere præcepit : et hujus rei prior exemplum præbuit : sed instruebat hominis infirmitatem, ne Deum tentare audeat quando habet quid faciat, ut quod cavere oportet, evadat. (*Augustinus.*)

Ne autem dicant : quid igitur si persecutionem passi fugeremus, et rursus hinc nos abjecerint? hanc destruens timorem ait : *Amen dico vobis*, etc. Idest non pervenietis ad me, circumeuntes Palæstinam, donec vos assumam. (*Chrysostom.*)

II. — Quicumque non receperint vos, nec audierint vos, (sermones vestros. *Matth. X. 14.*) exeuntes inde (de civitate illa, *Luc. IX. 5.*) (vel de domo, *Matth. X. 14.*) excutite pulverem de pedibus vestris in testimonium illis. (*Marc. VI. 11.*)

Etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium supra illos. (*Luc. IX. 5.*)

Qui vero perfida negligentia, vel etiam studio verbum Dei contemnunt, horum vitanda communio est; pulvis excutiendus pedum, ne gestis inanibus pulveri comparandis, mentis castæ vestigium polluatur. (*Beda.*)



III. — Amen dico vobis tolerabilius erit terræ Sodomorum, et Gomorrhæorum in die judicii, quam illi civitati. (*Matth. X. 15.*)

Specialiter Sodomorum et Gomorrhæorum mentionem facit, ut per hoc demonstret quia illa peccata sunt Deo magis odibilia quæ fiunt contra naturam, pro quibus deletus est mundus aquis diluvii, quatuor civitates subversæ, et mundus quotidie diversis malis affligitur. (*Remigius.*)

IV. — Et exeuntes prædicabant ut pœnitentiam agerent :

Et dæmonia multa ejiciebant, et ungebant oleo multos ægros, et sanabant. (*Marc. VI. 12, 13.*)

Cum autem præcinxisset Dominus discipulos suos, tanquam milites Dei, divinis virtutibus et sapientiæ monitis, mittens eos Judæis ut doctores et medicos : ipsi secundum hoc procedebant : quasi doctores quidem evangelizantes : sed quasi medici præstantes remedia, et verba miraculo comprobantes.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## MEDITATIO CCXXXVI.

### DIDAGMA QUADRAGESIMUM SECUNDUM.

### Summæ institutiones ad prædicandum.

I. — Euntes prædicate, dicentes : Quia appropinquavit regnum cœlorum. (*Matth. X. 7.*)

Vides ministerii magnitudinem, vides Apostolorum dignitatem. Nihil sensibile præcipiuntur dicere, ut Moyses et Prophetæ; sed nova quædam et inopinata, illi enim terrena bona prædicaverunt, hi autem regnum cœlorum, et omnia quæ illic sunt bona. (*Chrysostomus.*)

II. — Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite : gratis accepistis, gratis date. (*Matth. X. 8.*)

Adjuncta sunt autem prædicatoribus sanctis miracula, ut fidem verbis daret virtus ostensa et nova facerent qui nova prædicarent. (*Gregorius.*)

Hæc autem signa in exordio Ecclesiæ necessaria fuerunt : ut enim fides cresceret credentium miraculis erat nutrienda. (*Gregorius.*)



Postea autem steterunt : reverentia fidei ubique plantata. Si autem et postea facta sunt, pauca et rara fuerunt : consuetudo enim est Deo talia facere cum aucta fuerint mala : tunc enim suam demonstrat potentiam. (*Crysostomus.*)

Vide autem qualiter morum diligentiam non minus habet quam signorum, monstrans quoniam signa sine his nihil sunt. Etenim superbiam eorum comprimit, dicens, *gratis accepistis;* et ab amore pecuniarum mundos esse præcipit dicens, *gratis date.* (*Chrysostomus.*)

III. — Qui recipit vos, me recipit : et qui me recipit, recipit eum qui me misit. (*Matth. X. 40.*)

Sufficientia siquidem erant præmissa, ad persuadendum eis qui erant Apostolos suscepturi. Quis enim eos qui ita erant fortes, et omnia contemnebant ut alii salvarentur, non susciperet omni cum desiderio? Et superius quidem pœnam comminatus est his qui non reciperent : hic autem retributionem promittit recipientibus. Et primo quidem repromittit honorem suscipientibus Apostolos ut Christum suscipiant, et etiam Patrem. Quid autem huic honori fiet æquale, ut quis Patrem et Filium recipiat? (*Chrysostomus.*)

## MEDITATIO CCXXXVII.

### DIDAGMA QUADRAGESIMUM TERTIUM.

**Quis timendus, et qui non timendi?**

I. — Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere : sed potius timete eum, qui potest et animam, et corpus perdere in gehennam. (*Matth. X. 28.*)

Constanter ergo ingerenda est Dei cognitio, et profundum doctrinæ evangelicæ secretum lumine prædicationis revelandum, non timendo eos quibus cum sit licentia in corpora tantum, in animam jus nullum est. (*Hilarius.*)

II. — Nonne duo passeres asse veneunt : et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro?

Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt.

Nolite ergo timere : multis passeribus meliores estis vos. (*Matth. X. 29, 30 31.*)

Quod autem ait, *Vestri capilli*, etc., immensam Dei erga homines ostendit providentiam et ineffabilem signat affectum, quod nihil nostrorum Deum lateat. (*Hieronymus.*)



In (his vero) *multis passeribus* etc. manifestius superior expositionis sensus expressus est; quod timere non debeant eos qui possunt corpus occidere : quoniam si sine Dei scientia, parva quoque animalia non decidunt, quanto magis homo, qui apostolica fultus sit dignitate? (*Hieronymus.*)

III. — Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.

Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo qui in cœlis est. (*Matth. X. 32, 33.*)

Ubi considerandum est, quia in pœna amplius est supplicium, et in bonis major retributio. Quasi dicat : superabundasti prius, me hic confitendo aut negando : superabundabo et ego, ineffabiliter tibi majora dando : illic enim ego te confitebor aut negabo. Propter hoc si feceris aliquod bonum, et non susceperis retributionem, ne turberis : cum addimento enim in futuro tempore retributio te exspectat. Et si feceris aliquod malum, et non exsolveris vindictam, non contemnas : illic enim te excipiet pœna, nisi transmuteris, et melior fias. (*Chrysostomus.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## MEDITATIO CCXXXVIII.

### DIDAGMA QUADRAGESIMUM QUARTUM.

### Quid venerit Christus in terras mittere?

1. — Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram : non veni pacem mittere, sed gladium.

Veni enim separare hominem adversus patrem suum, et filiam adversus matrem suam, et nurum adversus socrum suam : Et inimici hominis domestici ejus. (*Matth. X. 34, 35, 36.*)

Ad fidem enim Christi totus orbis contra se divisus est. Unaquæque domus et infideles habuit et credentes; et propterea bellum missum est bonum, ut rumperetur pax mala. (*Hieronymus.*)

Et non dixit : prœlium; sed quod difficilius est, *gladium.* Voluit enim asperitate verborum eorum excitare auditum, ut non in difficultate rerum deficiant : ne aliquis dicat quod blanda suasit, sed difficilia occultavit. (*Chrysostomus.*)

Ostendit quod non solum in familiaribus erit hoc prœlium, sed in amantissimis et valde necessariis; quod maxime Christi



virtutem ostendit : quia discipuli hæc audientes et ipsi susceperunt, et aliis suaserunt. (*Chrysostomus.*)

11. — Qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non est me dignus : et qui amat filium, aut filiam super me, non est me dignus.

Et qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus. (*Matth. X. 37, 38.*)

In Cantico legimus Canticorum (*Cap. II.*) " Ordinavit in me caritatem. " Hic enim ordo in omni affectu necessarius est. Ama post Deum, patrem aut matrem aut filios. Si autem necessitas venerit ut amor parentum aut filiorum Dei amori comparetur, et non possit utrumque salvari; odium in suos, pietas in Deum est. Non ergo prohibuit amari patrem aut matrem; sed signanter addidit, *plusquam me.* (*Hieronymus.*)

Signat illum divino consortio esse indignum, qui consanguinitatis carnalem amorem præponit spirituli amori Dei. (*Rabanus.*)

Deinde ut non moleste ferant illi, scilicet quibus amor Dei præfertur, ad altiorem adducit sermonem. Anima enim nihil est familiarius alicui, sed tamen et hanc non simpliciter eam haberi odio jussit, sed ut eam quis tradat in occisiones et sanguines : ostendens quod non solum ad mortem opor-

tet esse paratum, sed ad mortem violentam et reprobatissimam, scilicet mortem crucis. (*Chrysostomus.*)

III. — Qui invenit animam suam perdet eam : et qui perdiderit animam suam, propter me inveniet eam. (*Matth. X. 39.*)

Id est, qui hanc temporalem lucem et ejus dilectiones et voluptates, tempore persecutionis, propter confessionem nominis mei contempserit, animæ suæ inveniet æternam salutem. (*Remigius.*)

Sic ergo proficit lucrum animæ in mortem, et damnum in salutem : detrimento enim brevis vitæ, fenus immortalitatis acquiritur. (*Hilarius.*)

## MEDITATIO CCXXXIX.

### DIDAGMA QUADRAGESIMUM QUINTUM.

Præmium eorum qui servos Dei recipiunt.

I. — Qui recipit vos, me recipit : et qui me recipit, recipit eum, qui me misit. (*Matth. X. 40.*)

Dominus ad prædicationem discipulos mittens, docet pericula non timenda, et



affectum subjicit religioni : aurum supra tulerat, æs de zona excusserat : dura Evangelistarum conditio. Unde ergo sumptus, unde victus necessaria? Et ideo austeritatem præceptorum spe temperat promissorum, inquiens, *Qui recipit vos*, etc. : ut in suscipiendis Apostolis, unusquisque credentium Christum se suscepisse arbitretur. (*Hieronymus.*)

II. — Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet : et qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet. (*Matth. X. 41.*)

Non ait mercedem de propheta vel justo, sed mercedem prophetæ vel justi. Iste enim fortasse justus est : et quanto in hoc mundo nihil possidet, tanto loquendi pro justitia fiduciam majorem habet. Hunc cum ille sustentat qui in hoc mundo aliquid possidet : illius justitiæ libertatem sibi participem facit, et cum eo pariter justitiæ præmia recipiet quem sustentando adjuvit. Ille prophetiæ spiritu plenus est, sed tamen corporeo eget alimento : et si corpus non reficitur certum est quod vox ipsa subtrahatur. Qui igitur Prophetæ alimenta tribuit, vires illi ad loquendum dedit : cum Propheta ergo mercedem Prophetæ accipiet, qui hoc ante Dei oculos exhibuit quod adjuvit. (*Gregorius.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

III. — Quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli : amen dico vobis, non perdet mercedem suam. (*Matth. X. 42.*)

Poterat autem aliquis causari et dicere : paupertate prohibeor ut hospitalis esse nunc possim; et hanc excusationem levissimo exemplo diluit, ut calicem aquæ frigidæ toto animo porrigamus. Frigidæ, inquit, non calidæ : ne et in calidæ, paupertatis et penuriæ lignorum occasio quæreretur. (*Hieronymus.*)

## MEDITATIO CCXL.

### DIDAGMA QUADRAGESIMUM SEXTUM.

De abnegatione sui quotidiana.

I. — Tunc Jesus dixit discipulis suis. (*Matth. XVI. 24.*)

Et convocata turba cum discipulis suis. (*Marc. VIII. 34.*)

Dicebat ad omnes. (*Luc. IX. 23.*)

Si quis vult post me venire, (me sequi, *Marc. VIII. 34.*) abneget semetipsum, et tollat crucem suam (quotidie, *Luc.*) et sequatur me. (*Matth. XVI. 24. — Marc. VIII. 34. — Luc. IX. 23.*)



Hoc autem dicens : *Si quis vult*, magis attrahebat : qui enim libertati auditorem dimittit, magis attrahit : qui vero violentiam affert multoties impedit. Non autem solis discipulis suis : commune hoc dogma orbi terrarum, dicens, *Si quis vult*; idest, si mulier, si vir, si rex, si liber, si servus. Tria autem sunt quæ dicuntur. (*Chrysostomus.*)

*Abneget semetipsum.* Semetipsum abnegat quicumque mutatur ad meliora, et incipit esse quod non erat, et desinit esse quod erat. (*Gregorius.*)

*Et tollat crucem suam.* Ne autem æstimes quod usque ad verba tantum et contumelias oportet abnegare seipsum, ostendit usque ad quantum abnegare seipsum oporteat : quia usque ad mortem etiam turpissimam, scilicet crucis. (*Chrysostomus.*)

*Et sequatur me.* Quia enim latrones multa gravia patiuntur, ut non æstimes quod passio malorum sufficiat, adjungit causam patiendi; ut propter eum omnia sustineas, et alias ejus virtutes addiscas : hoc est enim sequi Christum ut oportet, diligentem esse circa virtutes et pati omnia propter ipsum. (*Hilarius.*)

II. — Qui enim voluerit animam salvam facere, perdet eam : qui autem perdiderit animam suam propter me (et evangelium, *Marc. VIII. 35.*) inveniet

eam. (*Matth. XVI. 25.*) Salvam faciet eam. (*Marc. VIII. 35. — Luc. IX. 23.*)

Quod dupliciter potest intelligi. Primum sic : si quis contemnens vitam præsentem, usque ad mortem pro veritate certaverit; perdet quidem animam suam, quantum ad vitam præsentem; sed quoniam propter Christum perdet eam, magis eam salvam faciet in vitam æternam.

Alio modo sic : si quis intelligit quæ est vera salus, et acquirere vult eam ad salutem animæ suæ, iste abnegans semetipsum, perdit quantum ad voluptates carnales animam suam propter Christum ; et perdens animam suam hoc modo, solvat eam per opera pietatis. (*Origenes.*)

III. — Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur animæ vero suæ detrimentum patiatur. (*Matth. XVI. 26.*) Se ipsum perdat, et detrimentum sui (animæ suæ *Marc. VIII. 36.*) faciat. (*Luc. IX. 25.*)

Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua. (*Matth. XVI. 26. — Marc. VIII. 37.*) Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis : et tunc reddet unicuique secundum opera ejus. (*Matth. XVI. 27.*)

Si enim famulos tuos videns in lætitia,



te autem in malis ultimis constitutum : quid lucrareris ex eorum dominio? Hoc etiam in anima tua reputa : cum carne lasciviente, ipsa futuram perditionem exspectat. (*Chrysostomus.*)

Divitias si perdideris, poteris dare divitias alias ad eas redimendas : animam autem perdens, non poteris animam aliquam dare, sed neque aliquid aliud. Quid autem mirabile si in anima hoc contingit? etenim in corpore hoc videtur contingere. Etsi enim decem millia diademata corpori insanabiliter ægroto circumposueris, non curatur. (*Chrysostomus.*)

Provocatis autem discipulis ut abnegarent se et tollerent crucem suam, grandis fit terror audientium. Idcirco tristibus læta succedunt. Times mortem? audi gloriam triumphantis. Vereris crucem? ausculta Angelorum ministeria. (*Hieronymus.*)

IV. — Nam qui me erubuerit, et meos sermones : hunc Filius hominis erubescet cum venerit in majestate sua, et Patris, et sanctorum Angelorum. (*Luc. IX. 26.*)

Qui enim me confusus fuerit, et verba mea in generatione ista adultera et peccatrice : et Filius hominis confundetur eum, cum venerit in gloria Patris

sui cum Angelis sanctis. (*Marc. VIII. 38.*)

Pessimum et damnosum notari inimicitia et operis inertia, quando tantus judex descenderit, agminibus circumstantibus Angelorum. (*Cyrillus.*)

Dicitur adultera generatio, quæ Deum verum animæ sponsum dereliquit, et non est secuta Christi doctrinam : sed dæmonibus prostrata, semina impietatis suscepit, propter quod et peccatrix dicitur. Qui ergo inter hos Christi dominationem negaverit, et verba Dei in Evangelio revelata, dignam impietatis pœnam suscipiet, audiens in secundo adventu (*Matth. VII.*) : " Nescio vos. " (*Chrysostomus.*)

v. — Dico autem vobis vere. (*Luc. IX. 27.*) Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, (*Matth. XVI. 23. — Marc. VIII. 39. — Luc. IX. 27.*) donec videant regnum Dei. (*Luc. IX. 27.*) Veniens in virtute. (*Marc. VIII. 39.*) Donec videant Filium hominis venientem in regno suo. (*Matth. XVI. 28.*)

Ac si diceret : Sunt aliqui hic stantes, scilicet Petrus, Jacobus et Joannes, qui non attingent mortem, donec in tempore transfigurationis, videant in qua gloria erunt qui me confitentur. (*Theophylactus.*)



## MEDITATIO CCXLI.

### DIDAGMA QUADRAGESIMUM SEPTIMUM.

**Humilitatem parvulorum imitandam.**

1. — Intravit cogitatio in eos (Apostolos) quis eorum major esset.

At Jesus videns cogitationes cordis illorum. (*Luc. IX. 46, 47.*)

Cum domi essent, interrogabat eos : Quid in via tractabatis?

At illi tacebant : siquidem in via inter se disputaverant, quis eorum major esset. (*Marc. IX. 32, 33.*)

Insidiatur diabolus multimode diligentibus optimam vitam, et si quidem per carnales illecebras obsidere valet alicujus mentem, affectus voluptatum exacuit : si quis hos effugerit laqueos cupidinis, gloriæ suscitat passionem, quæ quidem passio vanæ gloriæ invasit quemdam Apostolorum suorum. (*Cyrillus.*)

Dominus autem, qui novit salvos facere, videns in mente discipulorum super hoc cogitationem exortam, velut quamdam amaritudinis radicem, priusquam augmentum susciperet radicitus eam evellit. (*Cyrillus.*)

II. — In illa hora accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes : Quis putas, major est in regno cœlorum? (*Matth. XVIII. 1.*)

Et residens vocavit duodecim, et ait illis : Si quis vult primus esse erit omnium novissimus, et omnium minister. (*Marc. IX. 34.*)

Tu considera primum quidem, quod nihil eorum quæ sunt in terris quærunt : deinde quod postea hanc passionem deposuerunt. Nos autem neque ad defectus eorum contingere possumus : neque enim quærimus *Quis major est in regno cœlorum?* sed, quis major est in regno terræ?

Notandum est, quod illi euntes disputabant de principatu, ipse sedens docet humilitatem. Principes enim laborant, humiles quiescunt. (*Hieronymus.*)

III. — Advocans Jesus parvulum. (*Matth. XVIII. 2.*) Et accipiens puerum. (*Marc. IX. 35.*) Statuit eum in medio eorum. (*Matth. XVIII. 2.*) Secus se. (*Luc. IX. 47.*)

Quem cum complexus esset ait illis. (*Marc. IX. 35.*)

Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.



Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorum. (*Matth. XVIII. 3, 4.*)

Nam qui minor est inter vos omnes, hic major est. (*Luc. IX. 48.*)

Quisquis unum ex hujusmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit : et quicumque me susceperit, non me suscipit, sed eum, qui misit me. (*Marc. IX. 36.*)

Ipso visu eis persuadens humiles esse, et simplices : etenim ab invidia et vana gloria parvulus mundus exsistit, et a concupiscendo primatum. (*Chrysostomus.*)

Quod autem complectitur puerum significat humiles suo dignos esse complexu. (*Beda.*)

*Nisi conversi fueritis* ab hac elatione et indignatione, in qua modo estis, *et efficiamini* omnes ita innocentes et humiles per virtutem, sicut parvuli sunt per ætatem, *non intrabitis in regnum cœlorum* : et quandoquidem aliter non intratur, quanto quis erit humilior, tanto major efficitur in regno cœlorum. (*Glossa.*)

Adhuc autem magis insinuat præmissi verbi intentionem dicens : *Nam qui minor est, etc.* Quod de modesto dicit, qui nihil sublime de se putat propter honestatem. (*Cyrillus.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Non solum autem ait, Si tales efficiamini, mercedem magnam accipietis; sed et Si alios tales honorabitis propter me. (*Chrysostomus.*)

Sed quia se in pueris recipi docebat, ne putaretur hoc esse solum quod videbatur, subjunxit : *Et quicumque me susceperit*, etc. : talem se utique ac tantum credi volens, qualis et quantus est Pater. (*Beda.*)

## MEDITATIO CCXLII.

### DIDAGMA QUADRAGESIMUM OCTAVUM.

Cavendum a scandalo parvulorum.

I. — Qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit.

Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris. (*Matth. XVIII. 5, 6. — Marc. IX. 41.*)

Væ mundo a scandalis. Necesse est enim ut veniant scandala : verumtamen væ homini illi, per quem scandalum venit. (*Matth. XVIII. 7.*)

Sicut qui hos honorant propter me, mercedem habent, ita et qui hos dehonorant



ultimam sustinebunt vindictam. Si autem convicium scandalum vocat, ne mireris, multi enim pussillanimes ex eo quod despiciuntur, scandalizati sunt. (*Chrysostomus.*)

Recte autem qui scandalizari potest pusillus appellatur : qui enim magnus est, quodcumque passus fuerit, non declinat a fide; qui autem pusillus est animo, et parvus, occasiones quærit quo scandalizetur. Propterea oportet nos maxime his consulere qui parvi sunt in fide, ne occasione nostri offendantur, et recedant a fide, ne decidant a salute. (*Beda.*)

Ex manifestis autem nobis tormentum describit intolerabile, faciens mentionem molæ et submersionis, et non ait; mola suspendatur in collo, sed bonum est ei hoc sustinere; demonstrans quoniam eum gravius aliquod malum exspectat. (*Chrysostomus.*)

*Necesse est ut veniant scandala* quia sunt necessaria, idest utilia, ut per hoc qui probati sunt manifesti fiant. (*Glossa.*)

Væ homini illi qui vitio suo facit, ut per se fiat quod necesse est ut in mundo fiat. Simulque, per generalem sententiam, percutitur Judas qui proditioni animum præparaverat. (*Hieronymus.*)

II. — Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te : abscide eum, et projice abs te : bonum tibi est ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quam duas manus,

vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. (*Matth. XVIII. 8.*)

Ite in gehennam, in ignem inexstinguibilem.

Ubi vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur. (*Marc. IX. 42, 43.*)

Ut autem discas quod non sunt absolutæ necessitatis scandala, audi quæ sequuntur : *Si autem manus tua, etc.* Non autem hoc de membris corporalibus dicit, sed de amicis, quos in ordine necessariorum membrorum habemus : nihil enim est ita nocivum ut conversatio mala. (*Chrysostomus.*)

*Debilem* dicit adjutorio alicujus amici privatum : nam melius est absque amico ire in vitam, quam cum eo ire in gehennam. (*Glossa.*)

III. — Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et projice abs te : bonum tibi est cum uno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. (*Matth. XVIII. 9.*)

Ubi vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur.

Omnis enim igne salietur, et omnis victima sale salietur. (*Marc. IX. 47, 48.*)

Damnati enim in gehenna cruciantur horrendis vermibus et ignibus perpetuis. Quocirca tertio Christus hanc sententiam repetit,



ut terribiles hosce vermes et ignes nobis inculcet, ut eorum horrore scandalum et peccatum omne fugiamus. Causa est, *Omnis enim*, scilicet talis qui gehennæ adjudicandus est *igne salietur*, idest igne uretur et cruciabitur; sed ita ut eodem igne quasi sale servetur incorruptus ad perpetua tormenta. Sal enim et urendi et conservandi vim habet : urit et cruciat adustione, acredine sua servat a corruptione. Idem facit ignis gehennæ, quare apposite comparatur sali.

Sicut omnis victima Dei solet sale saliri, ex lege, (*Levit. II. 3.*) sic quilibet gehennæ adjudicandus, erit quasi victima justitiæ et vindictæ Dei in perpetuum, ideoque igne inexstinguibili velut sale salietur; id est uretur et cruciabitur ac simul incorruptus in igne perdurabit. (*Cornelius a lapide Com. in Marcum. Cap. IX. 48.*)

IV. — Videte ne contemnatis unum ex his pusillis : dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est. (*Matth. XVIII. 10.*)

Salvandorum igitur per Christum orationes Angeli Deo quotidie offerunt : ergo periculose ille contemnitur cujus desideria ac postulationes ad æternum et invisibilem Deum Angelorum famulatu ac ministerio pervehuntur. (*Hilarius.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## MEDITATIO CCXLIII.

### DIDAGMA QUADRAGESIMUM NONUM.

### De correptione fraterna.

I. — Si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum solum : si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. (*Matth. XVIII. 16.*)

Quando ergo in nos aliquis peccat, habeamus magnam curam, non pro nobis, nam gloriosum est injuriam oblivisci; sed obliviscere injuriam tuam, non vulnus fratris tui : ergo corripe inter te et ipsum solum studens correctioni, parcens pudori. Forte enim præ verecundia incipit defendere peccatum suum, et quem vis facere correctiorem, facis pejorem. (*Augustinus.*)

Ergo propter illum fac ut lucreris illum. Agnosce, quia in hominem peccando periisti : nam si non perieras, quomodo te lucratus est? Nemo ergo contemnat quando peccat in fratrem. (*Augustinus.*)

II. — Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum. (*Matth. XVIII. 16.*)



Vide qualiter non vindictæ gratia hæc correptio fit, sed emendationis : et propter hoc non confestim jubet duos accipere, sed quando ipse corrigi non voluerit : neque tunc ad eum mittit multitudinem, sed unum vel duos; et ad hoc legis testimonium inducit, dicens : *ut in ore duorum, etc.* Habes testimonium quia totum fecisti quod tuum erat. (*Hieronymus.*)

III. — Quod si non audierit eos : dic Ecclesiæ : si autem Ecclesiam non audierit : sit tibi sicut ethnicus, et publicanus. (*Matth. XVIII. 17.*)

Porro si nec illos audire voluerit, tunc multis dicendum est, ut detestationi eum habeant; ut qui non potuit pudore salvari, salvetur opprobriis.

*Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Id est noli illum jam deputare in numero fratrum tuorum : nec sic tamen salus ejus negligenda est : nam et ipsos ethnicos, idest gentiles et paganos, in hoc numero quidem non deputamus, sed tamen eorum salutem semper inquirimus. (*Augustinus.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
RED INTERNACIONAL DE BIBLIOTECAS

## MEDITATIO CCXLIV.

### DIDAGMA QUINQUAGESIMUM.

**De castitate quam suadet Christus.**

I. — Dicunt Jesu discipuli ejus : Si ita est causa hominis cum uxore non expedit nubere.

Qui dixit illis : Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. (*Matth. XIX. 10, 11.*)

Ideo non omnes capere possunt, quia non omnes volunt. Palma proposita est : qui concupiscit gloriam non cogitat de labore. Nemo vinceret, si omnes periculum timerent. Ex eo ergo quod quidam a proposito continentiæ cadunt, non debemus circa virtutem castitatis fieri pigriores : sicut qui in pugna cadunt non exanimant ceteros. Quod ergo dicit, *quibus datum est*, illud ostendit; quia nisi auxilium gratiæ acciperemus, nihil nobis valeret. Hoc autem auxilium gratiæ volentibus non denegatur : dicit enim Dominus supra VII, " Petite, et accipietis. " (*Chrysostomus.*)

II. — Sunt enim eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt : et sunt eunuchi qui facti sunt ab hominibus. (*Matth. XIX. 12.*)



In uno eorum posuit naturam, scilicet in eo qui nascitur : in altero necessitatem, scilicet in eo qui factus est; in tertio voluntatem, qui scilicet spe regni cœlestis talis esse decreverit. (*Hilarius.*)

Possumus et aliter dicere. Eunuchi sunt ex matris utero qui frigidiores natura sunt, nec libidinem appetentes; et alii qui ab hominibus fiunt, idest persuasione hæretica simulant castitatem, ut mentiantur religionis veritatem. Sed nullus eorum consequitur regnum cœlorum, nisi qui se propter Christum castraverit. (*Hieronymus.*)

III. — Et sunt eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere capiat. (*Matth. XIX. 12.*)

Cum autem dicit, *qui se castraverunt*, non membrorum dicit abscissionem, sed malarum cogitationum interemptionem. (*Chrysostomus.*)

Prosequitur : *Qui potest capere capiat :* ut unusquisque consideret vires suas, utrum possit virginalia et pudicitiæ implere præcepta. Quæ hortantis Domini vox est, et milites suos ad pudicitiæ præmium concitantis, quasi : qui potest pugnare, pugnet, et superet, ac triumphet. (*Hieronymus.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## MEDITATIO CCXLV.

### DIDAGMA QUINQUAGESIMUM PRIMUM.

**Divites difficulter salvari.**

I. — Jesus dixit discipulis suis : Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cœlorum. (*Matth. XIX. 23.*)

Quam difficile qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt. (*Marc. X. 23. — Luc. XVIII. 24.*)

Discipuli autem obstupescebant in verbis ejus. At Jesus rursus respondens ait illis : Filioli, quam difficile est, confidentes in pecuniis, in regnum Dei introire. (*Marc. X. 24.*)

Et iterum dico vobis : Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum. (*Matth. XIX. 24. — Marc. X. 25. — Luc. XVIII. 25.*)

Inter pecunias habere et pecunias amare nonnulla distantia est : tutius autem est nec habere nec amare divitias. (*Rabanus.*)

Unde Dominus in Marco exponens hujus loci sensum dixit : *Difficile est confidentibus*, et illi enim in divitiis confidunt qui omnem suam spem in divitiis collocant. (*Remigius.*)



Quia vero divitiæ habitæ difficile contemnuntur, non dixit quod impossibile est divitem intrare in regnum cœlorum, sed difficile. Ubi difficile ponitur, non impossibilitas prætenditur, sed raritas demonstratur. (*Hieronymus.*)

Secundum hoc quod dicit : *Facilius est camelum*, etc, nullus divitum salvus erit. Sed si legamus Isaiam; quomodo cameli Madian et Epha venient ad Hierusalem cum donis atque muneribus, et qui quondam curvi erant et vitiorum gravitate distorti ingrediantur portas Hierusalem ; videbimus quomodo et isti cameli, quibus divites comparantur, cum deposuerint gravem sarcinam peccatorum et totius corporis pravitatem, intrare possunt per angustam et arctam viam quæ ducit ad vitam. (*Hieronymus.*)

II. — Auditis autem his, discipuli mirabantur valde, dicentes (*Matth. XIX. 25.*) ad semetipsos : Et quis potest salvus fieri? (*Marc. X. 26. — Luc. XVIII. 26.*)

Discipuli inopes exsistentes turbantur pro salute aliorum, dolentes et doctorum jam viscera assumentes. (*Chrysostomus.*)

Cum autem pauci sint divites in comparatione multitudinis pauperum, intelligendum est, quod omnes qui divitias cupiunt in divitum numero haberi discipuli animadverterunt. (*Augustinus.*)

III. — Adspiciens autem (illos, *Marc. X. 27.*) Jesus dixit illis : Apud homines hoc impossibile est. (*Matth. XIX. 26.*) Sed non apud Deum. (*Marc. X. 27.*)

Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum. (*Luc. XVIII. 27.*)

Per hoc quod dicit, *adspiciens*, significat Evangelista, quod mansueto oculo timidam eorum mentem mitigavit.

Dei autem opus hoc esse consequenter ostendit, quoniam multa opus est gratia ut homo in divitiis dirigatur. Neque etiam hoc ideo dicitur ut resupinus jaceas, et sicut ab impossibilibus abstineas : sed magnitudinem justitiæ considerans insilias, Deum rogans. (*Chrysostomus.*)

## MEDITATIO CCXLVI.

### DIDAGMA QUINQUAGESIMUM SECUNDUM.

**Præmium eorum qui omnibus relictis Christum sequuntur.**

I. — Tunc respondens Petrus, dixit ei : Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te : quid ergo erit nobis? (*Matth. XIX. 27.* — *Marc. X. 28.* — *Luc. XVIII. 28.*)



Qualia omnia, o beate Petre? arundinem, rete, navigium. Omnia quidem hæc dicit, non propter munificentiam, sed ut per interrogationem hanc inopem inducat plebem. Quia enim Dominus dixerat, *si vis perfectus esse;* ne dicat aliquis inopum : Quid igitur si non habuero, non possum esse perfectus? interrogat Petrus, ut tu inops discas quoniam in nullo hinc diminutus es. (*Chrysostomus.*)

II. — Jesus autem dixit illis : Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. (*Matth. XIX. 28.*)

Manifestum est ergo quod conregnabunt ei et communicabunt in gloria illa : honorem enim et gloriam ineffabilem significavit per thronos. Qualiter autem hæc promissio completa est? Numquid enim et Judas sedebit? Nequaquam. Non simpliciter eis promisit, neque enim dixit : vos sedebitis; sed adjunxit : *qui secuti estis me :* ut et hinc Judam excludat, et eos qui postea futuri erant attraheret : non enim ad illos solos dictum est, neque ad Judam jam indignum effectum. (*Chrysostomus.*)



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

III. — Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum (propter me, et propter Evangelium, *Marc. X. 29.*) (propter regnum Dei, *Luc. XVIII. 29.*) centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit. (*Matth. XIX. 29.*)

Nemo est ... qui non accipiat centies tantum, nunc in tempore hoc : domos et fratres, et sorores, et matres, et filios, et agros, cum persecutionibus, et in sæculo futuro, vitam æternam. (*Marc. X. 29, 30.*)

Multi autem erunt primi novissimi, et novissimi primi. (*Matth. XIX. 30. — Marc. X. 31.*)

Si quis reliquerit omnia, et secutus fuerit Christum ; quæ promissa sunt Petro, et ipse recipiet. Si autem non omnia reliquit sed quædam quæ specialiter referuntur : hic multiplicia recipiet, et vitam possidebit æternam. (*Origenes.*)

Est quidem centies tantum merces secundum communicationem, et non secundum possessionem : hoc enim adimplevit eis Dominus non corporaliter, sed alio quodam modo. (*Chrysostomus.*)

Uxor enim in domo, circa viri cibum negotiatur et vestimenta. Vide igitur hoc et in



Apostolis : multæ enim mulieres sollicitæ erant de eorum cibo et vestimentis, et ministrabant eis. Similiter et patres et matres plurimos Apostoli habuerunt, scilicet eos qui ipsos diligebant : sed et Petrus unam relinquens domum, postea omnium discipulorum domos habebat. Et majus est; quia cum persecutionibus hæc omnia possidebunt sancti, si persecutionem sint passi et angustiati, propter quod sequitur : *Multi autem erunt primi*, etc. Pharisæi enim primi exsistentes, facti sunt novissimi, qui vero omnia reliquerunt, et Christum secuti sunt, fuerunt novissimi in sæculo isto per angustias et persecutiones : sed erunt primi per spem quæ est in Deum. (*Theophylactus.*)

## MEDITATIO CCXLVII.

### DIDAGMA

### QUINQUAGESIMUM TERTIUM.

#### Adhortatio ad submissionem.

I. — Audientes decem cœperunt indignari de Jacobo et Joanne (petentibus ut sedeant, unus ad dexteram, alter ad sinistram in regno Christi.)

Jesus autem vocans eos (ad se, *Matth. XX, 25.*) ait illis : Scitis quia hi, qui vi-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dentur principari gentibus dominantur eis : (*Marc. X. 41, 42.*) Et qui majores sunt (principes eorum, *Marc. X. 42.*) potestatem exercent in eos. (*Matth. XX. 25.*)

Sicut autem duo carnaliter petierunt : ita et decem carnaliter contristati sunt : nam velle quidem esse super omnes vituperabile est : sustinere autem alium super se minus est gloriosum. (*Chrysostomus.*)

Humilis autem magister et mitis nec cupiditatis duos arguit, nec decem reliquos indignationis increpat et livoris. (*Hieronym.*)

Quia enim turbati erant, vocatione eos consolatur, de propinquo eis loquendo. (*Chrysostomus.*)

Ostendit autem quod Gentilium est primatus cupere : et sic Gentium comparatione eorum animam æstuantem convertit. (*Chrysostomus.*)

II. — Non ita erit inter vos : sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister :

Et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus. (*Matth. XX. 26, 27.*) Erit omnium servus. (*Marc. X. 44.*)

Frustra igitur aut illi immoderata quæsierant, aut isti dolent super majorum desiderio, cum ad summitatem virtutum non potentia, sed humilitate veniatur. (*Beda.*)



III. — Nam et Filius hominis non venit ut ministraretur ei, sed ut ministraret et daret animam suam redemptionem pro multis. (*Marc. X. 45. — Matth. XX. 28.*)

Qui se exaltaverit, humiliabitur : et qui se humiliaverit exaltabitur. (*Matth. XXIII. 12.*)

Proponit exemplum : ut si dicta parvi penderent, erubescerent ad opera. (*Beda.*)

Nam etsi Angeli et Martha ministraverunt ei, tamen non ideo venit ut ministraretur, sed ut ministret : et tantum venit ministrans, ut impleretur quod sequitur, *et daret animam suam*, etc. (*Origenes.*)

Quod majus est quam ministrare. Cum enim aliquis pro eo cui ministrat moritur, quid isto potest esse majus et mirabilius? Sed tamen ista ministratio et humilitatis descensus gloria ejus erat et omnium : ante enim quam homo fieret, solum ab Angelis agnoscebatur ; cum autem factus est homo et crucifixus est, non tantum ipse gloriam habet, sed et alios in participationem suæ gloriæ suscepit, et dominatus est per fidem orbi terræ. (*Theophylactus.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## MEDITATIO CCXLVIII.

### DIDAGMA QUINQUAGESIMUM QUARTUM.

De tributo Cæsari pendendo.

I. — Abeuntes Pharisæi, consilium inierunt ut caperent eum in sermone. (*Matth. XXII. 15.*)

Et observantes miserunt insidiatores. (*Luc. XX. 20.*) Quosdam ex Pharisæis. (*Marc. XII. 13.*) Discipulos suos cum Herodianis. (*Matth. XXII. 16.*)

Qui se justos simularent, ut caperent eum in sermone, ut traderent illum principatui, et potestati præsidis. (*Luc. XX. 20.*)

Quærentes Dominum comprehendere summi sacerdotes timuerunt turbam : atque ideo quod per se non potuerunt, a terrenis potestatibus efficere tentabant, ut vel ipsi a morte ejus viderentur immunes. (*Beda.*)

Paraverunt autem Domino laqueos : illaqueati sunt tamen in eis pedes eorum. (*Theophylactus.*)

II. — Qui venientes (*Marc. XII. 14.*) interrogaverunt eum dicentes. (*Luc. XX. 21.*)

Magister, scimus quia verax es. (*Matth. XXII. 16.*) Quia recte dicis et doces.



(*Luc. XX. 21.*) Et non est tibi cura de aliquo : non enim respicis personam hominum. (*Matth. XXII. 16.*) Nec vides in faciem hominum, sed in veritate viam Dei doces. (*Marc. XII. 14.*)

Dic ergo nobis, quid tibi videtur, licet censum dare Cæsari, an non? (*Matth. XXII. 17.*)

Licet nobis tributum dare Cæsari? (*Luc. XX. 22.*) An non dabimus? (*Marc. XII. 14.*)

Tripliciter contingit aliquem veritatem non docere. Primo ex parte ipsius docentis : quia scilicet veritatem vel non novit, vel non curat; et contra hoc dicunt : *scimus quia verax es.* Secundo ex parte Dei, cujus timore post posito, quidam veritatem de eo, quam noverunt, non pure annuntiant : et contra hoc dicunt : *et viam Dei in veritate doces.* Tertio ex parte proximi, ex cujus timore vel amore aliquis veritatem tacet; et ad hoc excludendum dicunt : *et non est tibi cura de aliquo*, scilicet homine : *non enim respicis personam hominum.* (*Glossa.*)

Blanda autem et fraudulenta interrogatio, illuc provocat respondentem ut magis Deum quam Cæsarem timeat, et dicat non debere tributa solvi; ut statim audientes herodiani, seditionis contra Romanos auctorem habeant. (*Beda.*)

III.– Considerans autem dolum illorum. (*Luc. XX. 23.*) Et cognita Jesus nequitia eorum, ait : Quid me tentatis hypocritæ? Ostendite mihi numisma census? (*Matth. XXII. 18, 19.*) Afferte mihi denarium, ut videam. (*Marc. XII. 15.*)

At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis Jesus : Cujus est imago hæc et superscriptio?

Dicunt ei : Cæsaris. (*Matth. XXII. 20, 21. — Marc. XII. 16.*)

Non secundum sermones eorum pacificos blande respondit; sed secundum conscientiam eorum crudelem, aspera dixit : quia Deus voluntatibus respondet, non verbis.

Dicit ergo eis, *hypocritæ*, ut considerantes eum humanorum cordium cognitorem, quod facere cogitabant perficere non auderent. Vide ergo quod Pharisæi blandiebantur ut perderent; sed Jesus confundebat eos ut salvaret, quia utilior est homini Deus iratus quam homo propitius. (*Chrysostomus.*)

IV. — Respondens autem Jesus. (*Marc. XII. 17.*) Tunc ait illis : Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo. (*Matth. XXII. 21. — Marc. XII. 17. — Luc. XX. 25.*)

Et audientes mirati sunt. (*Matth. XXII. 22.* — Super eo. *Marc. XII. 17.*)



Et non potuerunt verbum ejus reprehendere coram plebe, tacuerunt. (*Luc. XX. 26.*)

Et relicto eo abierunt. (*Matth. XXII. 22.*)

Quasi dicat : Verbis tentatis, operibus obedite : subiistis Cæsaris servitutem, suscepistis quæ ejus sunt, date ergo illi censum, Deo timorem : non exigit Deus denarium, sed fidem. (*Titus.*)

Reddas ergo numisma regium Regi. Deus etiam tibi tradidit intellectum et rationem : restituas hoc ei, non comparatus bestiis, sed in omnibus rationabiliter procedens. (*Theophylactus.*)

Qui autem credere debuerant ad tantam sapientiam, mirati sunt, quod calliditas eorum insidiandi non invenisset locum. (*Beda.*)

## MEDITATIO CCXLIX.

### DIDAGMA QUINQUAGESIMUM QUINTUM.

### Primum et maximum legis mandatum.

I. — Pharisæi audientes quod silentium imposuisset Sadducæis, convenerunt in unum.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Et interrogavit eum unus ex eis legis doctor, tentans eum :

Magister, quod est mandatum magnum in lege? (*Matth. XXII. 34, 35, 36.*)

Tentans dicebat, *Magister*, quoniam non tamquam discipulus Christi proferebat hanc vocem. Si quis ergo non discit aliquid a Verbo, nec tradit se ei ex toto animo suo; dicit autem ei, *Magister*, frater Pharisæi est Christum tentantis. Cum ergo ante Salvatoris adventum legeretur lex, forsitan quærebatur quod est mandatum magnum in ea : neque enim interrogasset hoc Pharisæus, ni diu apud illos de hoc quæsitum fuisset et non inventum; donec veniens Jesus, hoc doceret. (*Origenes.*)

II. — Jesus autem respondit ei : Quia primum omnium mandatum est : Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est :

Et diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et ex tota virtute tua. (*Marc. XII. 29, 30.*)

Hoc est maximum et primum mandatum. (*Matth. XXII. 38.*)

Secundum autem simile est illi : Diliges proximum tuum tamquam teipsum.



Majus horum aliud mandatum non est. (*Marc. XII. 31.*)

In his duobus mandatis universa lex pendet et prophetæ. (*Matth. XII. 40.*)

Si tentanti Pharisæo Dominus non respondisset, æstimare possemus non esse unum mandatum majus altero. Sed Dominus respondens subdit : *Hoc est maximum et primum mandatum*, ubi discimus sententiam de mandatis; quod est magnum, et sunt inferiora usque ad minima. Respondet autem Dominus non solum, quod est magnum mandatum, sed etiam primum, non pro ordine Scriptoris, sed pro dignitate virtutis. Hi autem soli, hujus mandati in se suscipiunt magnitudinem et primatum, qui non solum diligunt Dominum Deum suum, sed etiam illa tria susceperint, scilicet *ex toto corde*, etc. Docuit autem quod non solum et magnum et primum, sed etiam quod esset secundum simile priori. (*Origenes.*)

Qui autem hominem amat, simile est sicut qui Deum amat : quia imago Dei est homo, in quo Deus diligitur, sicut rex in sua imagine honoratur. Et propter hoc dicitur hoc mandatum simile esse primo.

Ad duo hæc præcepta pertinet totus decalogus : præcepta quidem primæ tabulæ ad dilectionem Dei : præcepta secundæ ad dilectionem proximi. (*Rabanus.*)

III. — Et ait illi Scriba : Bene Magister, in veritate dixisti, quia unus est Deus, et non est alius præter eum.

Et ut diligatur ex toto corde, et ex toto intellectu, et ex tota anima, et ex tota fortitudine : et diligere proximum tamquam seipsum, majus est omnibus holocautomatibus, et sacrificiis. (*Marc. XII. 32, 33.*)

Ostendit (Scriba) ex hoc quod dicit, gravem sæpe inter scribas et pharisæos quæstionem esse versatam; quod esset mandatum primum, sive maximum divinæ legis : quibusdam videlicet hostias et sacrificia laudantibus : aliis vero fidei et dilectionis opera præferentibus : eo quod plurimi patrum, ante legem, ex fide tantum, quæ per dilectionem operatur placerent Deo. In hac sententia Scriba iste se fuisse declarat. (*Beda.*)

IV. — Jesus autem videns quod sapienter respondisset, dixit illi : Non es longe a regno Dei. Et nemo jam audebat eum interrogare. (*Marc. XII.34.*)

Ideo non fuit longe a regno Dei, quia sententia illius quæ novi testamenti et evangelicæ perfectionis est propria, fautor exstitisse probatus est. (*Beda.*)



Quia in sermonibus confutati sunt, ultra non interrogant; sed apertissime comprehensum Romanæ tradunt potestati : ex quo intelligimus, venena invidiæ posse quidem superari, sed difficile conquiescere. (*Beda.*)

## IDEM, VEL SIMILE DIDAGMA.

(Luc. X.)

I. — Ecce quidam legisperitus surrexit tentans illum, et dicens : Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo? (*Luc. X. 25.*)

Volens legisperitus seducere Christum, ut aliquid contra Moysen loqueretur, adest tentans ipsum, Magistrum vocans, doceri non patiens. Et quia Dominus solitus erat, his qui veniebant ad eum loqui de vita æterna, utitur legisperitus ejus eloquiis. Et quia tentabat astute, nihil aliud audit nisi quæ per Moysen edita sunt. (*Cyrillus.*)

II. — At ille dixit ad eum : In lege quid scriptum est? Quomodo legis?

Ille respondens dixit : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua : et proximum tuum sicut teipsum. (*Luc. X. 26, 27.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

Hoc igitur intelligendum est, quod oportet nos omnem virtutem animæ, amori divino subjicere, et hoc viriliter, et non remisse : unde additur : *et ex omnibus viribus tuis.* (*Theophylactus.*)

Cum hac igitur intentione trinam ad Deum dilectionem lex pertractat, ut avellat nos a trina mundi habitudine, qua respicitur ad possessiones, ad gloriam et ad voluptates, in quibus etiam tentatus est Christus. (*Maximus.*)

Tu autem attende,qualiter fere cum eodem excessu postulat utrumque præceptum : de Deo enim ait : Toto corde tuo; de proximo, sicut teipsum : quod si diligenter observaretur, nec servus esset nec liber, nec victor nec victus, nec dives, nec pauper, nec notus unquam esset diabolus : potius enim paleæ ignis sustinerent immissionem, quam fervorem caritatis diabolus : adeo cuncta superat dilectionis constantia. (*Chrysostomus.*)

III. — Dixitque illi : Recte respondisti : fac hoc, et vives. (*Luc. X. 28.*)

Ex his indubitanter colligitur, quod vita quæ prædicatur,secundum mundi Creatorem Deum et antiquas scripturas ab eo traditas, vita perpetua est : attestatur enim Dominus sumens ex Deuteronomii (*Cap. VI.*) quidem illud, *Diliges Dominum Deum tuum :* ex Levitici vero (*Cap. XIX.*) illud, *Diliges proximum sicut teipsum.* (*Origenes.*)



## MEDITATIO CCL.

### DIDAGMA QUINQUAGESIMUM SEXTUM.

**Obediendum legitimis ductoribus etsi malis.**

I. — Audiente omni populo, dixit Jesus discipulis suis :

Attendite a Scribis. (*Luc. XX. 45, 46.*) Cavete a Scribis, qui volunt in stolis ambulare, et salutari in foro.

Et in primis cathedris sedere in synagogis, et primos discubitus in cœnis.

Qui devorant domos viduarum sub ostentu prolixæ orationis. (*Marc. XII. 38, 39, 40.*)

Simulantes longam orationem. (*Luc. XX. 47.*)

Hi accipient prolixius judicium. (*Marc. XII. 40.*)

Damnationem majorem. (*Luc. XX. 47.*)

Quia eos (discipulos) orbis doctores mittebat, merito monet non esse eis imitandam Pharisæorum ambitionem. (*Theophylactus.*)

Idest cultioribus vestimentis induti ad publicum procedere : in quo inter cetera dives peccasse describitur. (*Beda.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® GENERAL DE BIBLIOTECAS

Non solum autem laudes ab hominibus, verum etiam pecunias quærunt. Sunt enim qui se justos simulantes, a peccatorum suorum conscientia turbatis, quasi patroni pro eis in judicio futuri, pecunias accipere non dubitant : et cum porrecta manus pauperi preces juvare soleat, illi ob hoc maxime in precibus pernoctant, ut pauperi nummum tollant. (*Theophylactus.*)

*Hi accipiunt majorem damnationem*, quia non solum malum faciunt, sed orationes prætendunt, et virtutem faciunt pravitatis excusationem; viduas etiam depauperant, quarum oportebat misereri, dum ob sui præsentiam eas cogunt expendere. (*Theophyl.*)

Vel quia laudes ab hominibus et pecunias quærunt, majori damnatione plectuntur. (*Beda.*)

II. — Tunc Jesus locutus est ad turbas, et ad discipulos suos, dicens : Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi.

Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate, et facite : secundum opera vero eorum nolite facere : dicunt enim et non faciunt. (*Matth. XXIII. 1, 2, 3.*)

Quid est autem doctore illo miserabilius, cujus vitam discipuli cum non sequuntur salvantur, cum imitantur perduntur? (*Origenes.*)



Sicut autem aurum de terra eligitur, et terra relinquitur; sic et auditores doctrinam accipiant, et mores relinquant; frequenter enim de homine malo bona doctrina procedit. Sicut autem sacerdotes melius judicant, propter bonos, malos docere; quam propter malos, bonos negligere; sic et subditi propter bonos sacerdotes, etiam malos honorent; ne propter malos etiam boni contemnantur : Melius est enim malis injusta præstare, quam bonis justa subtrahere. (*Chrysostomus.*)

III. — Alligant enim onera gravia, et importabilia, et imponunt in humeros hominum : digito autem suo nolunt ea movere.

Omnia vero opera sua faciunt ut videantur ab hominibus : dilatant enim phylacteria sua, et magnificant fimbrias. (*Matth. XXIII. 4, 5.*)

Tales autem sunt qui grave pondus venientibus ad pœnitentiam imponunt : et sic dum pœna præsens fugitur, contemnitur pœna futura. Si enim fascem super humeros adolescentis quem non potest bajulare posueris; necesse habet ut aut fascem rejiciat, aut sub pondere confringatur : sic et homini cui grave pondus pœnitentiæ imponis, necesse est ut, aut pœnitentiam rejiciat, aut suscipiens, dum sufficere non potest scan-

dalizatus amplius peccet. Deinde etsi erramus modicam pœnitentiam imponentes : nonne melius est propter misericordiam reddere rationem, quam propter crudelitatem? (*Chysostomus.*)

In omni re nascitur quod ipsum exterminat, sicut ex ligno vermis, et ex vestimento tinea : Unde sacerdotum ministerium qui positi sunt ad ædificationem sanctitatis, corrumpere diabolus nititur, ut hoc ipsum bonum, dum propter homines fit, fiat malum. (*Chrysostomus.*)



# PARS SEXTA.

## De sanctissima Passione Domini nostri Jesu Christi.

### ADHORTATIO.

Apud Altissimum sit cogitatio tua, et deprecatio tua ad Christum sine intermissione dirigatur.

Si nescis speculari alta et cœlestia, requiesce in Passione Christi : et in sacris vulneribus ejus libenter habita.

Si enim ad vulnera et pretiosa stigmata Jesu devote confugis, magnam in tribulatione confortationem senties : nec multum curabis hominum despectiones, faciliterque verba detrahentia perferes. (*De Imitatione Christi, L. II. c. 1, 4.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dalizatus amplius peccet. Deinde etsi erramus modicam pœnitentiam imponentes : nonne melius est propter misericordiam reddere rationem, quam propter crudelitatem? (*Chysostomus.*)

In omni re nascitur quod ipsum exterminat, sicut ex ligno vermis, et ex vestimento tinea : Unde sacerdotum ministerium qui positi sunt ad ædificationem sanctitatis, corrumpere diabolus nititur, ut hoc ipsum bonum, dum propter homines fit, fiat malum. (*Chrysostomus.*)



# PARS SEXTA.

## De sanctissima Passione Domini nostri Jesu Christi.

### ADHORTATIO.

Apud Altissimum sit cogitatio tua, et deprecatio tua ad Christum sine intermissione dirigatur.

Si nescis speculari alta et cœlestia, requiesce in Passione Christi : et in sacris vulneribus ejus libenter habita.

Si enim ad vulnera et pretiosa stigmata Jesu devote confugis, magnam in tribulatione confortationem senties : nec multum curabis hominum despectiones, faciliterque verba detrahentia perferes. (*De Imitatione Christi, L. II. c. 1, 4.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## MEDITATIO CCLI.

**Passio Domini nostri Jesu Christi, matri ipsius a Simeone prædicitur.**

I. — In illo tempore : Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi, tulerunt Jesum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini : Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur :

Et ut darent hostiam secundum quod dictum est in lege Domini par turturum, aut duos pullos columbarum.

Et ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon, et homo iste justus, et timoratus, exspectans consolationem Israel, et Spiritus sanctus erat in eo.

Et responsum acceperat a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini.

Et venit in spiritu in templum. Et cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo :

Et ipse accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum, et dixit :



Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace :

Quia viderunt oculi mei salutare tuum,

Quod parasti ante faciem omnium populorum

Lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuæ Israel.

Et erat pater ejus et mater mirantes super his, quæ dicebantur de illo. (*Luc. II. 22-33.*)

Attende sagacitatem digni et venerandi senis : antequam dignus videretur beatæ visionis, præstolabatur solamen Israel; ut autem quod sperabat obtinuit, exclamat se vidisse salutem omnium populorum : adeo enim infantis ineffabile jubar illustravit eum, ut processu temporis secutura mox sibi fierent nota. (*Græcus.*)

II. — Et benedixit illis Simeon, et dixit ad Mariam matrem ejus : Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel : et in signum, cui contradicetur. (*Luc. II. 34.*)

*Signum* vexillum significat; quasi dicat : Sua prædicatione vexillum eriget, quod multi impugnare, et, si possent, evertere conabuntur. Sic Paulo dicebant (*Act. XXVIII.*

22.) " De secta hac notum est nobis quia ubique ei contradicitur. " Vel signum idem est ac scopus quem omnes sagittis petent. (*Menochius ibid.*)

Signum contradictionem accipiens proprie Crux dicitur a Scriptura. " Fecit enim inquit (*Num. XXI.*) Moyses serpentem æneum, et posuit pro signo. " (*Basilius.*)

Miscet autem dedecus gloriæ. Hujus enim rei nobis Christicolis est hoc signum indicium ; contradictionis vero, dum ab his quidem accipitur ut ridiculosum et horribile, ab his vero admodum venerandum. (*Gregorius Nyssenus.*)

III. — Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. (*Luc. II. 35.*)

Illi contradicetur usque ad cruciatus et mortem : quare diro admodum dolore quasi gladio fodieris. (*Menochius ibid.*)

Nulla docet historia beatam Mariam ex hac vita gladii occasione migrasse : præsertim cum non anima sed corpus ferro soleat interfici : unde restat intelligi gladium illum de quo dicitur (*Psal. LVIII.*) " Et gladius in labiis eorum " : hoc est, dolorem dominicæ Passionis animam ejus pertransisse : quæ etsi Christum utpote Dei Filium sponte propria mori, mortemque ipsam non dubitaret esse devicturum ; ex sua tamen carne procreatum, non sine doloris affectu potuit videre crucifigi. (*Origenes.*)



Sed nec ipsam solam in ea passione occupari significat. Quod dicit *ut* eventum designat : non autem causaliter ponitur. His enim omnibus evenientibus secuta est erga multos intentionum detectio : quidam enim Deum fatebantur in cruce ; alii nec sic ab infamiis et criminationibus desistebant. (*Gregorius Nyssenus.*)

Sed et usque ad consummationem sæculi, præsentis Ecclesiæ animam gladius durissimæ tribulationis pertransire non cessat ; cum signum fidei ab improbis contradici ; cum audito Dei verbo multos cum Christo resurgere, sed plures a credulitate ruere gemebunda pertractat : cum revelatis multorum cordium cogitationibus, ubi optimum Evangelii semit semen, ibi zizania vitiorum vel plus justo prævalere, vel sola germinare conspicit. (*Beda.*)

## MEDITATIO CCLII.

### Christus mortem et resurrectionem suam prædicit Judæis.

I. — Judæi dixerunt ei : (Jesu, cum ejecisset de templo vendentes) Quod signum ostendis nobis quia hæc facis?

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Respondit Jesus, et dixit eis : Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. (*Joan. II, 18, 19.*)

Quia signum quærebant a Domino, quare solita commercia projicere debuerit ex templo, respondit : quia ipsum templum significabat templum corporis sui, in quo nulla prorsus esset alicujus macula peccati. Quasi dicat : Sicut inanimatum templum a vestris commerciis sceleribusque mea expio potestate : ita et hoc corporis mei templum cujus istud gestat figuram, vestris manibus dissolutum, tertia die resuscitabo. (*Beda.*)

Nequaquam tamen illos ad homicidium provocat dicens, *Solvite* ; sed hoc eis affectantibus non sibi esse absconditum demonstrat. (*Theophylactus.*)

II. — Dixerunt ergo Judæi : Quadraginta et sex annis ædificatum est templum hoc, et tu in tribus diebus excitabis illud? (*Joan. II. 20.*)

Notandum, quod non de prima ædificatione, quæ a Salomone septem annis perfecta est, sed de reædificatione, quæ facta est sub Zorobabel per quadraginta et sex annos, impedientibus inimicis, respondebant. (*Alcuinus.*)

III. — Ille autem dicebat de templo corporis sui.



Cum ergo resurrexisset a mortuis, recordati sunt discipuli ejus, quia hoc dicebat, et crediderunt Scripturæ, et sermoni quem dixit Jesus. (*Joan. II. 21, 22.*)

Duo autem erant quæ obstabant discipulis ne interim intelligerent : unum, ipsa resurrectio : alterum vero, quod majus erat, scilicet quod Deus erat qui in illo corpore habitabat : quod Dominus occulte ostenderat dicens : *Solvite*, etc , *et excitabo illud.* (*Chrysostomus.*)

## MEDITATIO CCLIII.

**Christus de sui, serpentis instar ærei, exaltatione Nicodemum edocet.**

I. — Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto : ita exaltari oportet Filium hominis :

Ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. (*Joan. III. 14, 15.*)

Videas ergo figuram ad veritatem : ibi enim serpentis similitudo speciem quidem bestiæ habet, venenum autem non habet : sic et hic Christus a peccato liber, in similitudinem peccati venit. *Exaltari* autem audiens, suspensionem intelligas in altum, ut

sanctificaret aerem qui sanctificaverat terram ambulando in ea. (*Theophylactus.*)

Sicut ergo tunc qui conspiciebat exaltatum serpentem a veneno sanabatur, et a morte liberabatur ; sic nunc qui conformatur similitudini mortis Christi per fidem baptismumque ejus; et a peccato per justificationem, et a morte per resurrectionem liberatur. Hoc autem interest inter figuratam imaginem et rem ipsam : quod illi sanabantur a morte ad temporalem vitam; hi autem, ut habeant vitam æternam. (*Augustinus.*)

II. — Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret : ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. (*Joan. III. 16.*)

Ne mireris quoniam ego debeo exaltari, ut vos salvemini : etenim et Patri hoc videtur : quia ita nos dilexit, ut pro servis indevotis Filium dederit. Dicendo autem, *Sic Deus dilexit mundum*, multam indicat amoris intensionem. Multa enim est et infinita distantia : qui enim immortalis, qui sine principio, qui magnitudo infinita, eos qui sunt ex terra et cinere, infinitis plenos peccatis dilexit. Sed et ea quæ post hoc ponit, ostensiva sunt magni amoris : non enim servum, non Angelum, non Archangelum dedit, sed Filium suum. Rursus, si filios plures



habuisset et dedisset unum, hoc etiam esset maximum : nunc vero Filium unicum dedit. (*Chrysostomus.*)

Est autem maxima utilitas consecuta ex hujusmodi datione, mentem excedens humanam : *ut omnis qui credit*, etc. Vetus namque testamentum, his qui servabant illud, dierum longitudinem promittebat : evangelium vero æternam et insolubilem vitam. (*Theophylactus.*)

III. — Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. (*Joan. III. 17.*)

Sed considerandum, quod duo sunt Christi adventus : qui jam factus est, et qui futurus. Et prior quidem factus est, non ut judicet quæ facta sunt a nobis, sed ut dimittat. Secundus autem, non ut dimittat, sed ut judicet. (*Chrysostomus.*)

## MEDITATIO CCLIV.

**Christum passurum comprehendere nemo potest ante tempus præfinitum.**

I. — Dicebant ergo quidam ex Jerosolymis : Nonne hic est, quem quærunt interficere?

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Et ecce palam loquitur, et nihil ei dicunt. Numquid vere cognoverunt principes, quia hic est Christus?

Sed hunc scimus unde sit : Christus autem cum venerit, nemo scit unde sit. (*Joan. VII. 25, 26, 27.*)

Hæc opinio apud Judæos non inaniter nata est. Invenimus tamen quod Scripturæ dixerunt de Christo, quoniam " Nazareus vocabitur : " (*Matth. II.*) ergo prædixerunt unde sit. Judæi etiam dixerunt Herodi quærenti : quod Christus in Bethleem Judæ nasceretur, et testimonium etiam propheticum attulerunt. Unde ergo nata est hæc opinio apud Judæos, quod Christum cum venerit, nemo sciat unde sit, nisi quia utrumque pronuntiaverunt scripturæ? Secundum hominem prædixerunt unde esset : secundum Deum latebat impios, et quærebat pios. Hanc igitur opinionem in eis generaverat quod per Isaiam dictum est : (*Cap. LIII.*) " Generationem ejus quis enarrabit? " (*Augustinus.*)

II. — Clamabat ergo Jesus in templo docens et dicens : Et me scitis, et unde sim scitis : et a me ipso non veni, sed est verus qui misit me, quem vos nescitis.

Ego scio eum : quia ab ipso sum, et ipse me misit. (*Joan. VII. 28, 29.*)



Dupliciter eos redarguit. Et primum quidem quæ occulte loquebantur, hæc in medium inducit, clamans ut eos verecundari faciat. Rursum autem ex propriis sermonibus eos capit : quia enim dicebant : *Cum venerit Christus, nullus cognoscet unde sit :* ostendit etiam inde se Christum esse : quoniam a Patre venit, quem ipsi nesciebant. (*Chrysostomus.*)

III. — Quærebant ergo eum apprehendere : et nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora ejus.

De turba autem multi crediderunt in eum et dicebant : Christus cum venerit, numquid plura signa faciet quam quæ hic facit. (*Joan. VII. 30, 31.*)

Irritaverunt autem Judæos ea quæ dicebantur, propter hoc quod dixerat, *Quem vos nescitis*, quia profitebantur se scire : unde *quærebant eum apprehendere.* Vide furorem eorum invisibiliter refrenatum. Evangelista vero humanius et humilius loqui volens, ut ex hoc Christus homo putaretur, non dixit quod eos invisibiliter detinuit : sed subjecit : *quia nondum venerat hora ejus.* (*Chrysostomus.*)

Hoc est, quia nolebat : non enim Dominus sub fato natus est. Hoc nec de te credendum est : quanto minus de illo per quem factus es? Si tua hora voluntas est illius, illius hora

quæ est nisi voluntas sua? Non ergo horam dixit qua cogeretur mori, sed qua dignaretur occidi. (*Augustinus.*)

Humiles et pauperes salvos faciebat Dominus : unde dicitur : *De turba autem multi crediderunt in eum.* Turba enim, quæ suam ægritudinem cito vidit, etiam illius medicinam sine dilatione cognovit. (*Augustinus.*)

Verumtamen neque in his erat sana fides : sed more multitudinis vulgaria loquebantur. Grossiores enim non a doctrina, sed a signis inducuntur. (*Chrysostomus.*)

## MEDITATIO CCLV.

### Christus evadit manus et præcipitantium et lapidantium.

1. — Jesus venit Nazareth, ubi erat nutritus, et intravit secundum consuetudinem suam die sabbati in synagogam, et surrexit legere.

Et traditus est illi liber Isaiæ Prophetæ. Et ut revolvit librum, invenit locum ubi scriptum erat :

Spiritus Domini super me : propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde.

Prædicare captivis remissionem, et cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum, et diem retributionis.



Et cum plicuisset librum reddidit ministro, et sedit. Et omnium in synagoga oculi erant intendentes in eum.

Cœpit autem dicere ad illos : Quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris :

Et omnes testimonium illi dabant : et mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius, et dicebant : Nonne hic est filius Joseph?

Et ait illis : Utique dicetis mihi hanc similitudinem : Medice cura teipsum : quanta audivimus facta in Capharnaum, fac et in patria tua.

Ait autem : Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus est in patria sua.

In veritate dico vobis, multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israël, quando clausum est cœlum, annis tribus, et mensibus sex : cum facta esset fames magna in omni terra.

Et ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidoniæ, ad mulierem viduam.

Et multi leprosi erant in Israël sub Elisæo propheta : et nemo eorum munda-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tus est nisi Naaman Syrus. (*Luc. IV. 16-23.*)

Ita Dominus ad omnia se curvavit obsequia, ut ne lectoris quidem aspernaretur officium. (*Ambrosius.*)

Librum audientibus illis qui aderant legit, sed lectum ministro reddidit : quia dum esset in mundo, palam locutus est, docens in synagogis et templo : sed ad cœlestia reversurus, his qui ab initio viderant et ministri sermonis fuerant, evangelizandi officium tradidit. Stans legit, quia nobis Scripturas quæ de ipso erant aperuit, quando in carne dignatus est operari; sed reddito libro residet, quia se supernæ quietis solio restituit : Stare enim operantis est, sedere autem quiescentis, vel judicantis. Sic et prædicator verbi surgat et legat, idest, operetur et prædicet, et resideat, id est præmia quietis exspectet. Revolutum autem librum legit, quia Ecclesiam, misso Spiritu, omnem veritatem docuit; plicatum ministro reddidit, quia non omnia omnibus dicenda, sed pro captu audientium committit doctori dispensandum verbum. (*Beda.*)

Dominus a miraculis abstinet, ne provocaret eos ad majorem livorem. Prætendit autem eis doctrinam non minus admirandam miraculis : erat enim quædam divina gratia ineffabilis in dictis Salvatoris concurrens, animas permulcens auditorum. (*Chrysostomus.*)



Testimonium illi dabant, attestando illum vere esse ut dixerat, de quo Propheta cecinerat. (*Beda.*)

Non otiose autem Salvator se excusat, quod nulla in patria sua miracula virtutis operatus sit, ne fortassis aliquis viliorem patriæ nobis esse debere putaret affectum. (*Ambrosius.*)

Bene autem, apto comparationis exemplo, arrogantia civium retunditur invidorum, dominicumque factum Scripturis docetur veteribus convenire. (*Ambrosius.*)

II. — Et repleti sunt omnes in synagoga ira, hæc audientes.

Et surrexerunt et ejecerunt illum extra civitatem, et duxerunt illum usque ad supercilium montis, super quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum.

Ipse autem transiens per medium illorum, ibat. (*Luc. IV. 28, 29.*)

Pejores sunt Judæi discipuli diaboli diabolo magistro : ille enim ait, *Mitte te deorsum;* isti facto mittere conantur : sed illorum mente mutata subito, vel obstupefacta, descendit; quia adhuc illis pœnitentiæ locum reservat. (*Beda.*)

III. — In illo tempore dixit Jesus Judæis : Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum.

Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum : Jesus autem abscondit se et exivit de templo. (*Joan. VIII. 58, 59.*)

Non ait, ante Abraham ego fui, sed *ante Abraham ego sum* : secundum illud (*Exod. III.*) " Ego sum qui sum. " Ante ergo vel post Abraham habuit esse, qui et accedere potuit per exhibitionem præsentiæ, et recedere per cursum vitæ. (*Gregorius.*)

Non autem abscondit se in angulo templi quasi timens, aut in domunculam fugiens, vel post murum aut columnam divertens : sed cœlica potestate, invisibilem insidiantibus se constituens, per medium illorum exivit. (*Theophylactus.*)

## MEDITATIO CCLVI.

### Christus prædicit Judæis se exaltandum in cruce.

I. — Multa habeo de vobis loqui, et judicare : sed qui me misit, verax est : et ego quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo. (*Joan. VIII. 26.*)

Dicit autem hoc, ut non æstiment quoniam tot audiens ex imbecillitate non punit; aut quia eorum cogitationes et contumelias non novit. (*Chrysostomus.*)



Quod autem dicit, *multa, etc.* judicium futurum dicit. Ideo autem verus in judicio ero, quia Filius veracis, veritas sum. (*Augustin.*)

II. — Et non cognoverunt quia Patrem ejus dicebat Deum. (*Ibid. 27.*)

Cum autem audissent, *verax est qui misit me*, non intellexerunt de quo diceret. Nondum enim oculos cordis apertos habebant, quibus Patris et Filii æqualitatem intelligerent. (*Alcuinus.*)

Dat gloriam Patri æqualis Filius; quomodo tu superbus es adversus eum cujus es servus. (*Augustinus.*)

III. — Dixit ergo eis Jesus : Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum, et a me ipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, hæc loquor :

Et qui me misit mecum est, et non reliquit me solum : quia ego quæ placita sunt ei facio semper. (*Joan. VIII. 28, 29.*)

Videbat autem ibi aliquos, quos ipse noverat post passionem suam esse credituros : et ideo dixit : *Cum exaltaveritis, etc.*

Differo cognitionem vestram, ut impleam passionem meam. Ordine vestro cognoscetis qui sum, cum scilicet exaltaveritis Filium hominis. Exaltationem autem crucis dicit, quia et ibi exaltatus est quando pependit in

ligno. Hoc oportebat impleri per manus eorum qui postea fuerant crediturí, quibus dicit hoc. Quare, nisi ut nemo in quocumque scelere, et male sibi conscius desperaret, quando videat eis donari homicidium qui occiderant Christum? (*Augustinus.*)

## MEDITATIO CCLVII.

### Caiphas de morte Christi salutifera prophetat.

1. — Collegerunt ergo pontifices et Pharisæi concilium, et dicebant : Quid faciemus, quia hic homo multa signa facit?

Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum : et venient Romani, et tollent nostrum locum et gentem. (*Joan. XI. 47, 48.*)

Decebat admirari ac extollere eum qui talia peragebat miracula : ipsi vero potius conciliantur illum occidere. (*Theophylactus.*)

Nec dicebant : Credemus : plus enim perditi homines cogitabant quomodo nocerent et perderent, quam quomodo sibi consulerent, ne perirent. (*Augustinus.*)

Sed fictio erat quæ dicebantur : quid enim demonstrabat tale? Armigeros circumferebat, et equitaturas trahebat? Nonne deserta



persequebatur? Sed ut non putentur ob passionem suam hoc dicere : totam civitatem periclitari dicunt. (*Chrysostomus.*)

Temporalia ergo perdere timuerunt, et vitam æternam non cogitaverunt : nam et Romani, post Domini passionem et glorificationem, tulerunt eis et locum et gentem expugnando et transferendo. (*Augustinus.*)

11. — Unus autem ex ipsis Caiphas nomine, cum esset pontifex anni illius dixit eis : Vos nescitis quidquam,

Nec cogitatis quia expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat. (*Joan. XI. 49, 50.*)

Increpatur autem Caiphæ pravitas in hoc quod dicitur *pontifex anni illius*, quo scilicet noster Salvator exercuit ministerium passionis; et tamen cum esset Pontifex anni illius dixit eis : *Vos nescitis, etc.* quasi dicat : Vos sedetis, et adhuc segnius rem attenditis; sed attendatis, unius hominis salutem pro communi republica oportere contemnere. (*Origenes.*)

Hoc autem ipse quidem prava dixit intentione : tamem spiritus sancti gratia ore ejus usa est ad futuri præsagium. (*Thophylactus.*)

111. — Hoc autem a semetipso non dixit : sed cum esset pontifex anni illius

prophetavit, quod Jesus moriturus erat pro gente.

Et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi congregaret in unum. (*Joan. XI. 51, 52.*)

Hic docemur, etiam homines malos prophetiæ spiritu futura prædicere : quod tamen Evangelista divino attribuit sacramento, quia pontifex fuit, idest summus sacerdos. (*Augustinus.*)

Vide autem quanta spiritus sancti virtus est : a mente enim mala valuit verba proferre prophetiæ; vide etiam quanta est pontificalis virtus potestatis : pontifex enim effectus, etsi indignus exsistens, tamen prophetavit nesciens quid diceret : ore enim solum usa est gratia, contaminatum autem cor non tetigit. (*Chrysostomus.*)

IV. — Ab illo ergo die cogitaverunt ut interficerent eum. (*Joan. XI. 53.*)

Concitati autem ad iram ex verbis Caïphæ, taxaverunt ut occiderent Dominum. (*Origen.*)

Persecutores igitur peregerunt hoc quod perniciose moliti sunt : intulerunt mortem, ut ab eo abscinderent fidelium devotionem : sed fides inde crevit, unde se hanc exstinguere infidelium crudelitas credidit. Ille enim ad pietatis suæ obsequium redegit, quod contra illum humana crudelitas extorsit. (*Gregorius.*)



## MEDITATIO CCLVIII.

### Christus prædicit fructum exaltationis suæ in cruce.

I. — Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum.

(Hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus. (*Joan. XII. 32, 33.*)

Sed quæ omnia trahit, nisi ex quibus diabolus ejicitur foras? Non autem dicit, omnes, sed *omnia :* non enim omnium est fides. Non itaque hoc ad universitatem hominum retulit, sed ad creaturæ integritatem, idest spiritum et animam et corpus : ad illud scilicet quod intelligimus, quod vivimus, quod visibiles sumus.

Sed *si exaltatus*, inquit, *fuero a terra*, hoc est cum exaltatus fuero, non enim dubitat futurum esse quod venit implere : nam exaltationem suam dixit in cruce passionem. (*Augustinus.*)

II. — Respondit ei turba : Nos audivimus ex lege, quia Christus manet in æternum : et quomodo tu dicis, Oportet exaltari Filium hominis? Quis est iste Filius hominis? (*Joan. XII. 34.*)

Hinc est videre, quoniam multa eorum quæ parabolice dicebantur intelligebant :

quia enim prævenit de morte disputans, audientes hic exaltationem, suspicati sunt hoc. (*Chrysostomus.*)

Vel hoc eum dixisse intelligebant, quod facere cogitabant. Non ergo eis verborum istorum obscuritatem aperuit infusa sapientia, sed stimulata conscientia. (*Augustinus.*)

Et vide qualiter malitiose interrogant : non enim dixerunt, *Nos audivimus ex lege quia Christus* nihil patitur : in multis enim Scripturarum locis et passio et resurrectio simul ponitur : sed quoniam manet in æternum : et nimirum hoc non erat contrarium, immortalitati enim per passionem non est factum impedimentum.

Sed æstimaverunt per hoc ostendere eum non esse Christum, quoniam Christus manet in æternum. (*Chrysostomus.*)

III. — Dixit ergo eis Jesus : Adhuc modicum, lumen in vobis est. Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant : et qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat.

Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis. Hæc locutus est Jesus : et abiit, et abscondit se ab eis. (*Joan. XII. 35, 36.*)

Sed Christus respondit, ostendens quoniam passio non prohibet manere eum in æternum. (*Chrysostomus.*)



Adhuc parvo tempore ego lux vobiscum sum, per hoc ostendens quod mors ejus transmigratio est : etenim lux solaris non intermittitur, sed parum recedens rursus apparet. (*Chrysostomus.*)

Dum aliquid veri habetis, credite in veritatem, ut renascamini veritati. (*Augustinus.*)

Sed cum nec lapides levarent, nec blasphemarent; cujus gratia occultatus est? Corda enim rimatus noverat furorem in eis sævientem, et non exspectavit ut in opus exirent; sed occultatur, mitigans eorum invidiam. (*Chrysostomus.*)

## MEDITATIO CCLIX.

**Christus passionem suam prædicans increpatur a Petro, sed hic a Domino satanas appellatur.**

I. — Cœpit Jesus ostendere discipulis suis, quia oporteret eum ire Jerosolymam, et multa pati a senioribus, et Scribis, et principibus sacerdotum, et occidi, et tertia die resurgere. (*Matth. XVI. 21.*)

Et palam verbum loquebatur. (*Marc. VIII. 32.*)

Tunc quidem cœpit ostendere : consequenter autem postea capacioribus factis plenius demonstravit : quia omne quod cœ-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

pit Jesus, hoc perfecit. Oportebat autem eum ire in Hierusalem, ut occidatur quidem in Hierosolymis quæ sunt deorsum, regnet autem resurgens in Hierusalem cœlesti. (*Origenes.*)

II. — Et assumens eum Petrus, cœpit increpare illum dicens : Absit a te Domine; non erit tibi hoc. (*Matth. XVI. 22. — Marc. VIII. 32.*)

Adhuc initia eorum quæ ostendebantur discens, Petrus indigna hæc Filio Dei vivi arbitrabatur; et quasi oblitus quoniam Filius Dei vivi nihil dignum increpatione facit, aut agit, cœpit increpare. (*Origenes.*)

Quid est autem quod Petrus qui revelatione Patris potitus erat, sic velociter cecidit et instabilis est effectus? Sed dicimus non esse mirum si hoc ignoravit, qui de passione revelationem non accepit. (*Chysostomus.*)

Hoc autem amantis affectu, et optantis, dixit : quasi diceret : Hoc non potest fieri, nec recipiunt aures meæ ut Dei Filius occidendus sit. (*Beda.*)

III. — Qui conversus, et videns discipulos suos, comminatus est Petro, dicens. (*Marc. VIII. 33.*)

Vade post me satana, scandalum es mihi : quia non sapis ea, quæ Dei sunt,



sed ea, quæ hominum. (*Matth. XVI. 23.*)

Dominus namque volens ostendere quod propter salutem hominum debebat ejus passio fieri, et quod solus satanas Christum pati nolebat, ut genus non salvaretur humanum; Petrum satanam nominavit, eo quod saperet quæ sunt satanæ, nolens Christum pati, sed adversus eidem : satanas enim adversarius interpretatur. (*Theophylactus.*)

Dixit ergo Petro, *Vade post me*, quasi desistenti, per ignorantiam, ire post Christum. *Satana* autem dixit ei, quasi per ignorantiam habenti contrarium Deo. Beatus autem ad quem convertitur Christus, etiamsi corripiendi causa convertitur. Sed quare dixit ad Petrum, *scandalum mihi es*, cum in (*Psal. CXVIII.*) dicatur : " Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum? " Sed respondendum est, quoniam non solum Jesus non scandalizatur, sed nec omnis homo qui in dilectione Dei perfectus est. Sed quantum ad se, qui tale aliquid vel agit, vel loquitur, scandalum est alteri : licet ille inscandabilis sit. Aut certe omnem discipulum peccantem scandalum sibi appellat, sicut et Paulus dicebat : (*II. Corinth. XI.*) " Quis scandalizatur et ego non uror? " (*Origenes.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## MEDITATIO CCLX.

**Moyses et Elias in transfiguratione Christi loquuntur de ejus Passione.**

I. — Ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyses et Elias. Visi in majestate. (*Luc. IX. 30, 31.*)

Volebat discipulos eos imitari in regimine populi, ut fierent mites sicut Moyses, et zelantes sicut Elias. Inducit etiam eos, ut ostendat crucis gloriam, ad consolandum Petrum et alios passionem timentes. (*Chrysostomus.*)

II. — Et dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem. (*Luc. IX. 31.*)

Videlicet mysterium dispensationis in carne, nec non salutiferam passionem completam in venerabili cruce. (*Cyrillus.*)

III. — Et descendentibus illis de monte, præcepit illis ne cuiquam quæ vidissent narrarent : nisi cum Filius hominis a mortuis resurrexerit.

Et verbum continuerunt apud se; conquirentes quid esset : Cum a mortuis resurrexerit. (*Marc. IX. 8, 9.*)



Ubi non simpliciter silere jubet; sed passionem insinuans, causam insinuat propter quam silere debebunt. (*Chrysostomus.*)

Ne scilicet homines scandalizentur, audientes de Christo tam gloriosa, qui eum crucifixum erant visuri. Non igitur erat congruum talia de Christo dicere, antequam pateretur; post resurrectionem vero credibile videbatur. (*Theophylactus.*)

Illi vero resurrectionis mysterium ignorantes : verbum quidem retinentes, invicem disputabant. (*Chrysostomus.*)

## MEDITATIO CCLXI.

**Ultima Christi passuri profectio Hyerosolymam.**

I. — Erant autem in via ascendentes Jerosolymam ; et præcedebat illos Jesus et stupebant : et sequentes timebant. Et assumens iterum duodecim, cœpit illis dicere quæ essent ei eventura. (*Marc. X. 32.*)

*Et præcedebat*, ut ostendat quod ad passionem præcurrit, et quod non refugit mortem pro nostra salute. (*Theophylactus.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*Et stupebant, etc.* Ne vel ipsi cum eo occiderentur; vel saltem ille, cujus vita et magisterio gaudebant, inimicorum manibus occumberet. Prævidens autem Dominus ex passione sua discipulorum animos perturbandos, eis et passionis pœnam et resurrectionis suæ gloriam prædicit. (*Beda.*)

II. — Et ascendens Jerosolymam assumpsit duodecim discipulos secreto et ait illis :

Ecce ascendimus Jerosolymam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum, et Scribis, (*Matth. XX. 18.*) et senioribus, (*Marc. X. 33.*) et condemnabunt eum morte, (*Matth. XX. 18.*) et consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per prophetas de Filio hominis. (*Luc. XVIII. 31.*)

Ut scilicet discipulorum corda confirmaret, ut cum hæc præaudirent, levius postmodum sustinerent, et in repentinis non formidarent, et etiam ut ostenderet quod voluntarie pateretur. Qui enim prænoscit, et potest fugere, et non fugit, manifestum est quod voluntarie seipsum passionibus tradit. Seorsum autem assumpsit discipulos; namque conveniens erat passionis mysterium propinquioribus sibi revelare. (*Theophylactus.*)



III. — Tradent eum Gentibus, ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum. (*Matth. XX. 19.*)

Et illudent ei, et conspuent eum, et flagellabunt eum, et interficient eum : (*Marc. X. 34.*) et tertia die resurget. (*Matth. XX. 19. — Marc. X. 34. — Luc. XVIII. 33.*)

Et ipsi nihil horum intellexerunt, et erat verbum istud absconditum ab eis, et non intelligebant quæ dicebantur. *Luc. XVIII. 34.*)

Commemorat autem singula quæ passurus erat, ne si aliquid prætermissum remaneret, cernentes postmodum illud subito turbarentur. Ut autem cum fuerint contristati propter passionem et mortem tum et resurrectionem exspectent, subdit : *et tertia die resurget.* Cum enim tristitias et opprobria quæ contigerunt non occultaverit, conveniens erat ut ei et de reliquis crederent. (*Chrysostomus.*)

*Et ipsi nihil horum intellexerunt,* quoniam non solum hominem innocentem, sed et Deum verum sciebant, hunc nullatenus mori posse putabant; et quia parabolas eum sæpe loquentem audire consueverant, quoties aliquid de sua passione dicebat, ad aliud allegorice referendum esse credebant. (*Beda.*)

## MEDITATIO CCLXII.

**Magdalena prævenit ungere corpus Jesu in sepulturam.**

I. — Cum esset Bethaniæ in domo Simonis leprosi, et recumberet, venit mulier, (*Marc. XIV. 3.*) Maria, et accepit libram unguenti nardi pistici, pretiosi, et unxit pedes Jesu, et extersit pedes ejus capillis suis. (*Joan. XII. 3.*) Accessit ad eum mulier (*Matth. XXVI. 7.*) habens alabastrum unguenti nardi spicati pretiosi, et fracto alabastro, effudit super caput ejus, (*Marc. XIV. 3.*) recumbentis (*Matth. XXVI. 7.*) et domus impleta est ex odore unguenti. (*Joan. XII. 3.*)

Hæc est illa mulier, quæ quondam peccatrix, in domo Simonis venit ad Dominum cum alabastro unguenti. (*Alcuinus.*)

Quod autem hoc in Bethania rursus fecit, aliud est quod ad Lucæ narrationem non pertinet; sed pariter narratur a tribus, Joanne scilicet, Matthæo et Marco. Quod ergo Matthæus et Marcus caput Domini unguento illo profusum dicunt, Joannes autem pedes: non solum caput sed et pedes Domini accipiamus profudisse mulierem.

Matthæus et Marcus recapitulando, ad illum diem redeunt in Bethaniam qui erat ante sex dies paschæ, et narrant quod Joannes de cœna et unguento. (*Augustinus.*)



Odor bonus fama bona est, quam quisquis bonæ vitæ operibus habuerit, dum vestigia Christi sequitur, quasi pedes ejus pretiosissimo odore perfundit. (*Augustinus.*)

II. — Erant autem quidam indigne ferentes intra semetipsos, et dicentes: Ut quid perditio ista unguenti facta est?

Poterat enim unguentum istud venumdari plus quam trecentis denariis, et dari pauperibus. Et fremebant in eam. (*Marc. XIV. 4, 5.*)

Ad Apostolum revoca intentionem, qui dicit: (*II. Corinth. II.*) "Aliis sumus odor vitæ ad vitam, aliis sumus odor mortis ad mortem": denique audies hinc ex unguento isto, quoniam erat aliis odor bonus in vitam, aliis odor malus in mortem. Quod alii (*evangelistæ*) discipulos murmurasse de unguenti pretiosi effusione, Joannes autem Judam commemorat: puto discipulorum nomine, Judam significatum, plurali numero pro singulari usurpato. Potest etiam intelligi quod alii discipuli aut senserint hoc, aut eis Juda dicente persuasum sit: atque omnium voluntatem Matthæus et Marcus verbis etiam expresserint. (*Augustinus.*)

III. — Jesus autem dixit : Sinite eam, quid illi molesti estis? Bonum opus operata est in me.

Semper enim pauperes habetis vobiscum : et cum volueritis, potestis illis benefacere : me autem non semper habetis.

Quod habuit, fecit : prævenit ungere corpus meum in sepulturam. (*Marc. XIV. 6, 7, 8.*)

Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum : ad sepeliendum me fecit. (*Matth. XXVI. 12.*)

Quasi diceret : Vos putatis perditionem esse unguenti : officium sepulturæ est. (*Beda.*)

*Prævenit* enim quasi a Deo ducta, *ungere corpus meum*, in signum sepulturæ; in quo proditorem confundit, ac si ei diceret : qua conscientia mulierem confundis quæ in sepulturam corpus meum ungit; teipsum vero non confundis, qui me in mortem trades. (*Theophylactus.*)

Notandum autem, quod sicut Maria gloriam adepta est in toto orbe, de obsequio quod Domino exhibuit; ita e converso, ille qui obsequio ejus detrahere non timuit, longe lateque infamatus est : sed Dominus bonum laude digna remunerans, futuras impii contumelias tacendo præteriit. (*Beda.*)



## MEDITATIO CCLXIII.

### Concilium de Christo capiendo et occidendo.

I. — Appropinquabat autem dies festus Azymorum qui dicitur Pascha. (*Luc. XXII. 1. — Marc. XIV. 1.*)

Et Jesus dixit discipulis suis : Scitis quia post biduum Pascha fiet, et Filius hominis tradetur ut crucifigatur. (*Matth. XXVI. 1, 2.*)

Post duos etiam dies clarissimi luminis veteris et novi testamenti, verum pro mundo celebratur Pascha. Transitus etiam noster idest phase, ita celebratur, si terrena dimittentes ad cœlestia festinemus. (*Hieronymus.*)

Ideo autem impersonaliter posuit *tradetur*, quia Deus tradidit eum propter misericordiam circa genus humanum, Judas propter avaritiam, sacerdotes propter invidiam, diabolus propter timorem, ne avelleretur de manu ejus genus humanum, per doctrinam ipsius : non advertens, quoniam magis fuerat eripiendum genus humanum per mortem ipsius, quam ereptum fuerat per doctrinam et miracula. (*Origenes.*)

II. — Tunc congregati sunt principes sacerdotum, et seniores populi, in atrium

principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas :

Et concilium fecerunt ut Jesum dolo tenerent, et occiderent. (*Matth. XXVI. 34. — Marc. XIV. 1. — Luc. XXII. 2.*)

Condemnantur autem isti, et quia congregati sunt et quia principes sacerdotum fuerant : quo enim plures ad peragendum aliquod malum conveniunt, et quo sublimiores et nobiliores fuerint, eo deterius habetur malum quod committitur, et eo major pœna illis præparatur. Ad ostendendam autem Domini simplicitatem et innocentiam, addit Evangelista : *ut Jesum dolo tenerent et occiderent* : in quo enim nullam mortis causam invenire poterant, concilium fecerunt ut dolo tenerent et occiderent. (*Remigius.*)

III. — Dicebant autem : Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo. (*Matth. XXVI. 5. — Marc. XIV. 2.*)

Timebant enim plebem. (*Luc. XXII. 2.*)

Diabolus nolebat in pascha Christum pati, ut non manifestam ejus constitueret passionem. Principes autem sacerdotum non ea quæ Dei sunt timuerunt; ne scilicet peccato in hoc tempore peracto, major ejus inquinatio fieret, sed ubique quæ humana sunt cogitabant : unde sequitur : *ne forte tumultus fieret in populo*



Sed tamen furore ferventes immutati sunt a suo consilio : quia enim traditorem invenerunt, in ipsa festivitate Christum occiderunt. (*Chrysostomus.*)

## MEDITATIO CCLXIV.

### De Juda venditore Christi nefario.

I. — Intravit autem satanas in Judam qui cognominabatur Iscariotes, unum de duodecim. (*Luc. XXII. 3.*)

Et Judas Iscariotes unus de duodecim abiit ad summos sacerdotes, ut proderet eum illis. (*Marc. XIV. 10. — Matth. XXVI. 14.*)

In Judam satanas intravit, non impellens, sed patulum inveniens ostium : nam oblitus omnium quæ viderat, ad solam avaritiam dirigebat intuitum. (*Titus.*)

Non est autem huic contrarium quod Joannes dicit, post buccellam intrasse in eum satanam : quia nunc intravit ut quasi alienum tentaret, tunc autem quasi proprium ad quæcumque vellet agenda attraheret. (*Beda.*)

Abiit autem, adversus unum principem sacerdotum, qui factus fuerat sacerdos in æternum, ad multos principes sacerdotum, ut venderet pretio volentem redimere totum mundum. (*Origenes.*)

11. — Et locutus est cum principibus sacerdotum et magistratibus, quemadmodum illum traderet eis. (*Luc. XXII. 4.*)

Qui audientes gavisi sunt : et promiserunt ei pecuniam se daturos. (*Marc. XIV. 11.*)

Et pacti sunt pecuniam illi dare. (*Luc. XXII. 5.*)

Et ait illis : Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos. (*Matth. XXVI. 15.*)

Promittit autem se tradere, ut magister ejus diabolus ante dicebat : (*Luc. IV.*) " Tibi dabo potestatem hanc universam". Sequitur : *Qui audientes gavisi sunt;* promittunt quidem pecuniam et amittunt vitam, quam ipse recipit cum vitam amittit. (*Hieronymus.*)

Infelix Judas, damnum quod ex effusione unguenti se fecisse credebat, vult Magistri pretio compensare : nec certam tamen postulat summam, ut saltem lucrosa videretur proditio : sed quasi vile tradens mancipium, in potestate ementium posuit quantum vellent dare. (*Hieronymus.*)

*At illi constituerunt ei triginta argenteos :* tantam mercedem constituentes, quantos annos Salvator conversatus fuerat in hoc mundo. (*Origenes.*)



1. — Judas spopondit. Et quærebat opportunitatem ut traderet illum sine turbis. (*Luc. XXII. 6. — Matth. XXVI. 16. — Marc. XIV. 11.*)

Id est, quando populus non erat circa eum, sed secretus erat cum discipulis ; quod et fecit, tradens eum post cœnam, cum secretus esset in prædio Gethsemani : et inde usque nunc opportunitas ista videtur, his qui volunt prodere Dei verbum, in tempore persecutionis; quando multitudo credentium non est circa verbum veritatis. (*Origenes.*)

## MEDITATIO CCLXV.

### Cœna Paschalis Christi a duobus discipulis paratur.

1. — Venit dies Azymorum, in quo necesse erat occidi Pascha. (*Luc. XXII. 7.*) Prima autem die Azymorum accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes : Ubi vis paremus tibi comedere Pascha? (*Matth. XXVI. 17. — Marc. XIV. 12.*)

Salvator non egit Pascha cum Judæis, quando agnum immolabant : nam illi quidem hoc egerunt in parasceve, quando passus est Dominus : unde non introierunt in atrium Pilati, ut manducarent Pascha : ex quo enim veritati insidiati sunt, verbum ve-

ritatis a se expulerunt; non primo die azymorum, quo die debebat immolari Pascha, manducantes solitum sibi Pascha,erant enim erga aliud attenti; sed die sequenti post illam, quæ erat secunda. Dominus vero prima die azymorum, hoc est quinta feria sabbati, Pascha cum discipulis peregit. (*Eusebius.*)

II. — Jesus mittit duos ex discipulis suis, et dicit eis : Ite in civitatem : et occurret vobis homo lagenam aquæ bajulans, sequimini eum.

Et quocumque introierit, dicite domino domus, quia magister dicit : Ubi est refectio mea, ubi Pascha cum discipulis meis manducem? (*Marc. XIV. 13, 14. — Luc. XXII. 8, 9, 10, 11.*) Magister dicit : Tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis. (*Matth. XXVI. 18.*) Et ipse vobis demonstrabit cœnaculum grande stratum, et illic parate nobis. (*Marc. XIV. 15. — Luc. XXII. 12.*)

Ideo mittit eos ad hominem ignotum, ut ostendat quod passionem voluntarie subiit. Qui enim mentem hujus ignoti viri subegit ut eos susciperet, poterat quodcumque voluisset cum Judæis tractare. Dicunt autem quidam quod ideo non dixit nomen hominis, ne proditor, cognito nomine, domum panderet pharisæis, qui venientes cepissent eum priusquam cœna fieret,et spiritualia mysteria discipulis traderet; sed quibusdam indiciis in quamdam domum dirigit eos. (*Theophyl.*)



III. — Abierunt discipuli ejus et venerunt in civitatem : et invenerunt sicut dixerat illis, et paraverunt Pascha. (*Marc. XIV. 16. — Luc. XXII. 13.*) Vespere autem facto venit cum duodecim. (*Marc. XIV. 17. — Luc. XXII. 14.*)

Quibus signis inventis,discipuli sollicite quæ mandata eis fuerant, impleverunt. (*Glossa.*)

*Et paraverunt Pascha.* Hoc Pascha exponens Apostolus ait, (*II. Corinth. V.*) " Pascha nostrum immolatus est Christus. " Quod quidem Pascha tunc necesse erat occidi, quasi paterno consilio ac definitione sancitum; qui licet die sequenti hoc est decimaquinta luna sit crucifixus, hac tamen nocte, qua agnus immolabatur a Judæis, tentus ac ligatus, immolationis, hoc est passionis suæ sacravit exordium. (*Beda.*)

## MEDITATIO CCLXVI.

### De ablutione pedum Apostolis exhibita.

I. — Cœna facta, cum diabolus jam misisset in cor ut traderet eum Judas Simonis Iscariotæ.

Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, et quia a Deo exivit, et ad Deum vadit.

Surgit a Cœna, et ponit vestimenta sua : et cum accepisset linteum, præcinxit se.

Deinde mittit aquam in pelvim, et cœpit lavare pedes discipulorum, et extergere linteo, quo erat præcinctus. (*Joan. XIII. 2, 3, 4, 5.*)

Hoc autem quasi stupens, *cum jam diabolus*, etc., interseruit Evangelista, quoniam eum qui jam prodere statuerat, Dominus lavit : ostendit etiam proditoris multam nequitiam, quoniam neque salis eum communicatio detinuit, quod maxime consuevit nequitiam detinere. (*Chrysostomus.*)

Locuturus autem Evangelista de tanta Domini humilitate, prius ejus celsitudinem voluit commendare : ad quod pertinet quod dicit : *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus* : ergo et ipsum traditorem. (*Augustinus.*)

Quia ergo Pater omnia ei commisit in manus, idest salutem fidelium; decens reputabat quæcumque spectant ad salutem illis ostendere. Sciens etiam *quod a Deo exivit, et ad Deum vadit*, nullatenus ejus gloria minui poterat, dum pedes discipulorum ablueret : neque enim gloriam usurpavit; qui enim dignitatem usurpant, minime condescendunt, ne dissipent quod incongrue sibi diripuerunt. (*Theophylactus.*)



Vide qualiter humilitatem ostendit; non solum in lavando pedes, sed etiam aliter Non enim antequam recumberet, sed postquam resederunt omnes, tunc surrexit : deinde non solum lavit, sed vestimenta deposuit : linteum præcinxit, et pelvim implevit, et non alii impleri jussit : sed omnia operatur, ostendens quod cum omni studio oportet talia facere. (*Chrysostomus.*)

II. — Venit ergo ad Simonem Petrum. Et dixit ei Petrus : Domine tu mihi lavas pedes?

Respondit Jesus et dixit ei : Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea.

Dicit ei Petrus : Non lavabis mihi pedes in æternum. Respondit ei Jesus : Si non lavero te, non habebis partem mecum.

Dicit ei Simon Petrus : Domine, non tantum pedes meos; sed et manus et caput.

Dicit ei Jesus : Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. (*Joan. XIII. 6, 7, 8, 9, 10.*)

*Domine tu mihi lavas pedes?* Quid est, *tu?* quid est, *mihi?* Cogitanda sunt potius quam dicenda : ne forte, quod ex his verbis aliqua-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tenus quidem digne concepit anima, non explicet lingua.

Non debemus putare hoc Petrum inter ceteros formidasse atque recusasse, cum et id alii ante ipsum libenter vel æquanimiter fieri permisissent : non enim ita intelligendum est quasi aliquibus jam lavisset et post eos venisset ad primum : quis enim nesciat primum apostolorum esse beatissimum Petrum? sed quod ab illo cœperit. Quando ergo pedes discipulorum lavare cœpit, venit ad eum a quo cœpit, idest ad Petrum et tunc Petrus expavit; quod etiam quilibet eorum expavesceret. (*Augustinus.*)

*Scies autem postea*, idest humilitatem hujus doctrinæ, et quomodo humilitas sufficit in Deum perducere. (*Chrysostomus.*)

Nec tamen ille dominici facti altitudine exterritus permittit fieri, quod cur fieret ignorabat; sed usque ad suos pedes humilem Christum videre non potest sustinere : *Dicit ei Petrus, non lavabis*, etc.; hoc est, nunquam hoc patiar. (*Augustinus.*)

Ideo autem non dixit cujus gratia hoc faciebat, sed minas imposuit, quia ille nequaquam persuasus esset : audiens enim, *scies autem postea*, non dixit : doce igitur me ut permittam ; sed quando comminatus est id quod maxime timebat, scilicet separari ab eo, tunc permisit. (*Chrysostomus.*)

Et ideo præstandi sunt pedes, idest mentis affectus, lavandi a Jesu, ut sint pedes



nostri decori, et præsertim, cum æmulantes potiora dona, volumus annumerari eis qui evangelizant bona. (*Origenes.*)

*Mundus est totus.* Totus utique præter pedes, vel nisi pedes quos habet opus lavare : homo enim in baptismo totus abluitur non præter pedes, sed totus omnino : verumtamen cum in rebus humanis postea vivitur, utique terra calcatur. Ipsi igitur humani affectus, sine quibus in hac mortalitate non vivitur, quasi pedes sunt, ubi ex humanis rebus afficimur, ut si dixerimus, " Quia peccatum non habemus, nos ipsos decipiamus " : (*I. Joan. 1.*) Si autem confitemur peccata nostra, qui pedes discipulorum lavit, nobis peccata dimittit usque ad pedes, quibus conversamur in terra. (*Augustinus.*)

III. — Et vos mundi estis, sed non omnes.

Sciebat enim quisnam esset qui traderet eum : propterea dixit : Non estis mundi omnes. (*Joan. XIII. 10, 11.*)

Non dicit eos mundos, ut a peccatis erutos æstimes, victima nondum oblata : sed eam quæ cognitionis est mundationem dicit : jam enim ab errore judaico eruti erant. (*Chrysostomus.*)

*Sed non omnes* dicitur propter Judam existentem immundum : primo quidem quia pauperes non erant sibi curæ, sed fur erat :

demum diabolo ingresso in cor ejus, ut proderet Christum. (*Origenes.*)

## MEDITATIO CCLXVII.

**Christus proditionem Judæ prædicit.**

1. — Cum recubuisset iterum dixit eis : Scitis quid fecerim vobis?

Vos vocatis me Magister, et Domine : et bene dicitis ; sum etenim.

Si ergo ego lavi pedes vestros, Dominus et Magister : et vos debetis alter alterius lavare pedes.

Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis.

Amen, amen dico vobis : Non est servus major domino suo : neque apostolus major est eo, qui misit illum.

Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea.

Non de omnibus vobis dico : ego scio quos elegerim : sed ut adimpleatur Scriptura : Qui manducat meum panem, levabit contra me calcaneum suum.

Amodo dico vobis, priusquam fiat : ut cum factum fuerit, credatis, quia ego sum.



Amen, amen dico vobis : Qui accipit, si quem misero, me accipit : qui autem me accipit, accipit eum qui me misit.

Cum hæc dixisset Jesus, turbatus est spiritu : et protestatus est, et dixit : Amen, amen dico vobis : Quia unus ex vobis tradet me. (*Joan. XIII. 12-22.*)

Ecce manus tradentis me, mecum est in mensa.

Et quidem Filius hominis : secundum quod definitum est vadit : verumtamen væ homini illi, per quem tradetur. (*Luc. XXII. 21, 22.*)

Memor Dominus se promisisse scientiam facti sui Petro; quid sit quod fecit, docere nunc incipit. (*Augustinus.*)

*Scitis quid fecerim vobis?* vel interrogative, ut ostendat facti magnitudinem; vel imperative, ut eorum erigat intellectum. (*Origenes.*)

Non autem adhuc ad solum Petrum sed ad omnes loquitur dicens : *Vos vocatis me Magister, et Domine;* in quo eorum judicium assumit : deinde ut non illorum gratiæ esse putentur hæc verba, subjungit : *et bene dicitis, sum etenim.* (*Chrysostomus.*)

*Bene* ergo *dicitis*, vocando me Magistrum et Dominum quia sum, nam si non essem quod dicitis, male diceretis. (*Augustinus.*)

*Si ergo ego*, etc. A majoribus rebus accipit exemplum, ut quod minus est operemur; nam ipse quidem Dominus est; nos autem ad conservos facimus, si fecerimus, et ideo subdit : *Exemplum enim dedi vobis*, etc. (*Chrysostomus.*)

Hoc est, beate Petre, quod nesciebas; hoc tibi postea sciendum promisit. (*Augustinus.*)

Est enim apud plerosque consuetudo hujus humilitatis, et faciunt hoc sibi invicem fratres etiam opere ipso visibili; cum ad pedes fratrum inclinatur corpus, etiam in corde ipso excitatur, vel, si jam inerat, confirmatur humilitatis affectus. Sed confiteamur invicem delicta nostra, invicem nos delicta donemus, et pro nostris delictis invicem oremus : atque ita quodammodo invicem pedes nostros lavemus. (*Augustinus.*)

Adhuc autem provocans eos ad lavandum pedes, subjungit : *Amen, amen*, etc. Si ergo hæc a me facta sunt, multo magis a vobis oportet hæc fieri. (*Chrysostomus.*)

Necessario etiam hic Apostolos admonet : quia enim ad dignitates habebant attingere, et hic quidem majores, hic minores; ne insurgant ad invicem, serenat conscientiam omnium. (*Theophylactus.*)

Quia vero scire bonum et non facere, non pertinet ad beatitudinem, sed ad condemnationem, secundum illud (*Jacobi. IV.*) : " Scienti bonum et non facienti peccatum



est illi " subjungit : *Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea.* (*Beda.*)

Nam scire quidem omnium est, facere vero non omnium. Deinde proditorem, non manifeste redarguit sed obumbrate, cum subditur : *Non de omnibus vobis dico.* (*Chrysostomus.*)

Quasi dicat : Est inter vos qui non erit beatus. (*Augustinus.*)

Deinde ut non multos contristet suo sermone, subjungit : sed *ut impleatur Scriptura*, etc. Ostendens quod non ignorans traditur : quod maxime sufficiens erat Judam retinere; et non dixit : tradet me : sed *levabit contra me calcaneum suum*, dolum et occultationem insidiorum repræsentare volens. (*Chrysostomus.*)

Sequitur : *Amodo*, etc., *quia ego sum*, de quo scilicet illa Scriptura præcessit. (*Augustinus.*)

Quia ergo discipuli exituri erant ad prædicandum et multa passuri, duobus modis eos consolatur : uno modo a seipso, cum dicit, *beati eritis, si feceritis ea* : alio vero modo consolatus est eos ab aliis, eo scilicet quod ab hominibus multa potientur procuratione. *Amen, amen... qui accipit si quem misero*, etc. (*Chrysostomus.*)

Quia Dominus Apostolis debentibus orbem terrarum universum percurrere, exhibuerat duplicem consolationem prædictam; cogitans quod utraque proditor privatus est,

turbatur, et hoc significat Evangelista dicens : *Cum hæc dixisset Jesus*, etc. (*Chrysostomus.*)

Verumtamen *ecce manus*, etc. Quod dixit, non solum ut ostendat se scire futura, sed etiam ut ostendat nobis propriam bonitatem, secundum quam non prætermisit quin prosequeretur ea quæ spectabant ad Deum : dat enim nobis exemplum ut usque ad finem satagamus lucrari peccatores ; et ut ostendat proditoris nequitiam : qui et conviva, fieri non erubuit. (*Theophylactus.*)

Prædicit autem et pœnam, ut quem pudor non vicerat, corrigant denuntiata supplicia : unde sequitur : *Et quidem*, etc. Non quasi non valens tueri seipsum, sed sicut definiens sibi mortem propter humanam salutem. (*Theophylactus.*)

Sed quia Judas ea quæ sunt scripta prava intentione agebat, ne quis putet eum innoxium tamquam dispensationis ministrum, subdit, *verumtamen væ*, etc. (*Beda.*)

II. — Adspiciebant ergo ad invicem discipuli, hæsitantes de quo diceret. (*Joan. XIII. 22.*)

Et ipsi cœperunt quærere inter se, quis esset ex eis, qui hoc facturus esset. (*Luc. XXII. 23.*)

Et contristati valde, cœperunt singuli dicere : Numquid ego sum Domine?



At ipse respondens, ait : Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet.

Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo : væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur : bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. (*Matth. XXVI. 22, 23, 24. — Marc. XIV. 19, 20, 21.*)

Quia vero non nominatim dixit, rursum in omnes inducit timorem : unde sequitur : *Adspiciebant ergo discipuli ad invicem*, etc. Et nimirum nullius sibi ipsis conscii mali, tamen enuntiationem Christi propriis cogitationibus credibiliorem putabant. (*Chrysostomus.*)

Quia plus credunt magistro quam sibi, timentes fragilitatem suam, quærunt de peccato, cujus conscientiam non habebant. (*Beda.*)

*Et contristati valde*, etc. Videns autem Dominus de seipsis timentes discipulos, demonstravit proditorem indicio propheticæ vocis, dicentis (*Psal. XL.*) " Qui manducavit panem mecum, ampliavit adversum me supplantationem " : unde sequitur : *Qui intingit*, etc. (*Origenes.*)

Judas autem nec primo, nec secundo correctus, a proditione retrahit pedem, sed patientia Domini nutrit impudentiam suam :

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

et ideo pœna prædicitur, ut quem pudor non vicerat, corrigant denuntiata supplicia; unde sequitur : *Filius quidem hominis*, etc. (*Hieronymus.*)

III. — Respondens autem Judas qui tradidit eum, dixit : Numquid ego sum Rabbi? ait illi : Tu dixisti. (*Matth. XXVI. 25.*)

Judas autem post omnium Apostolorum interrogationes, et post Christi narrationem de ipso, vix aliquando et ipse interrogavit versuto consilio, ut similia ceteris interrogando, celaret proditionis consilium : nam vera tristitia non sustinet moram. (*Origenes.*)

Quamvis autem Dominus poterat dixisse : Argentum es pactus accipere, et adhuc audes interrogare? Sed nihil horum dixit mitissimus Jesus, nobis terminos et regulas præfigens : et ait illi : *Tu dixisti.* (*Chrysostomus.*)

Potuit hoc etiam sic dici a Juda, et a Domino responderi, ut non omnes adverterent quod dictum erat. (*Beda.*)

## MEDITATIO CCLXVIII.

### Sanctissimæ Eucharistiæ institutio.

I. — Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait : Accipite et comedite :

Hoc est corpus meum. (*Matth. XXVI. 26. — Marc. XIV. 22.*)

Si tanta vis est in ejus sermone, ut inciperent esse quæ non erant; quanto magis operatorius est ut sint quæ erant, et in aliud commutentur! Si enim operatus est sermo cœlestis in aliis rebus, non operatur in cœlestibus sacramentis? Ergo ex pane corpus fit Christi, et vinum fit sanguis consecratione verbi cœlestis. (*Ambrosius.*)

Et ait : *Accipite et comedite.* Invitat Dominus servos ut præparet eis cibum seipsum. Sed quis audeat manducare Dominum suum? Et quidem quando manducatur reficit, sed non deficit : vivit manducatus, quia surrexit occisus : nec quando manducatur partes de illo facimus : et quidem in sacramento sic fit. (*Augustinus.*)

II. — Et accipiens calicem gratis egit : et dedit illis, dicens : Bibite ex hoc omnes.

Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. (*Matth. XXVI. 27, 28. — Marc. XIV. 22.*)

Quia corpus suum sub specie panis Dominus discipulis dederat, pulchre etiam ca-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

licem sui sanguinis tradit eisdem : unde dicitur : *Et accipiens calicem, gratias egit;* in quo demonstrat quantum de nostra salute gratuletur, pro quibus etiam sanguinem suum funderet. (*Remigius.*)

*Et dedit illis, dicens : Bibite ex hoc omnes.* Ne autem hæc audientes turbarentur, primum ipse sanguinem suum bibit, inducens eos sine turbatione ad communionem mysteriorum. (*Chrysostomus.*)

*Hic est sanguis meus novi testamenti.* Hoc est annuntiationis legis novæ : hoc enim prænuntiabat vetus testamentum quod continet novum : sicut enim vetus testamentum habuit sanguinem vitulorum et ovium; ita novum habet sanguinem dominicum. (*Chrysostomus.*)

*Qui pro multis effundetur.* Notandum quod non ait : pro paucis aut pro omnibus, *sed pro multis :* quia non venerat unam tantum gentem redimere, sed multos de omnibus gentibus. (*Remigius.*)

Et rursus dicit mortis causam cum subdit, in remissionem peccatorum : quasi dicat : Sanguis agni in Ægypto effusus est pro salute primogenitorum populi Israelis, hic autem in remissionem peccatorum. (*Chrysostomus.*)

III. — Et biberunt ex illo omnes. (*Marc. XIV. 23.*)

Dico autem vobis : Non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei. (*Matth. XXVI. 29. — Marc. XIV.*)



*Et biberunt ex illo omnes :* Bibit ergo Judas, sed non saturatur : nec sitim exstinguit ignis æterni, quia indigne sumit mysteria Christi. (*Hieronymus.*)

*Dico autem vobis, non bibam*, etc. Regnum autem resurrectionem suam nominat. Ideo autem hoc de resurrectione dicit, quod scilicet cum Apostolis esset bibiturus, ne aliqui existimarent phantasiam esse resurrectionem : et ideo persuadentes hominibus de Christi resurrectione dixerunt : (*Act. X.*) " Simul comedimus et bibimus cum eo, postquam resurrexit a mortuis : quod autem dicit, *novum*, clare intelligendum est nove, id est novo modo, non quasi corpus passibile habens et indigens cibo. (*Chrysostomus.*)

## MEDITATIO CCLXIX.

### Christus proditorem suum manifestat Joanni in Cœna.

I. — Erat recumbens unus ex discipulis ejus in sinu Jesu, quem diligebat Jesus.

Innuit ergo huic Simon Petrus, et dixit ei : Quis est de quo dicit?

Itaque cum recubuisset ille supra pectus Jesu, dicit ei : Domine quis est? (*Joan. XIII. 23, 24, 25.*)

Omnibus trementibus, et ipso vertice, scilicet Petro, formidante, Joannes velut dilectus recubuit in sinu Jesu. Si autem hujusmodi familiaritatis causam quæris discere, amoris res erat : propterea dixit : Quem diligebat Jesus : quamvis enim alii amarentur, tamen iste plus aliis. Volebat etiam ostendere seipsum esse alienum a crimine : et hoc etiam dicit, ne æstimes quod Petrus ei ut majori exsistenti innueret, nam sequitur : *Innuit ergo*, etc. Ubique enim invenitur Petrus ab amore impetum faciens : et quia primo increpatus est, non locutus est, sed mediante Joanne vult discere. (*Chrysostomus.*)

Quod autem in sinu et supra pectus recubuit, non solum fuit præsentis amoris indicium, sed etiam futuræ rei signum : quod scilicet inde vocem sumeret, quam postmodum cunctis sæculis inauditam emitteret. (*Beda.*)

11. — Respondit Jesus : Ille est, cui ego intinctum panem porrexero. Et cum intinxisset panem, dedit Judæ Simonis Iscariotæ.

Et post buccellam, introivit in eum satanas. Et dixit ei Jesus : Quod facis, fac citius.



Hoc autem nemo scivit discumbentium ad quid dixerit ei.

Quidam enim putabant, quia loculos habebat Judas, quod dixisset ei Jesus : Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum : aut egenis ut aliquid daret. (*Joan. XIII. 26, 27, 28, 29.*)

Neque autem tunc nominatim proditorem Dominus manifestavit nam sequitur : *Ille est*, etc. Et modus ipse manifestationis conversurus erat : quia enim ob mensationem verecundatus non est, eodem pane communicans verecundari debuit. (*Chrysostomus.*)

*Et post buccellam, introivit*, etc. Intravit in eum, ut sibi jam traditum plenius possideret : neque enim non in illo erat, quando ad Judæos de pretio tradendi Dominum pactus est, cum Lucas dicat : (*Cap. XXII.*) " Intravit autem satanas in Judam : et abiit et locutus est, etc.

*Et dicit ei Jesus : Quod facis*, etc. Non tamen præcepit facinus, sed prædixit : non tam in perniciem perfidi sæviendo, quam ad salutem fidelium festinando. (*Augustinus.*)

*Hoc autem nemo scivit*, etc. Multam utique quis hic dubitationem inveniet, si interrogantibus discipulis, *quis est?* dicit, cui ego intingens panem dabo, et tamen non intellexerunt : nisi dicatur, quod latenter dixit ut nullus audiret; et propterea supra

pectus Joannes residens interrogat, quasi ad aurem, ut non fieret proditor manifestus. Fortasse enim si Christus eum manifestum fecisset, Petrus utique eum interfecisset. Propterea dicit, quod nullus cognovit recumbentium, sed neque Joannes. (*Chrysostomus.*)

Veram igitur causam eorum quæ a Christo dicta sunt ignoraverunt. Quid autem æstimarent ostendit Evangelista. (*Chrysostomus*).

III. — Cum ergo accepisset ille buccellam, exivit continuo. Erat autem nox. (*Joan. XIII. 30.*)

Et revera exiit, non solum recedendo de domo in qua tenebatur, sed omnino egressus est a Jesu. (*Origenes.*)

*Erat autem nox.* A qualitate enim temporis, finis exprimitur actionis : dum non rediturus ad veniam, ad traditionis perfidiam nocte Judas exisse perhibetur. (*Gregorius.*)

## MEDITATIO CCLXX.

### Christus trinam Petri negationem ter prædicit.

I. — Prima prædictio.

Cum ergo exisset Judas dixit Jesus : Filioli adhuc modicum vobiscum sum. Quæretis me : et sicut dixi Judæis : Quo ego vado, vos non potestis venire : et vobis dico modo.



Dicit ei Simon Petrus : Domine quo vadis? Respondit Jesus : Quo ego vado non potes me modo sequi : sequeris autem postea.

Dicit ei Petrus : Quare non possum te sequi modo? animam meam pro te ponam.

Respondit ei Jesus : Animam tuam pro me pones? Amen, amen dico tibi : non cantabit gallus, donec ter me neges. (*Joan. XIII. 31, 33, 36, 37, 38.*)

Per hoc autem quod dicit, *Filioli*, ostendit adhuc imminentem animabus eorum parvitatem. Hi autem quibus nunc dicit, Filioli, post resurrectionem fiunt fratres : sicut et antequam essent filioli, fuerunt servi. (*Origenes.*)

*Adhuc modicum vobiscum sum.* Potest sic intelligi : adhuc sicut vos in hac infirmitate carnis, etiam ipse sum; donec scilicet moreretur atque resurgeret. Apud alium enim Evangelistam (*Luc. XXIV.*) post resurrectionem ait : " Hæc locutus sum vobis dum adhuc essem vobiscum " : idest, in carne mortali cum essem sicut vos. (*Augustinus.*)

*Quæretis me*, etc. Hoc dicit quia adhuc minus idonei erant sequi moriturum Dominum pro justitia : quomodo enim jam fue-

rant secuturi martyrio non maturi? Judæis autem cum hoc diceret non addidit, *modo*. Ipsi autem (Apostoli) non poterant tunc venire quo ille ibat, sed poterant postea; et ideo subdit : *et vobis dico modo*. (*Augustin.*)

*Dicit ei Simon Petrus*, etc. Sic utique hoc dixit magistro discipulus tamquam sequi paratus : propterea Dominus, qui ejus animam vidit, sic ei respondit : nam sequitur : *Respondit*, etc. Dilationem intulit, non spem abstulit; sed eam firmavit, dicens : *sequeris autem postea*. Quid festinas Petre? Nondum te suo spiritu solidaverat Petra : noli extolli præsumendo, non potes modo : noli dejici desperando : *sequeris* enim *postea*. (*Augustinus.*)

*Dicit ei Petrus : Non possum*, etc. Quid dicis Petre? Dixi quoniam non potes, et tu dicis quoniam possum : quocirca scies per experientiam, quoniam nihil est tuus amor, nisi præsente superna liberatione. (*Chrysostomus.*)

*Respondit Jesus : Animam tuam pro me pones?* Ita ne facies pro me, quod nondum ego pro te? Præire potes, qui sequi non potes? Quid tantum præsumis? Audi quis sis. *Amen*, etc. Qui mihi promittis mortem tuam, ter me negabis vitam tuam. (*Augustinus.*)

II. — Secunda prædictio.

Ait Dominus : Simon, Simon, ecce



satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum :

Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua : et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.

Qui dixit ei : Domine tecum paratus sum et in carcerem et in mortem ire.

At ille dixit : Dico tibi Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me. (*Luc. XXII. 31, 32, 33, 34.*)

Ut ostendat quod homines nihil exsistentes, quantum pertinet ad humanam naturam et lubricum mentis nostræ, non decet ut præesse ceteris velint; et ideo omissis ceteris, venit ad Petrum ceteris prælatum. (*Cyrillus.*)

*Ego autem rogavi pro te*, non autem dixit, *Ego* permisi, sed *oravi;* humiliter enim loquitur tendens ad passionem, ut humilitatem demonstret. Nam qui non deprecatione sed imperio dixerat (*Matth. XVI.*) " Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam " et " Tibi dabo claves regni cœlorum " : quomodo opus habebat oratione, ut concitatam unius hominis animam coerceret? Non autem dixit, rogavi ut non neges, sed ne deseras fidem. (*Chrysostomus.*)

Quamvis egomet pro te sim deprecatus, tu tamen delinques : *et tu aliquando conversus confirma fratres tuos :* quasi dicat : Post-

quam me negato ploraveris, ac pœnitueris, corrobora ceteros. Hoc autem intelligendum est non solum de Apostolis qui tunc erant, ut roborarentur a Petro : sed et de omnibus qui usque ad finem mundi futuri sunt fidelibus. (*Theophylactus.*)

Quia vero se Dominus dixerat pro fide Petri rogasse; conscius ille præsentis affectus, fideique ferventis, sed futuri casus nescius, non credit se ullatenus ab ea posse deficere : unde sequitur : *Qui dixit ei : Domine.* (*Beda.*)

*At ille dixit : Dico tibi*, etc. Petrus quidem etsi spiritu promptus, corporis tamen adhuc infirmus affectu, denuntiatur Dominum negaturus : neque enim poterat divinæ constantiam intentionis æquare. Passio Domini æmulos habet, pares non habet. (*Ambrosius.*)

III. — Tertia prædictio.

Et hymno dicto, exierunt in montem oliveti.

Tunc dicit illis Jesus : Omnes vos scandalum patiemini in me, in ista nocte. Scriptum est enim : Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis.

Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam.

Respondens autem Petrus, ait illi : Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor.



Ait illi Jesus : Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis. (*Matth. XXVI. 30, 31, 32, 33, 34. — Marc. XIV. 26, 27, 28, 29.*)

Amen dico tibi, quia tu hodie, in nocte hac, prius quam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus.

At ille amplius loquebatur : Et si oportuerit me commori tibi, non te negabo. (*Marc. XIV. 30, 31. — Matth. XXVI. 35.*)

Similiter et omnes discipuli dixerunt. (*Matth. XXVI. 35. — Marc. XIV. 31.*)

Juxta hoc exemplum Salvatoris, qui pane Christi et calice saturatus et inebriatus fuerit, potest laudare Deum, et conscendere montem oliveti, ubi laborum refectio, dolorisque solatium, et veri luminis notitia est. (*Hieronymus.*)

Apte etiam mons misericordiæ est electus, ubi pronuntiaturus fuit scandalum infirmitatis discipulorum, jam tunc paratus ut non repelleret discipulos discedentes, sed ut reciperet revertentes : *Tunc dixit illis Jesus : Omnes*, etc. (*Origenes.*)

Hoc aliis verbis in Zacharia propheta, (*Cap. XIII.*) scriptum est, et ex persona prophetæ a Deo dicitur : " Percute pastorem, et dispergentur oves. " Percutitur autem pastor bonus, ut ponat animam suam pro

ovibus suis, et de multis gregibus errantium fiat unus grex et unus pastor. (*Hieronymus.*)

Non autem permisit eos in tristibus manere. Sed et læta prænuntiat dicens : *Postquam autem resurrexero*, etc.

Sed Petrus in tantum et affectu et caritate Christi efferebatur, ut et imbecillitatem carnis suæ, et fidem verborum Domini non contueretur, quasi dicta ejus efficienda non essent (*Hilarius.*) : Unde sequitur. *Respondens autem Petrus*, etc. Quod ergo ille dicit prævidendo, iste denegat amando : ubi moraliter instruimur ut, quantum confidimus de ardore fidei, tantum timeamus de carnis fragilitate. Videtur tamen accusabilis Petrus, et quoniam contradixit, et quoniam aliis seipsum præposuit, et tertio quoniam totum sibi attribuit, quasi fortiter esset perseveraturus. Ut hoc igitur in eo sanaret, permisit fieri ejus casum, non impellens eum ad negandum, sed eum sibi deserens, et naturam humanam de fragilitate convincens. (*Remigius.*)

*Ait illi Jesus : Amen*, etc. Sed quia intellexerat Petrus Dominum præ timore mortis eum se prædixisse negaturum, ob hoc dicebat, quod licet periculum immineret mortis, nullo modo ab ejus fide posset avelli : et similiter alii apostoli, per ardorem mentis, non timuerunt damnum mortis : sed vana fuit præsumptio humana sine protectione divina. (*Rabanus.*)



## MEDITATIO CCLXXI.

### De discessu Christi e cœnaculo in hortum.

1. — Jesus egressus ibat secundum consuetudinem in montem Olivarum, secuti sunt autem illum et discipuli. (*Luc. XXII. 39.*)

Hæc cum dixisset Jesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipse, et discipuli ejus.

Sciebat autem et Judas, qui tradebat eum locum : quia frequenter Jesus convenerat illuc cum discipulis suis. (*Joan. XVIII. 1, 2.*)

Pulchre autem sui corporis mysteriis imbutos in montem olivarum discipulos educit, ut omnes in morte sua baptizatos, sancti Spiritus charismate confirmandos esse designet. (*Beda.*)

De nocte autem vadit, et flumen pertransit, et properat ad locum proditori cognitum, auferens his qui insidiabantur laborem, et ostendens discipulis quoniam volens ad mortem venit. (*Chrysostomus.*)

Noverat etiam Judas Dominum, festo tempore, consuevisse semper docere discipulos aliquod sublime : erat autem solitus

docere hujusmodi mystica in talibus locis : ac quoniam tunc dies erat solemnis, arbitratus est illum esse illic, et discipulos docere quæ ad celebritatem spectabant. (*Theophylactus.*)

II. — Tunc venit Jesus cum illis in villam, quæ dicitur Gethsemani, et dixit discipulis suis : Sedete hic donec vadam illuc, et orem. (*Matth. XXVI. 36.*)

Paulo superius Evangelista dixerat quia hymno jam dicto, exiit cum discipulis in montem Oliveti : et ut ostenderet ad quem locum ipsius montis diverterit consequenter adjunxit : *Tunc*, etc. (*Remigius.*)

Consuetudo erat ei sine discipulis orare; unde sequitur : *et dixit discipulis suis :* de hoc autem faciebat erudiens nos in orationibus quietem nobis constituere, et solitudinem quærere. (*Chrysostomus.*)

III. — Et assumpto Petro, et duobus filiis Zebedei, cœpit contristari et mœstus esse. (*Matth. XXVI. 37.*)

Cœpit pavere et tædere. Et ait illis : Tristis est anima mea usque ad mortem : sustinete hic et vigilate. (*Marc. XIV. 33, 34.*) Mecum. (*Matth. XXVI. 34.*)

Orate ne intretis in tentationem. (*Luc. XXII. 40.*)



Illos videlicet assumpsit quibus in monte claritatem suæ majestatis ostenderat. (*Remigius.*)

*Et cœpit pavere*, etc. Quia enim totum assumpserat hominem, assumpsit et naturales proprietates hominis, pavere et tædere et contristari naturaliter : nam homines naturaliter inviti tendunt ad mortem. (*Theophylactus.*)

Impossibile quidem est humanam animam non tentari : unde non ait : Orate ne tentemini : sed *Orate ne intretis in tentationem;* hoc est ne tentatio vos superet ultima. (*Beda.*)

## MEDITATIO CCLXXII.

### De oratione Christi in horto.

I. — Jesus avulsus est ab eis, quantum jactus est lapidis, et positis genibus orabat. (*Luc. XXII. 41.*)

Procidit super terram et orabat. (*Marc. XIV. 35.*) Procidit in faciem suam orans. (*Matth. XXVI. 39.*)

Ut si fieri posset transiret ab eo hora. (*Marc. XIV. 35.*)

Sed ne solis verbis eis prodesset, procedens paululum orabat. Ubi invenies eum semotum orantem, ut discas quod animo

attento et corde quieto colloquendum est cum Deo sublimi. Non autem quasi egens alieni suffragii precibus insistebat, qui est omnipotentissima virtus Patris : sed ut discamus non esse in tentationibus dormitandum, sed magis orationibus insistendum. (*Cyrillus.*)

Qui dixerat (*Matth. XI.*) : " Discite a me quia mitis sum et humilis corde " laudabiliter se humilians cadit in faciem. (*Origenes.*)

Secundum autem quod cœpit pavere et tristari; secundum hoc orat calicem passionis transire, et non sicut ipse vult, sed sicut Pater; hoc est non secundum substantiam ejus divinam et impassibilem, sed secundum naturam humanam et infirmam. (*Origenes.*)

II. — Et dixit : Abba pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc a me. (*Marc. XIV. 36.*)

Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste. (*Matth. XXVI. 39.*)

Pater si vis, transfer calicem istum a me. (*Luc. XXII. 44.*)

Quod dicit, *transfer calicem istum a me*, non est, hoc non adveniat mihi : nisi enim advenerit, transferri non potest. Igitur ut sensit jam præsentem, cœpit affici et tristari, et quasi jam propinquante eo dicit, *transfer calicem hunc.* (*Dionysius Alexandrinus.*)



Quasi homo mortem recusans; quasi Deus sententiam suam servans. (*Ambrosius.*)

III. — Sed non quod ego volo, sed quod tu. (*Marc. XIV. 36.*)

Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. (*Matth. XXVI. 39.*)

Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. (*Luc. XXII. 42.*)

Orat autem transire calicem, ut ostendat vere quod homo erat. Reminiscens autem et propter quid missus est, perficit dispensationem ad quam missus est, et clamat : *Sed non quod ego*, etc.

Multi adhuc contristantur futura morte, sed habeant rectum cor, vitent mortem quam possunt : sed si non possunt, dicant id quod propter nos Dominus dixit. (*Beda.*)

## MEDITATIO CCLXXIII.

### De reversione Christi ad discipulos dormientes.

I. — Jesus venit ad discipulos suos, et invenit eos dormientes. (*Matth. XXVI. 40.*) Et ait Petro, Simon dormis? non potuisti una hora vigilare? (*Marc. XIV. 37.*)

Et dicit Petro : Sic non potuisti una hora vigilare mecum?

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. (*Matth. XXVI. 40, 41. — Marc. XIV. 38.*)

Sicut enim dormiunt mente sic et corpore. Post orationem autem Dominus veniens, et videns discipulos dormientes, Petrum solum increpat quasi dicat : Qui una hora non potuisti mecum vigilare, quomodo mortem spernes tu qui spondes mori mecum? (*Hieronymus.*)

Spiritus quidem vester promptus est ad me non negandum, et propterea hoc promittitis : sed caro vestra in tantum infirma est, quod nisi Dominus per orationem virtutem carni dederit, in tentationem intrabitis. (*Theophylactus.*)

In tentationem autem intrare dicitur qui orare negligit. (*Hieronymus.*)

II. — Jesus iterum secundo abiit, et oravit, dicens : Pater mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua. (*Matth. XXVI. 42.*)

Quod quidem secundo vel tertio orat, ex affectu scilicet humanæ infirmitatis, quo mortem timebat, certificat quod vere factus est homo. Secundo enim vel tertio aliquid fieri, veritatis est maxime demonstrativum in Scripturis, unde Joseph dixit Pharaoni (*Gen. XLI.*) : " Quod vidisti secundo ad



eamdem rem pertinens, somnii firmitatem indicium est. (*Chrysostomus.*)

III. — Et reversus denuo invenit eos dormientes, (erant enim oculi eorum gravati) et ignorabant quid responderent ei. (*Marc. XIV. 40.*)

Et relictis illis, iterum abiit, et oravit tertio eumdem sermonem dicens. (*Matth. XXVI. 44.*)

Christus solus orat pro omnibus, sicut et solus patitur pro universis. (*Hieronymus.*)

Languescebant enim et opprimebantur apostolorum oculi negatione vicina. (*Hieronymus.*)

Puto enim quod non tantum corporum oculis quantum animarum gravati erant : nondum enim erat eis Spiritus datus : unde non eos reprehendit, sed vadens iterum oravit, docens ut non deficiamus, sed permaneamus in oratione, donec impetremus ea quæ postulare jam cœpimus. (*Origenes.*)

## MEDITATIO CCLXXIV.

### De tertia Christi oratione et sudore sanguinis.

I. — Jesus factus in agonia prolixius orabat. (*Luc. XXII. 43.*)

Appropinquante morte, nostræ mentis in se certamen expressit, qui vim quamdam terroris ac formidinis patimur, cum per solutionem carnis æterno judicio propinquamus : nec immerito, quoniam anima post pusillum hoc invenit quod in æternum mutare non possit. (*Gregorius.*)

II. — Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. (*Luc. XXII. 44.*)

Nemo sudorem hunc infirmitati deputet, quia contra naturam est sudare sanguinem : sed potius intelligat, per hoc nobis declaratum quod effectum jam suæ precis obtineret; ut scilicet fidem discipulorum, quam terrena adhuc fragilitas arguebat, suo sanguine purgaret. (*Beda.*)

III. — Apparuit autem illi Angelus de cœlo, confortans eum. (*Luc. XXII. 43.*)

Alibi legimus, (*Matth. IV.*) "Quia, Angeli accesserunt et ministrabant ei." In documento ergo utriusque naturæ, Angeli et ei ministrasse, et eum confortasse dicuntur. Creator enim creaturæ suæ non eguit præsidio, sed homo factus, sicut propter nos tristis est, ita propter nos confortatur. (*Beda.*)



## MEDITATIO CCLXXV.

### De proditione Judæ.

I. — Sciebat autem et Judas, qui tradebat eum locum : quia frequenter Jesus convenerat illuc cum discipulis suis.

Judas ergo cum accepisset cohortem, et a pontificibus, et Pharisæis ministros, venit illuc cum laternis, et facibus, et armis. (*Joan. XVIII. 2, 3.*)

Ibi ergo lupus ovina pelle contectus, et inter oves alto patrisfamilias consilio toleratus didicit, ubi ad tempus exiguum dispergeret gregem, insidiis appetendo pastorem. (*Augustinus.*)

Cohors non Judæorum, sed militum fuit. A præside itaque intelligitur accepta, tamquam ad tenendum reum servato ordine legitimæ potestatis, ut nullus tenentibus auderet obsistere : quamquam et manus tanta fuerat congregata, et sic armata veniebat, ut vel terreret, vel etiam repugnaret si quisquam Christum defendere auderet. (*Augustinus.*)

Faces autem afferunt et laternas, ne Christus latens in tenebris fugeret. (*Theophylactus.*)

II. — Tunc venit Jesus ad discipulos suos, et dicit illis : Dormite jam et re-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quiescite : ecce appropinquavit hora, et Filius hominis tradetur in manus peccatorum.

Surgite, eamus : ecce appropinquavit qui me tradet. (*Matth. XXVI. 45, 46. — Marc. XIV. 41, 42.*)

Post orationem frequentem, post discursus recursusque multiplices, metam demit, securitatem reddit, in requiem adhortatur. (*Hilarius.*)

Et quidem tunc vigilare oportebat : sed hoc dixit ut ostenderet quoniam neque visum possent ferre futurorum malorum, et quoniam eorum non indiget auxilio : et quoniam omnino tradi eum oportebat. (*Chrysostomus.*)

Per hoc autem quod dicit, *appropinquavit hora* ostendit quoniam divinæ dispositionis erat quod gerebatur : per hoc autem quod dicit *in manus peccatorum*, demonstrat quoniam illorum nequitiæ hoc opus erat, non quod ipse delicto esset obnoxius.

Postquam ergo tertio oraverat, et Apostolorum timorem, sequente pœnitentia impetraverat corrigendum, securus de passione sua pergit ad persecutores, et ultro se ad interficiendum præbet : unde sequitur : *Surgite eamus*, quasi dicat : non vos inveniant quasi timentes : ultro pergamus ad mortem, ut confidentiam et gaudium passuri videant. (*Hieronymus.*)



III. — Adhuc eo loquente, ecce Judas unus de duodecim venit, et cum eo turba multa cum gladiis, et fustibus missi a principibus sacerdotum, et senioribus populi. (*Matth. XXVI. 47. — Marc. XIV. 43.*)

Et qui vocabatur Judas, unus de duodecim antecedebat eos : et appropinquavit Jesus ut oscularetur eum. (*Luc. XXII. 47.*)

Quia superius dictum est quod Dominus ultro se persecutoribus exhibebat, consequenter Evangelista ostendit quomodo sit a persecutoribus detentus : unde dicit : *Adhuc eo loquente, ecce Judas unus de duodecim venit.* (*Glossa.*)

*Unus* videlicet numero, non merito. Hoc autem dixit ad ostendendum immane facinus illius qui de Apostolica dignitate factus fuerat proditor. Sequitur : *et cum eo turba multa cum gladiis et fustibus.* Ut autem ostenderet Evangelista invidiæ causa illum deprehensum, subjungit : *missi a principibus sacerdotum et senioribus populi.*

IV. — Dederat autem traditor ejus signum eis, dicens : Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, et ducite caute. (*Marc. XIV. 44.*)

Et confestim accedens ad Jesum, dixit Ave Rabbi. Et osculatus est eum.

Dixitque illi Jesus : Amice, ad quid venisti? (*Matth. XXVI. 49, 50.*)

Jesus autem dixit illi : Juda, osculo Filium hominis tradis. (*Luc. XXII. 48.*)

Dat Judas signum osculi cum veneno doli : sic Cain obtulit sacrificium subdolum et reprobatum. (*Hieronymus.*)

Si autem aliquis quærat cur osculo Judas tradidit Jesum : secundum quosdam quidem voluit reverentiam ad magistrum servare, non audens manifeste in eum irruere : secundum alios autem hoc fecit, timens ne si forte se manifestum adversarium præbuisset, ipse ei fieret causa evasionis, cum posset secundum opinionem ejus effugere, et facere se impervium. Ego autem puto quod omnes proditores veritatis, amare veritatem fingentes, osculi signo utuntur. Omnes etiam hæretici, sicut et Judas, Jesu dicunt Rabbi. Jesus autem placabilia respondet : unde sequitur : *Dixitque illi Jesus : Amice ad quid venisti?* Dicit autem *Amice*, improperans simulationem : hoc enim nomine neminem bonorum in scripturis cognoscimus appellatum : ad malum enim dicitur (*Matth. XXII.*) " Amice quomodo huc intrasti? " et supra *XX*; " Amice non facio tibi injuriam. " (*Origenes.*)



## MEDITATIO CCLXXVI.

### De hostibus in terram prostratis.

I. — Jesus itaque sciens omnia, quæ ventura erant super eum, processit et dixit eis : Quem quæritis?

Responderunt ei : Jesum Nazarenum. Dixit eis Jesus : Ego sum. Stabat autem et Judas, qui tradebat eum, cum ipsis. (*Joan. XVIII. 4, 5.*)

In medio enim eorum exsistens excæcavit eorum oculos : quoniam non tenebræ causa erant indicavit Evangelista, dicens; quoniam habuerunt lampades. Si vero lampades non essent, a voce saltem debebant eum agnoscere. Si vero et illi ignorabant, qualiter Judas ignoravit qui cum eo fuerat continue? Fecit autem hoc Jesus, ostendens quoniam non solum comprehendere eum non possent, sed nec videre in medio exsistentem, nisi ipse concederet. (*Chrysostomus.*)

II. — Ut ergo dixit eis : Ego sum : abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram. (*Joan. XVIII. 6.*)

Ubi nunc militum cohors, ubi terror et munimen armorum? Una vox turbam odiis ferocem armisque terribilem sine telo ullo percussit, repulit, stravit. Deus enim latebat

in carne, et sempiternus dies ita membris occultabatur humanis, ut cum laternis et facibus quæreretur occidendus a tenebris. Quid judicaturus faciet qui judicandus hoc fecit?

Et nunc utique per Evangelium, *Ego sum*, dicit Christus, et a Judæis exspectatur Antichristus, ut retro redeant et in terram cadant : quoniam deserentes cœlestia, terrena desiderant. (*Augustinus.*)

III. — Iterum ergo interrogavit eos : Quem quæritis? Illi autem dixerunt : Jesum Nazarenum.

Respondit Jesus : Dixi vobis quia ego sum : si ergo me quæritis, sinite hos abire.

Ut impleretur sermo quem dixit : Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam. (*Joan. XVIII. 7, 8, 9.*)

Audierant primo, *Ego sum :* sed non comprehenderant : quia hoc noluit qui potuit quidquid voluit. Verum si nunquam se ab eis permitteret apprehendi : non quidem illi facerent propter quod venerant, sed nec ipse faceret propter quod venerat : proinde quia tenere volentibus et non valentibus ostendit potestatem suam, jam tenebunt eum, ut faciat de nescientibus voluntatem suam. (*Augustinus.*)



Inimicos jubet, et hoc faciunt quod jubet : sinunt scilicet nunc eos abire quos non vult perire. (*Augustinus.*)

Numquid autem non erant postea morituri? Cur ergo si tunc morerentur, perderet eos, nisi quia nondum in eum sic credebant quomodo credunt quicumque non pereunt?

## MEDITATIO CCLXXVII.

### De vulnerato Malcho et sanato.

I. — Videntes autem hi, qui circa ipsum erant, quod futurum erat, dixerunt ei : Domine, si percutimus in gladio? (*Luc. XXII. 49.*)

Simon ergo Petrus habens gladium eduxit eum : et percussit pontificis servum : et abscidit auriculam ejus dexteram. Erat autem nomen servo Malchus. (*Joan. XVIII. 10.*)

Sed qualiter habent gladios? Quia mactaverant agnum, et a mensa discesserant. Alii autem discipuli quærunt an percuterent : sed Petrus, ubique fervens pro Domino, persuasionem non exspectat, sed percutit servum pontificis. (*Theophylactus.*)

II. — Tunc ait illi Jesus : Converte gladium tuum in locum suum : omnes

enim, qui acceperint gladium gladio peribunt.

An putas quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum?

Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri? (*Matth. XXVI. 52, 53, 54.*)

Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum? (*Joan. XVIII. 11.*)

Contra sacramentum enim erat redemptionis nostræ, ut qui mori pro omnibus venerat, capi nollet. Dat ergo in se furentibus licentiam sæviendi, ne dilato gloriosæ crucis triumpho, et dominatio diabolica fieret longior, et captivitas humana diuturnior. (*Leo Papa.*)

Oportuit etiam ut auctor gratiæ fideles patientiam suo exemplo doceret, et potius ad sustinendum fortiter adversa instrueret, quam ad vindicandum provocaret. (*Rabanus.*)

Ad hoc autem ut discipulo persuaderetur, comminationem addit. (*Chrysostomus.*)

Quo ergo gladio peribit quicumque gladium sumpserit? (*Hieronymus.*)

Qui gladio utitur ad occidendum hominem, ipse suæ prius malitiæ moritur gladio. *Remigius.*)



Non solum autem mitigavit discipulos per comminationem pœnæ, sed etiam ostendendo quod voluntarie hoc sustinebat : unde sequitur : *An putas*, etc. (*Chrysostomus.*)

Quasi diceret : Non indigeo duodecim Apostolorum auxilio, etiamsi omnes me defenderent, qui possum habere duodecim legiones angelici exercitus. (*Hieronymus.*)

III. — Respondens autem Jesus ait : Sinite usque huc. Et cum tetigisset auriculam ejus, sanavit eum. (*Luc. XXII. 51.*)

Cum interrogassent (*discipuli*) dicentes, *Domine si percutimus in gladio?* tunc respondit, *Sinite usque huc :* id est, non vos moveat quod futurum est : permittendi sunt hucusque progredi, hoc est ut me apprehendant, et impleantur quæ de me scripta sunt. Non enim diceret, *Respondens autem Jesus*, nisi ad interrogationem eorum responderet, non facto Petri. Sed inter moras verborum interrogantium Dominum, et illius respondentis, Petrus aviditate defensionis percussit. Sed non potuerunt simul dici, quæ simul fieri potuerunt. Tunc, sicut dicit Lucas, sanavit eum qui percussus erat. (*Augustinus.*)

Nunquam enim pietatis suæ Dominus obliviscitur. Illi justo mortem inferunt, iste persequentium vulnera sanat. (*Beda.*)

## MEDITATIO CCLXXVIII.

### De comprehensione Christi et fuga discipulorum.

I. — Dixit autem Jesus ad eos, qui venerant ad se, principes sacerdotum, et magistratus templi, et seniores : Quasi ad latronem existis cum gladiis, et fustibus. Cum quotidie vobiscum fuerim in templo, non extendistis manus in me : sed hæc est hora vestra, et potestas tenebrarum. (*Luc. XXII. 52, 53.*)

Hoc autem totum factum est, ut adimplerentur Scripturæ prophetarum. (*Matth. XXVI. 56.*)

Non inculcat Dominus præsides Judæorum, quod non sibi mature paraverant insidias mortis : sed arguit eos qui temere opinabantur eum se invasisse ipso invito : ac si dicat : Tunc non cepistis me, quia nolebam ; et nec nunc possetis, nisi me sponte vestris subjicerem manibus : unde sequitur : *sed hæc est hora vestra :* id est parvum tempus concessum est vobis exercendæ in me vestræ sævitiæ, Patre votis meis favente. Dicit etiam quod hæc potestas est tenebris data, idest diabolo et Judæis insurgendi in Christum : et hoc est quod subditur : *et potestas tenebrarum.* (*Cyrillus.*)



Quasi dicat : Ideo adversum me in tenebris congregamini, quia potestas vestra quasi contra lucem mundi armamini, in tenebris est. Quæritur autem quomodo Jesus principes sacerdotum, magistratus templi et seniores qui ad se venerunt alloqui dicatur, cum apud alios Evangelistas non ipsos venisse, verum in atrio Caiphæ exspectantes, ministros misisse perhibeatur. Sed huic contrarietati respondetur, quod illi non per seipsos, sed per eos quos miserunt ad apprehendendum Christum, in suæ jussionis potestate venerunt. (*Beda.*)

Quia enim omnes Prophetæ prædixerunt Christi passionem, ideo Evangelista non posuit fixum testimonium, sed generaliter dicit impleri vaticinia omnium Prophetarum. (*Remigius.*)

II. — Tunc accesserunt, et manus injecerunt in Jesum, et tenuerunt eum. (*Matth. XXVI. 20.*)

Tunc discipuli ejus relinquentes eum, omnes fugerunt. (*Marc. XIV. 50.*)

*Tunc*, scilicet quando ipse permisit : frequenter enim voluerunt, sed non potuerunt. (*Remigius.*)

Exsulta Christiane, in commercio inimicorum tuorum vicisti : quod Judas vendidit et quod Judæus emit, tu acquisivisti. (*Rabanus.*)

Discipuli autem, qui quando detentus est Dominus permanserunt, quando locutus est hæc ad turbas fugerunt : sciebant enim quoniam jam non erat possibile effugere, eo se voluntarie illis tradente. (*Chrysostomus.*)

III. — Adolescens autem quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo : et tenuerunt eum.

At ille rejecta sindone, nudus profugit ab eis. (*Marc. XIV. 21, 22.*)

Hoc de Joanne dicitur, qui, etsi post, ut verba Redemptoris audiret, ad crucem rediit, prius tamen territus fugit. Nam, et illum eo tempore fuisse adolescentem, longa post hoc in carne vita ejus indicio est. Potuit enim fieri ut ad horam, tenentium manibus elapsus, mox resumpto indumento redierit; et sub dubia lucis nocte, se turbis ducentium Jesum, quasi unus de ipsis immiscuerit; donec ad atrium pontificis, cui erat notus perveniat, ut ipse in suo Evangelio commemorat. (*Gregorius.*)

## MEDITATIO CCLXXIX.

### Christus ducitur ad Annam, mittitur ad Caipham.

I. — Cohors ergo, et tribunus et ministri Judæorum comprehenderunt Jesum, et ligaverunt eum :



Et adduxerunt eum ad Annam primum, erat enim socer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius.

Erat autem Caiphas, qui consilium dederat Judæis : Quia expedit, unum hominem mori pro populo. (*Joan. XVIII. 12, 13, 14.*)

Comprehenderunt ad quem non accesserunt : nec audierunt illud : " Accedite ad eum et illuminamini " : (*Psal. XXXIII.*) Si enim sic accederent, non eum manibus occidendum, sed recipiendum corde comprehenderent. Nunc autem quando eum illo modo comprehenderunt, ab eo longius recesserunt. Sequitur *et ligaverunt eum* : a quo solvi potius velle debuerunt; et erant forte in eis qui postea liberati ab eo, dixerunt : " Dirupisti vincula mea." (*Psal. CXV.*) (*Augustinus.*)

*Et adduxerunt*, etc. Præ delectatione enim gloriabantur in his quæ fiebant, quasi trophæum statuentes. (*Chrysostomus.*)

Nec tacet causam cur ita factum sit : *erat enim socer Caiphæ*, etc. Merito et Matthæus, cum id brevius narrare voluisset, eum ad Caipham ductum fuisse commemorat : quia et ad Annam prius ideo ductus est, quod socer ejus fuerit; et intelligendum sit hoc eumdem Caipham fieri voluisse. (*Augustinus.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ne autem audiens vincula auditor tumultuetur, recoluit prophetiæ, quoniam mors ejus salus fuit orbis terrarum : unde sequitur : *Erat autem Caiphas*, etc. (*Chrysostomus.*)

II. — Misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem. (*Joan. XVIII. 24.*)

At illi tenentes Jesum, duxerunt ad Caipham principem sacerdotum, ubi Scribæ et seniores convenerant. (*Matth. XXVI. 57. — Marc. XIV. 53.*)

Quod dicit *ligatum*, non sic intelligendum est quod tunc tantum fuerit ligatus : sed tunc ligatus est cum est captus : itaque ligatum ad Caipham misit, sicut sibi fuerat præsentatus. (*Beda.*)

Refert autem Josephus, istum Caipham unius tantum anni pontificatum, pretio redemisse. Non ergo mirum est si iniquus pontifex inique judicet. (*Hieronymus.*)

Ubi Caiphas est princeps sacerdotum, illic congregantur Scribæ idest litterati, qui præsunt litteræ occidenti, et seniores non in veritate sed in vetustate litteræ. (*Origenes.*)

III. — Petrus autem sequebatur eum a longe usque in atrium principis sacerdotum. Et ingressus intro, sedebat cum ministris, ut videret finem (*Matth. XXVI. 28.*)



Sedebat cum ministris ad ignem, et calefaciebat se. (*Marc. XIV. 54.*)

Multus enim erat fervor Petri, qui cum alios fugientes vidisset, non fugit, sed stetit et intravit. Si autem et Joannes intravit, tamen notus erat principi sacerdotum. Longe autem sequebatur, quia erat Dominus negaturus. (*Chrysostomus.*)

Vel amore discipuli, vel humana curiositate scire cupiebat quid judicaret de Domino pontifex, utrum eum neci addiceret, an flagellis cæsum dimitteret. (*Hieronymus.*)

## MEDITATIO CCLXXX.

### De responsione data Caiphæ et accepta alapa.

I. — Pontifex ergo interrogavit Jesum de discipulis suis, et de doctrina ejus.

Respondit ei Jesus : Ego palam locutus sum mundo : ego semper docui in synagoga, et in templo, quo omnes Judæi conveniunt : et in occulto locutus sum nihil.

Quid me interrogas? interroga eos, qui audierunt quid locutus sim ipsis : ecce hi sciunt quid dixerim ego. (*Joan. XVIII. 19, 20, 21.*)

Non cognoscendæ veritatis amore interrogat, sed ut causam inveniret qua eum accusare potuisset, et tradere Romano præsidi ad damnandum. Sed Dominus ita temperavit responsionem, ut nec veritatem taceret, nec se defendere videretur. (*Alcuinus.*)

Reminiscitur hic prophetiæ quæ dicit, (*Isai. XLIII.*) " Non in occulto locutus sum, nec in loco terræ tenebroso. " (*Theophylactus.*)

Locutus est quidem in occulto, sed non ut hi æstimabant, trepidans et seditionem faciens; sed ubi multorum auditione superiora erant quæ dicebantur. Volens autem, ex superabundantia, fide dignum constituere suum testimonium subdit : *Quid me interrogas?* etc. Interroga inimicos meos qui insidiantur mihi. Sunt autem hæc verba confidentis in eorum quæ dicta erant veritate : hæc est enim veritatis inalterabilis demonstratio, cum inimicos quis invitat testes. (*Chrysostomus.*)

II. — Hæc autem cum dixisset, unus assistens ministrorum dedit alapam Jesu, dicens : Sic respondes pontifici? (*Joan. XVIII. 22.*)

Hic impletur prophetia (*Thren. III.*) " Dedi maxillam meam percutientibus. " Sed Jesus injuste percussus mansuete respondit. (*Alcuinus.*)



III. — Respondit ei Jesus : Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo : si autem bene, quid me cædis? (*Joan. XVIII. 23.*)

Quid ista responsione verius, mansuetius, justius? Qui enim accepit alapam, numquid vellet eum qui percussit aut cœlesti igne consumi, aut terra dehiscente sorberi, aut correptum dæmonio volutari, aut etiam alia hujusmodi qualibet pœna, vel etiam graviori puniri? Quid horum per potentiam jubere non potuisset per quam factus est mundus, nisi patientiam nos docere maluisset, qua vincitur mundus. (*Augustinus.*)

## MEDITATIO CCLXXXI.

### De falsis testimoniis contra Jesum.

I. — Principes autem sacerdotum, et omne concilium quærebant falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent.

Et non invenerunt, cum multi falsi testes accessissent. (*Matth. XXVI. 59, 60.*)

Multi enim testimonium falsum dicebant adversus eum : et convenientia testimonia non erant. (*Marc. XIV. 56.*)

Congregatis principibus sacerdotum, tota pestilentiæ conventicula, volebant suis insidiis judicii formam imponere. Sed quod fictum erat judicium, et omnia tumultus et turbationis plena, manifestatur per hoc quod subditur: *Et non invenerunt cum multi falsi testes accessissent.* (*Chrysostomus.*)

Falsa enim testimonia tunc locum habent, quando cum colore aliquo proferuntur. Sed nec color inveniebatur qui posset contra Jesum adjuvare mendacia; quamvis essent multi gratiam tribuere volentes principibus sacerdotum; quod maximam laudem exhibet Jesu, qui sic omnia irreprehensibiliter dixit et fecit, ut nullam vere similitudinem invenirent in eo reprehensionis et mali et multi astuti. (*Origenes.*)

II. — Novissime autem venerunt duo falsi testes.

Et dixerunt : Hic dixit : Possum destruere templum Dei, et post triduum reædificare illud. (*Matth. XXVI. 60, 61.*)

Quoniam nos audivimus eum dicentem : Ego dissolvam templum hoc manu factum, et per triduum aliud non manu factum ædificabo.

Et non erat conveniens testimonium illorum. (*Marc. XIV. 58, 59.*)

Quomodo autem falsi testes sunt, si ea dicunt quæ Dominum dixisse legimus! Sed



falsus testis est qui non eodem sensu dicta intelligit quo dicuntur : Dominus enim dixerat de templo corporis sui; sed in ipsis verbis calumniantur, ut paucis additis vel mutatis quasi justam calumniam faciant. Salvator dixerat (*Joan. II.*) : " Solvite templum hoc " : isti commutant et aiunt : *Possum destruere templum Dei.* Vos inquit, solvite, non ego : quia illicitum est ut nobismetipsis inferamus manus. Deinde illi vertunt : *et post triduum reædificare illud,* ut proprie de templo Judaico dixisse videretur : Dominus autem, ut ostenderet animale et spirans, dixerat : " Et ego in triduo resuscitabo illud. " Aliud est ædificare, aliud resuscitare. (*Hieronymus.*)

III. — Et surgens princeps sacerdotum ait illi : Nihil respondes ad ea quæ isti adversum te testificantur? (*Matth. XXVI. 62.*)

Exsurgens summus sacerdos in medium, interrogavit Jesum dicens : Non respondes quidquam ad ea, quæ tibi objiciuntur ab his?

Ille autem tacebat et nihil respondit. (*Marc. XIV. 60, 61.*)

Ira autem præceps et impatiens, non inveniens calumniæ locum, excutit de solio pontificem, ut vesaniam mentis motu corporis demonstraret. (*Hieronymus.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Sed ipse Deus et Salvator noster, qui mundo salutem contulit, et humano generi sua pietate subvenit, sicut ovis ad occisionem sine voce ducitur, et obmutuit et siluit a bonis : Taciturnitas Christi apologiam, idest excusationem Adæ absolvit. (*Hieronymus.*)

## MEDITATIO CCLXXXII.

### Adjuratio, blasphemia, colaphi, alapæ, sputa.

I. — Rursum summus sacerdos interrogabat eum, et dixit ei ! Tu es Christus Filius Dei benedicti? (*Marc. XIV. 61.*)

Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus filius Dei. (*Matth. XXVI. 63.*)

Dicit illi Jesus : Tu dixisti. (*Matth. XXVI. 64.*) Ego sum. (*Marc. XIV. 62.*)

Verumtamen dico vobis, amodo videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli. (*Matth. XXVI. 64.*)

Princeps sacerdotum peccatum faciebat insidians Jesu; et ideo imitabatur proprium patrem, qui bis dubie interrogavit Salvatorem (*Matth. IV.*) : Si tu es Christus Filius Dei? Unde quis recte dicere potest; quoniam dubitare de Filio Dei utrum ipse sit Christus, opus diaboli est. Non decebat autem Dominum, ad adjurationem principis respondere sacerdotum, quasi vim passum : propter quod nec denegavit se Filium Dei esse, nec manifeste confessus est : unde sequitur : *Dicit illi Jesus, Tu dixisti.* Non enim erat dignus Christi doctrina : propterea non eum docet, sed verbum oris ejus accipiens, in redargutionem ipsius convertit. (*Origenes.*)



Et quidem sacerdos interrogat Filium Dei, Jesus autem respondet Filium hominis : ut hinc intelligamus Dei Filium idem esse et filium hominis : et ne quaternitatem faciamus in Trinitate; sed homo in Deo et Deus in homine sit. Dicit autem, *a dextris virtutis sedentem;* idest in vita regnantem sempiterna, et virtute divina. *Et venientem cum nubibus cœli.* In nube ascendit, cum nubibus veniet : id est, in corpore suo solo quod sumpsit a Virgine ascendit, et cum multiformi Ecclesia, quæ corpus ipsius et plenitudo ejus, ad judicium venturus est. (*Hieronymus.*)

II. — Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens : Blasphemavit : quid adhuc egemus testibus? ecce nunc audistis blasphemiam :

Quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt : Reus est mortis. (*Matth. XXVI. 65, 66.*)

Omnes condemnaverunt eum esse reum mortis. (*Marc. XIV. 64.*)

Pontificem autem quem de solio sacerdotali furor excusserat, eadem rabies ad scindendum vestes provocat. Consuetudinis enim judaicæ est, quod cum aliquid blasphemum et quasi contra Deum audierint scindant vestimenta sua. (*Hieronymus.*)

Hoc igitur fecit ut accusationem redderet graviorem; et quod verbis dicebat factis extolleret. (*Chrysostomus.*)

Cum ergo scidisset vestimenta sua, non fert sententiam a seipso, sed ab aliis eam exquirit, dicens, *Quid vobis videtur*, etc.

*At illi respondentes dixerunt : Reus est mortis* : ipsi accusantes, ipsi discutientes, ipsi sententiam proferentes. (*Chrysostomus.*)

Quantum putas fuit erroris, ipsam principalem omnium vitam, ream mortis pronuntiare, et per tantorum resurgentium testimonia, non respicere fontem vitæ, de qua in omnes resurgentes vita fluebat? (*Origenes.*)

III. — Et viri qui tenebant illum, illudebant ei cædentes. (*Luc. XXII. 63.*)

Tunc exspuerunt in faciem ejus, et colaphis eum ceciderunt. (*Matth. XXVI. 67.*)



Et velaverunt eum (faciem ejus. *Marc. XIV. 65.*) et palmas in faciem ejus dederunt, dicentes : Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit? (*Matth. XXVI. 68.*)

Et alia multa blasphemantes dicebant in eum. (*Luc. XXII. 65.*)

Attende quod Evangelista, cum summa diligentia ea quæ videntur esse exprobratissima exponit, nihil occultans aut verecundans; sed gloriam existimans maximam, dominatorem orbis terrarum pro nobis talia sustinere. Hoc autem legamus continuo, hoc nostræ menti inscribamus, et in his gloriemur. (*Beda.*)

## MEDITATIO CCLXXXIII.

### De prima Petri negatione.

I. — Sequebatur autem Jesum Simon Petrus, et alius discipulus. Discipulus autem ille erat notus pontifici, et introivit cum Jesu in atrium pontificis.

Petrus autem stabat ad ostium foris. Exivit ergo discipulus alius, qui erat notus pontifici, et dixit ostiariæ et introduxit Petrum. (*Joan. XVIII. 15, 16.*)

Ex devotione, Petrus, sequebatur magistrum, quamvis a longe propter timorem. (*Alcuinus.*)

Quis sit autem ille alius discipulus, non temere affirmandum est, quia tacetur. Solet autem se idem Joannes ita significare et addere, *quem diligebat Jesus* : fortassis ergo et ipse est. (*Augustinus*)

Se autem occultat humilitatis gratia, etenim hic magnam rectitudinem enarrat; quomodo omnibus fugientibus ipse sequitur. Sed præponit sibi Petrum, et sui ipsius coactus est meminisse, ut discas quoniam certius enarrat ea quæ facta sunt in atrio, quasi intus exsistens. Succidit autem propriam laudem subdens : *Discipulus ille erat notus pontifici*, etc. : non enim hoc ut magnum quid de seipso ponit; sed quia dixit quod intravit cum Jesu solus, ut non æstimes hoc excelsæ mentis esse, addit causam. (*Chrysostomus.*)

II. — Accenso autem igne in medio atrii et circumsedentibus illis (*ministris*) erat Petrus in medio eorum. (*Luc. XXII. 55.*)

Petrus vero sedebat foris in atrio. (*Matth. XXVI. 69.*)

Traditæ enim erant Petro claves regni cœlorum : credenda erat ei populorum innumera multitudo, quæ esset involuta peccatis.



Erat autem Petrus paulo durior, sicut truncata servi principis sacerdotum declarat auricula. Hic igitur tam durus, tamque severus, si donum non peccandi fuisset adeptus; quæ venia commissis populis donaretur? Quem divina providentia permisit, quod primo ipse laberetur in peccatum, quo erga peccantes duriorem sententiam proprii casus intuitu temperaret. Et cum se calefacere vellet ad prunas, accessit ad eum puella, de qua sequitur. (*Augustinus.*)

III. — Et cum esset Petrus in atrio deorsum, venit una ex ancillis summi sacerdotis (ancilla ostiaria. *Joan. XVIII. 17.*)Et cum vidisset Petrum calefacientem se. (*Marc. XIV. 67.*)

Et cum fuisset intuita, dixit : Et hic cum illo erat. (*Luc. XXII. 56.*)

Accessit ad eum una ancilla, dicens : Et tu cum Jesu Galilæo, Nazareno, eras. (*Matth. XXVI. 69. — Marc. XIV. 67.*)

Numquid et tu ex discipulis es hominis istius? (*Joan. XVIII. 17.*)

Quid sibi vult quod primo eum prodit ancilla, cum viri utique magis potuerint eum recognoscere, nisi ut iste sexus peccare in nece Domini videretur, ut et iste sexus redimeretur per Domini passionem? (*Ambrosius.*)

IV. — At ille negavit coram omnibus, dicens : Nescio quid dicis. (*Matth. XXVI. 70.*)

At ille negavit dicens : Neque scio, neque novi quid dicas. (*Marc. XIV. 68.*)

At ille negavit eum dicens : Mulier, non novi illum. (*Luc. XXII. 57.*)

Dicit ille : Non sum (*Joan. XVIII. 17.*) (nimirum, ex discipulis hominis istius.)

Ex exiit foras ante atrium et gallus cantavit. (*Marc. XIV. 68.*)

Quid ais, o Petre? Vox tua repente mutata est : os enim plenum fidei et amoris, in odium perfidiamque conversum est : non tibi flagella, nondum sunt admota tormenta : qui te interrogat, nullus est eorum qui auctoritate sua possit formidinem incutere confitenti : mulier te simplici voce interrogat, et forte nec proditura confessum; nec tamen mulier, sed puella ostiaria, vile mancipium. (*Augustinus.*)

Sed ideo negavit Petrus quia procedit incaute : non negat in monte, non in templo, non in sua domo, sed in prætorio Judæorum : ibi negat ubi Jesus ligatus est, ubi veritas non est. (*Ambrosius.*)



## MEDITATIO CCLXXXIV.

### De secunda et tertia negatione Petri ejusdemque pœnitentia.

I. — Exeunte autem illo januam vidit eum alia ancilla, et ait his qui erant ibi : Et hic erat cum Jesu Nazareno. (*Matth. XXVI. 71.*)

Et post pusillum alius videns eum dixit : Et tu de illis es. Petrus vero ait : O homo, non sum. (*Luc. XXII. 58.*)

Et iterum negavit, cum juramento; quia non novi hominem. (*Matth. XXVI. 72.*)

Intelligitur autem quod postquam exiit foras, cum jam semel negasset, gallus cantavit primum, quod Marcus dicit. (*Augustinus.*)

Ut ostendat quod neque vox gallica cum a negatione detinuit, neque in memoriam suæ promissionis reduxit. (*Chrysostomus.*)

Cum ergo surgeret et exiret animadvertit (illa alia ancilla) *et ait his qui erant ibi*, idest qui simul aderant ad ignem in atrio: *Et hic erat cum Jesu Nazareno :* ille autem qui foras exierat, hoc audito regressus est, ut se quasi purgaret negando. Vel quod est credibilius, non audivit quod de eo dictum fuerat cum foras exiret, et postquam rediit

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quod dictum ei dixerunt ancilla et ille alius quem Lucas commemorat. (*Augustinus.*)

Nota, quia primum ait, *Nescio quid dicis;* secundo *cum juramento* negat : tertio quia cœpit *detestari et jurare.* Perseverare quippe in peccato dat incrementum scelerum : et qui minima spernit, cadit in majora. (*Rabanus.*)

11. — Et intervallo facto quasi horæ unius, alius quidam affirmabat dicens : Vere et hic cum illo erat : nam et Galilæus est. (*Luc. XXII. 59.*)

Accesserunt qui stabant et dixerunt Petro : Vere et tu ex illis es : nam et loquela tua manifestum te facit. (*Matth. XXVII. 73. — Marc. XIV. 70.*)

Dicit ei unus ex servis pontificis, cognatus ejus, cujus abscidit Petrus auriculam : Nonne ego te vidi in horto cum illo? (*Joan. XVIII. 26.*)

Et ait Petrus : Homo nescio quid dicis. (*Luc. XXII. 60.*)

Tunc cœpit detestari et jurare quia non novisset hominem. (*Matth. XXVI. 74.*)

Cœpit anathematizare et jurare : quia nescio hominem istum quem dicitis.

Et statim gallus iterum cantavit. (*Marc. XIV. 71.*)



Et continuo, adhuc illo loquente, cantavit gallus. (*Luc. XXII. 60.*)

Nunc jam de tertia negatione inspiciamus : sequitur enim, *et post pusillum;* Lucas autem dixit, *intervallo facto quasi horæ unius, accesserunt qui stabant et dixerunt Petro : Vere et tu ex illis es,* et ut eum convincant, consequenter adjungunt : *nam et loquela tua manifestum te facit.* (*Augustinus.*)

Non quod alterius sermonis esset Petrus, aut gentis externæ : omnes quippe Hebræi erant et qui arguebant, et qui arguebatur : sed quin unaquæque provincia et regio habeat proprietates suas, et vernaculum loquendi sonum, vitare non possit (*Hieronymus.*)

Vide autem quam sint noxia pravorum hominum colloquia : ipsa quippe coegerunt Petrum negare Dominum, quem prius confessus fuerat esse Dei Filium. (*Remigius.*)

Sed neque hortus (*Nonne te vidi in horto cum illo*) in memoriam reduxit ea quæ ibi dicta sunt, neque multa dilectio quam illic per verba ostendit. (*Chrysostomus.*)

*Tunc cœpit detestari et jurare, quia non novisset hominem.*

*Et statim gallus cantavit.* Ecce medici completa est prædictio, ægroti convicta præsumptio : non enim factum est quod ille dixerat : "Animam meam pro te ponam" sed

factum est quod ille prædixerat : " Ter me negabis. " (*Augustinus.*)

III. — Conversus Dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat : Quia priusquam gallus cantet, ter me negabis. (*Luc. XXII. 61. — Marc. XIV. 72. — Matth. XXVI. 75.*)

Et egressus foras Petrus flevit amare. (*Luc. XXII. 62. — Matth. XXVI. 75.*)

Admirare autem curam magistri; quia cum vinctus esset, multa utebatur provisione erga discipulum, quem nutu erigens ad lacrymas provocavit. (*Chrysostomus.*)

Non enim fieri poterat, ut in negationis tenebris permaneret quem lux rexpexerat mundi.

In atrio Caiphæ sedens non poterat agere pœnitentiam : unde foras egreditur, de impiorum concilio, ut pavidæ negationis sordes amaris fletibus lavet. (*Hieronymus.*)

## MEDITATIO CCLXXXV.

### Jesus a concilio damnatus ducitur ad Pilatum.

I. — Ut factus est dies, convenerunt seniores plebis et principes sacerdotum,



et Scribæ, et duxerunt illum in concilium suum, dicentes : Si tu es Christus, dic nobis.

Et ait illis : Si vobis dixero, non credetis mihi.

Si autem et interrogavero, non respondebitis mihi, neque dimittetis.

Ex hoc autem erit Filius hominis sedens a dextris virtutis Dei. (*Luc. XXII. 66, 67, 68, 69.*)

*Si tu es Christus, dic nobis.* Siquidem Christum hominem tantummodo de stirpe David venturum sperantes, hoc quærebant, ut si diceret : Ego sum Christus, calumniarentur, quod sibi arrogaret regiam potestatem. (*Beda.*)

*Et ait illis : Si vobis dixero,* etc. Etenim despiciebat insaniam eorum, et intrepide eis loquebatur. Hinc autem manifestum, quod inobedientes nullam utilitatem percipiunt cum eis revelantur mysteria, sed majorem condemnationem accipiunt, ideo illis occultanda sunt : nam hoc majoris est misericordiæ. (*Theophylactus, ibid.*)

Non est vobis de cetero tempus sermonis et doctrinæ : sed deinceps judicii tempus erit, cum videbitis me Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei. (*Theophylactus.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

II. — Dixerunt autem omnes : Tu ergo es Filius Dei? Qui ait : Vos dicitis, quia ego sum.

At illi dixerunt : Quid adhuc desideramus testimonium? Ipsi enim audivimus de ore ejus. (*Luc. XXII. 70, 71.*)

Hoc igitur audientes : *Ex hoc autem erit*, etc., timere debebant; sed illi, post hæc verba, magis insaniunt. (*Theophylactus.*)

Quod se Filium Dei dixerat, acceperunt in eo quod ait : *Erit Filius hominis sedens a dextris virtutis Dei.* (*Beda.*)

Dominus autem maluit se regem probare quam dicere; ut condemnandi causam habere non possint, qui quod objiciunt hoc fatentur. (*Ambrosius.*)

*Qui ait : Vos dicitis, quia ego sum.* Hoc autem dicente Christo, succensuit pharisæorum cohors, usurpans ignominiæ vocem.

III. — Et surgens omnis multitudo eorum duxerunt illum ad Pilatum. (*Luc. XXIII. 1.*)

Adducunt ergo Jesum, a Caipha in prætorium. (*Joan. XVIII. 28.*)

Et vinctum adduxerunt eum, et tradiderunt Pontio Pilato præsidi. (*Matth. XXVII. 2.*)

Erat autem mane : et ipsi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha. (*Joan. XVIII. 28.*)



Ut impleretur sermo Jesu quem de sua morte prædixit, "Tradetur Gentibus," scilicet Romanis : nam Pilatus Romanus erat, eumque Romani in Judæam præsidem miserant. (*Beda.*)

Ideo autem eum non occulte interfecerunt, quia volebant ejus gloriæ detrahere : multi enim eum admirabantur : et propter hoc studuerunt publice et coram omnibus eum occidere, et ideo ad præsidem eum duxerunt. (*Chrysostomus.*)

*Et ipsi non introierunt*, etc. O impia cæcitas! Alieni judicis prætorio contaminari timebant, et fratris innocentis sanguinem fundere non timebant. Nam, quod etiam Dominus erat et vitæ dator qui occidebatur, non eorum conscientiæ, sed nescientiæ deputetur. (*Augustinus.*)

## MEDITATIO CCLXXXVI.

### De suspendio Judæ.

I. — Tunc videns Judas qui eum tradidit, quod damnatus esset : pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum et senioribus.

Dicens : Peccavi tradens sanguinem justum. (*Matth. XXVII. 3, 4.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Videns autem Judas Dominum adjudicatum morti, pretium retulit sacerdotibus, quasi in potestate sua esset persecutorum immutare sententiam. (*Hieronymus.*)

Vide autem quoniam pœnitentiam agit, quando completum est et finem accepit peccatum : non enim permittit diabolus, eos qui non vigilant, videre malum antequam perficiant. (*Chrysostomus.*)

Dicendo tamen : *Peccavi, tradens sanguinem justum*, in impietatis suæ perfidia persistit, qui Jesum non Dei Filium, sed nostræ tantummodo conditionis hominem, etiam inter extrema mortis suæ pericula credidit : cujus flexisset misericordiam, si ejus omnipotentiam non negasset. (*Leo Papa.*)

II. — At illi dixerunt : Quid ad nos? tu videris. (*Matth. XXVII. 4.*)

Quamvis ille, (Judas), non absolvitur, Judæorum tamen impudentia confutatur, quos cum professio redarguat venditoris, scelesti tamen sibi vindicant jura contractus, et exsortes reatus se esse credunt, dum dicunt : *Quid ad nos? tu videris.* Amentes plane, qui putant solvi se magis auctoris scelere, quam teneri. In pecuniariis causis, refuso pretio, jus solvitur. Hi pretium recipiunt, et sacrilegium persequuntur, ac pertinacibus studiis funestam sibi vindicant sanguinis auctionem, cum refunderet venditor sacrilegii mercedem. (*Amb. libro IIº. Com. in Lucam.*)



III. — Et Judas projectis argenteis in templo, recessit : et abiens laqueo se suspendit. (*Matth. XXVII. 5.*)

Et suspensus crepuit medius et diffusa sunt omnia viscera ejus. (*Act. I. 18.*)

Recedens autem ab aliquo diabolus, observat tempus iterum : et postquam cognoverit, et ad secundum peccatum induxerit, observat etiam tertiæ deceptionis locum. Simile aliquid factum est in Juda; postquam enim pœnituit non servavit cor suum, sed suscepit abundantiorem tristitiam a diabolo sibi submissam, quia voluit eum absorbere : *et abiens laqueo se suspendit.* Si autem locum pœnitentiæ requisisset, et tempus pœnitentiæ observasset, forsitan invenisset eum qui dixit : (*Ezech. XXXIII.*) " Nolo mortem peccatoris. " (*Origenes.*)

Suspendit autem se laqueo, ut se ostenderet cœlo terræque perosum. (*Rabanus.*)

## MEDITATIO CCLXXXVII.

### De agro figuli empto.

I. — Principes autem sacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt : Non licet eos mittere in corbonam : quia pretium sanguinis est. (*Matth. XXVII. 6.*)

Vere culicem liquantes, et camelum glutientes; si enim ideo non mittunt pecuniam in corbonam, quia pretium sanguinis est, cur ipse sanguis effunditur? (*Hieronymus.*)

II. — Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum.

Propter hoc vocatus est ager ille, Haceldama, hoc est ager sanguinis, usque in hodiernam diem. (*Matth. XXVII. 7, 8.*)

Providentia autem Dei factum puto, ut pretium Salvatoris non peccatoribus sumptum præbeat, sed peregrinis requiem subministret : ut jam exinde Christus et vivos sanguinis sui passione suscipiat. Pretio ergo dominici sanguinis ager figuli comparatur. Legimus in Scripturis, quod totius generis humani salus redempta sit in sanguine Salvatoris. Ager ergo iste mundus totus est. Figulus autem qui mundi possit habere dominatum, ipse est qui vascula corporis nostri fecit de limo. Peregrinos esse dicimus devotissimos christianos, qui renuntiantes sæculo, nihil possidentes in mundo, in Christi sanguine requiescunt : sepultura enim Christi nihil aliud est quam requies Christiani, consepulti enim sumus, sicut ait Apostolus, (*Rom. VI.*) " Cum illo per baptismum in morte. " Nos ergo peregrini in hac luce versamur. (*Augustinus.*)



III. — Tunc impletum est quod dictum est per Jeremiam prophetam, dicentem : Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiaverunt a filiis Israel :

Et dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus. (*Matth. XXVII. 9, 10.*)

Ubi diligenter considerabis; cum hæc non habeantur apud Jeremiam prophetam, num arbitrari oporteat ea per quamdam malitiam sublata esse, an vero librarii erratum fuisse, ut pro Zacharia posuerit Jeremiam. (*Euseb. de demonstrat. libr. X. Cap. 4.*)

## MEDITATIO CCLXXXVIII.

### Repetitio de Juda, ex Actibus Apostolorum.

I. — In diebus illis Judas fuit dux eorum, qui comprehenderunt Jesum :

Qui connumeratus erat in nobis et sortitus est sortem ministerii hujus. (*Act. I. 16, 17.*)

Nam qui honoratus fuerat æque Apostolis, factus est occisionis causa in Christum. (*Glossa in Luc. evang.*)

Sicut enim insanabilia vulnera, nec austeris medicamentis obediunt, nec demulcentibus : sic anima ubi semel est captivata, et seipsam dederit cuicumque peccato, nullum emolumentum ex admonitionibus consequetur. Quod et Judæ accidit. (*Chrysostomus, cat. aur. in Lucæ evang.*)

II. — Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis, et suspensus crepuit medius : et diffusa sunt omnia viscera ejus.

Et notum factum est omnibus habitantibus Jerusalem, ita ut appellaretur ager ille, lingua eorum, Haceldama, hoc est, ager sanguinis. (*Act. I. 18, 19.*)

Pulchre omnino Petrus Apostolus, filium perditionis in locum suum abiisse testatus est, quod in aere crepuerit medius aeriarum collega potestatum : utpote quem veri Dei et veri pariter hominis qui de cœlo venisset operatus salutem in medio terræ : hujus inquam proditorem, nec cœlum reciperet, nec terra sustineret. (*Bernar. in Psal.* Qui habitat. *v. 3.*)

Crepuit enim Arius, sicut de Juda Petrus Apostolus dixit, quia possedit agrum de mercede iniquitatis. Non est fortuita mors, ubi in sacrilegio pari pœnæ parile processit exemplum; ut idem subirent supplicium, qui eumdem dominum negaverunt, et qui



eumdem dominum prodiderunt. (*Ambrosius de Fide l. I. Cap. 9.*)

III. — Scriptum est enim in libro Psalmorum : Fiat commoratio eorum deserta, et non sit qui inhabitet in ea : et episcopatum ejus accipiat alter. (*Act. I. 20.*)

(*Psal. LXVIII.*) *Fiat commoratio eorum deserta*, de Judæis ex professo dicitur, qui ob postulatum ad mortem Christum, terra promissionis pulsi sunt. Sed ob vicinitatem criminis, recte etiam hic de Juda, agroque pretio traditionis ejus exempto dicitur.

At vero quod sequitur : *et episcopatum ejus accipiet alter*, de Psalmo CVIII. sumptum est, ubi etiam. "*Os peccatoris et os dolosi*" os ipsius Judæ proprie nominaverit quispiam. (*Euseb. de demons. lib. X. c. 3.*)

## MEDITATIO CCLXXXIX.

### Accusatur Dominus coram Pilato de tribus.

I. — Adducunt ergo Jesum a Caipha in prætorium. Erat autem mane : et ipsi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha.

Exivit ergo Pilatus ad eos foras, et dixit : Quam accusationem affertis adversus hominem hunc? (*Joan. XVIII. 28.*)

Hæc autem erat consuetudo Judæorum, ut quem mortis reum judicarent, vinctum præsidi traderent; ut dum præses vinctum cerneret, intelligeret morti addictum. (*Beda.*)

Sed videns eum ligatum et a tot ductum, non æstimavit hoc argumentum esse inalterabile accusationis, sed interrogat : *Quam accusationem*, etc. Inconveniens enim dicit esse, judicium eos rapuisse, supplicium autem illi concedere. (*Chrysostomus.*)

II. — Responderunt, et dixerunt ei : Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.

Dixit ergo eis Pilatus : Accipite eum vos et secundum legem vestram judicate eum. Dixerunt ergo ei Judæi : Nobis non licet interficere quemquam.

Ut sermo Jesu impleretur, quem dixit : " *Tradent eum gentibus ad illudendum et flagellandum et crucifigendum.* " (*Matth. XX. 19.*) Significans qua morte esset moriturus. (*Joan. XVIII. 30, 31, 32.*)

Interrogentur atque respondeant ab immundis spiritibus liberati, cæci videntes, mortui resurgentes, et quod omnia superat, stulti sapientes, utrum sit malefactor Jesus. Sed ista dicebant, de quibus per Prophetam jam ipse prædixerat. (*Psal. XXXIX.*) " Retribuebant mihi mala pro bonis. " (*Augustinus.*)



*Dixit ergo eis Pilatus : Accipite*, etc. Quasi dicat : Vos qui legem habetis, scitis quid lex de talibus judicet, secundum quod justum esse scitis, ita facite. (*Alcuinus.*)

Quia dixerat eis, *secundum legem vestram judicate eum*, volentes ostendere quod peccatum ejus non est Judaicum, dicunt, *Non licet nobis* : non enim secundum legem nostram peccavit; sed crimen ejus est publicum, quia se regem dixit. Vel quippe eum crucifigi cupiebant, ut etiam modo mortis eum diffament. Non autem licebat eis crucifigere. Sed quod alio modo interficiebant, monstrat Stephanus ab eis lapidatus : et ideo subditur : *Ut sermo Jesu impleretur, significans qua morte esset moriturus* : quoniam scilicet Judæis crucifigere non licebat. (*Chrysostomus.*)

III. — Cœperunt autem illum accusare, dicentes : Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dare Cæsari, et dicentem se Christum regem esse. (*Luc. XXIII. 2.*)

Evidenter autem adversantur veritati : non enim Dominus prohibuit dare censum,



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sed magis dare jussit. Qualiter autem populum subvertebat, an ut regnum aggrederetur? Sed hoc est incredibile cunctis : quia volente multitudine eum in regem eligere, sciens fugit. (*Theophylactus.*)

## MEDITATIO CCXC.

### Dominus stat ante præsidem.

I. — Introivit ergo iterum in prætorium Pilatus et vocavit Jesum. (*Joan. XVIII. 33.*) Jesus autem stetit ante præsidem.

Et interrogavit eum præses, dicens : Tu es Rex Judæorum. (*Matth. XXVII. 11. — Marc. XV. 2. — Luc. XXIII. 3. — Joan. XVIII. 34.*)

Respondit Jesus : A temetipso hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me? (*Joan. XVIII. 34.*)

Duobus autem Domino objectis, scilicet quod et tributa Cæsari dare prohibuerit et se Christum regem diceret, potuit fieri ut illud quod Dominus ait : (*Luc. XX.*) Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, etiam Pilatum audisse contigerit. Ideoque causam hanc quasi apertum Judæorum mendacium parvipendens, solum quod nesciebat, de regni verbo interrogandum putavit. (*Beda.*)



Judex totius creaturæ constitutus a Patre, vide quantum se humiliavit, ut acquiesceret stare ante judicem tunc terræ Judææ : et interrogatus est interrogatione, quam forsitan deridens, aut dubitans Pilatus interrogat : *Tu es Rex Judæorum?* (*Origenes.*)

*Respondit Jesus : A temetipso*, etc. Innuit ex hoc Pilatum esse vecordem, ac indiscrete judicantem ; ac si diceret : si hoc ex te ipso loqueris, pande signa meæ rebellionis : et si ab aliis percepisti, inquisitionem fac ordinariam. (*Theophylactus.*)

II. — Respondit Pilatus : Numquid ego judæus sum? Gens tua, et pontifices tradiderunt te mihi : quid fecisti?

Respondit Jesus : Regnum meum non est de hoc mundo : si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non traderer Judæis : Nunc autem regnum meum non est hinc. (*Joan. XVIII. 35, 36.*)

Pilatus abstulit a se suspicionem qua posset putari a semetipso dixisse, id se a Judæis audisse demonstrans. Deinde dicendo, *quid fecisti?* Satis ostendit illud ei pro crimine objectum; tanquam diceret : si te regem negas, quid fecisti ut traderis mihi? Quasi mirum non esset, si puniendus judici traderetur qui se diceret regem. (*Augustinus.*)

Reducit autem (*Jesus*) Pilatum non valde malum exsistentem, et vult ostendere quod non est homo nudus, sed Deus et Dei Filius : et quod formidaverat Pilatus, dissolvit tyrannidis suspicionem : *Respondit Jesus : Regnum meum non est de hoc mundo. (Chrysostomus.)*

Audite Judæi et Gentes, non impedio dominationem vestram in hoc mundo, quid vultis amplius? Venite ad regnum quod non est de hoc mundo. Quid est enim ejus regnum, nisi credentes in eum? quibus dicit : " De hoc mundo non estis " : quamvis eos esse vellet in mundo. Unde et hic non ait : Regnum meum non est in hoc mundo, sed, *non est de hoc mundo.* De mundo enim est quidquid hominum a Deo quidem creatum, sed ex Adam vitiata stirpe generatum est : factum est autem regnum, non jam de mundo, quidquid inde in Christo regeneratum est. (*Augustinus.*)

Sequentibus verbis : *si ex hoc mundo esset*, etc. ostendit regni ejus quod apud nos est imbecillitatem, quoniam a ministris habet fortitudinem : superius vero regnum sufficiens est sibi ipsi, nullo indigens. Si igitur majus est illud regnum, volens captus est, seipsum tradens. (*Chrysostomus.*)

Ideo non dicit, Regnum meum non est hic, sed *non est hinc* : nam regnat in mundo, et utitur ejus provisione, et juxta votum cuncta disponit : non est autem ab infimis constitutum regnum ejus, sed cœlitus et ante sæcula. (*Theophylactus.*)



III. — Dixit itaque ei Pilatus : Ergo rex es tu? Respondit Jesus : Tu dicis quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati : omnis, qui est ex veritate, audit vocem meam.

Dicit ei Pilatus : Quid est veritas? Et cum hoc dixisset, iterum exivit ad Judæos et dicit eis : Ego nullam invenio in eo causam. (*Joan. XVIII. 37, 38.*)

*Ergo rex es tu?* Siquidem communi sensu te regem esse negas, certo ergo sensu te regem esse profiteris, et regnum tibi vindicas nobis ignotum? *Respondit Jesus : Tu dicis, quia rex sum ego.* Dicis quod res est. *Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.*

Quamobrem me regem esse non nego, Christum, Filium Dei, regni cœlorum Dominum, jure nativitatis æternæ ; quod quidem regnum his qui veritati credunt, ad quam docendam veni in mundum, et temporaliter natus sum de virgine, a me paratum est. (*Natalis Alexander, Commen. in Joan.*)

*Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam.* Audit utique interioribus auribus : idest obedit meæ voci : ac si diceret, credit

mihi. Audit utique, ac per hoc non ideo est ex veritate quia ejus audit vocem : sed ideo audit quia ex veritate est : quia hoc illud donum ex veritate collatum est. (*Augustinus.*)

Hæc autem dicens attrahit, et suadet fieri eorum quæ dicuntur auditorem : ita denique et eum cepit his brevibus verbis, ut quæreret, quid est veritas : sequitur enim : *Dicit ei Pilatus, Quid est veritas?* (*Chrysostomus.*)

Sciebat quidem quoniam hæc indigebat tempore interrogatio : oportebat autem eum eripere ab impetu Judæorum, idcirco exivit. (*Chrysostomus.*)

Vel non exspectabat audire responsum, quia forte indignus fuit audire. (*Alcuinus.*)

## MEDITATIO CCXCI.

### Christus vehementius accusatus tacet et ad Herodem mittitur.

1. — Ait autem Pilatus ad principes sacerdotum et turbas : Nihil invenio causæ in hoc homine.

At illi invalescebant dicentes : Commovet populum docens per universam Judæam, incipiens a Galilæa usque huc. (*Luc. XXIII. 4, 5.*)



Illi autem, cum nihil aliud faveret eorum calumniæ, recurrunt ad clamorum subsidia : *At illi invalescebant, dicentes : Commovet populum docens*, etc. (*Theophylactus.*)

His autem verbis non illum, sed se accusant. Docuisse enim populum et a pristini temporis ignavia docendo commovisse, talique actu totam terram promissionis pertransisse, non criminis sed indicium est virtutis. (*Beda.*)

11. — Et cum accusaretur a principibus sacerdotum, et senioribus, nihil respondit. (*Matth. XXVII. 12.*)

Et accusabant eum summi sacerdotes in multis. (*Marc. XV. 3.*)

Tunc dicit illi Pilatus : Non audis quanta adversum te dicunt testimonia? (*Matth. XXVII. 13.*)

Pilatus autem rursum interrogavit eum dicens : Non respondes quidquam? vide, in quantis te accusant. (*Marc. XV. 4.*)

Et non respondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur præses vehementer. (*Matth. XVII. 14.*)

Attende autem quod Pilato, qui invitus promebat sententiam, aliqua ex parte respondit : sacerdotibus autem et principibus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sacerdotum respondere noluit, indignos eos suo sermone judicans. (*Hieronymus.*)

*Tunc dixit ei Pilatus : Non audis quanta adversum te*, etc. Ideo autem hoc dicebat, quia volebat eum liberare dum se excusando responderet. (*Chrysostomus.*)

Ideo Jesus nihil respondere voluit, ne crimen diluens dimitteretur a præside, et crucis utilitas differretur. (*Hieronymus.*)

Mirabatur autem Pilatus : quia cum legis doctor esset, et eloquens, et potens responsione sua eorum accusationes infringere : non respondebat quicquam, sed magis accusationes viriliter sustinebat. (*Theophylactus.*)

III. — Pilatus autem audiens Galilæam, interrogavit si homo Galilæus esset. Et ut cognovit quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui et ipse Jerosolymis erat illis diebus. (*Luc. XXIII. 6, 7.*)

Et ne contra eum, quem insontem et propter invidiam traditum cognoverat, sententiam dare cogeretur, Herodi eum misit audiendum, ut ipse potius eum, qui ejus patriæ tetrarcha exsistebat, vel absolveret vel puniret. (*Beda.*)

In hoc sequitur legem romanam, quæ jubebat quemlibet a principe suæ jurisdictionis condemnari. (*Theophylactus.*)



## MEDITATIO CCXCII.

### Gesta in domo Herodis.

I. — Herodes autem viso Jesu, gavisus est valde : erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quod audierat multa de eo, et sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. (*Luc. XXIII. 8.*)

*Erat cupiens ex multo tempore videre eum.* Non tamquam lucraturus quidquam utilitatis ex ejus adspectu : sed patiens novorum cupidinem, credebat videre quemdam extraneum hominem, de quo audierat quod sapiens et mirificus esset. (*Theophylactus.*)

II. — Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat.

Stabant autem principes sacerdotum, et Scribæ constanter accusantes eum. (*Luc. XXIII. 9, 10.*)

Volebat etiam audire ab eo quid diceret : et ideo interrogat eum, quasi derisorie se habens ad ipsum et eum subsannans. (*Theophylactus.*)

Tacuit Jesus et nihil fecit : quia nec illius crudelitas merebatur videre divina : et Dominus jactantiam declinabat : et forte typice in Herode omnes impii significantur, qui si legi non crediderint et Prophetis, mirabilia

Christi opera in Evangelio videre non possunt. (*Ambrosius.*)

III. — Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo : et illusit indutum veste alba, et remisit ad Pilatum.

Et facti sunt amici Herodes et Pilatus in ipsa die : nam antea inimici erant ad invicem. (*Luc. XXIII. 11, 12.*)

Non otiosum quod veste alba induitur ab Herode, immaculatæ tribuens indicia passionis; quod agnus Dei sine macula, cum gloria mundi peccata susciperet. (*Ambrosius.*)

Tu autem considera quod per ea quæ facit, diabolus impeditur : congerit derisiones et opprobria in Christum, ex quibus declaratur quod Dominus seditiosus non sit : alioquin non derideretur a plebe reddita suspecta et novitatibus gaudente.

*Et facti sunt amici Herodes et Pilatus in ipsa die.* Attende diabolum utique conjungentem disjuncta, ut Christi peragat necem. Erubescamus ergo nos, si causa nostræ salutis nec amicos in proprio fœdere conservemus. (*Theophylactus.*)



## MEDITATIO CCXCIII.

**Pilatus Christum innocentem declarat.**

I. — Pilatus autem convocatis principibus sacerdotum, et magistratibus et plebe,

Dixit ad illos : Obtulistis mihi hunc hominem, quasi avertentem populum, et ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam inveni in homine isto ex his, in quibus eum accusatis. (*Luc. XXIII. 13, 14.*)

Cum alii evangelistæ innocentiam Domini diligenter exponant, Lucas eam illustrat luculentissime. Huc enim narratio totius actionis Pilati, et toties tentatæ liberationis pertinet, ut intelligamus et perspicere videamus Jesum fuisse innocentem, et nullo crimine mortem commeruisse, quin potius semetipsum pro aliis obtulisse.

*Obtulistis mihi hunc hominem quasi avertentem populum*, adducentem scilicet eum ab obedientia Cæsaris et legis vestræ. *Et ecce ego coram vobis*, ne forte existimaretis veritatem a me celari, illo clam a me convicto. Postquam Pilatus accusationes audisset, examinaverat Jesum solum intus, quod testatur Joannes ; sed deinde, cum adversus productum Jesum et judicis sententia abso-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

lutum, repetivissent principes accusationes, examinaverat Jesum iterum, idque coram eis, urgens nimirum ut accusatoribus responderet Jesus; quod habent Matthæus et Marcus. *Interrogans*, cum interrogaverim, examinaverim, *nullam causam inveni in homine isto.*

Nullum crimen, nullam noxam morte scilicet quam vos exposcitis dignam, *inveni.* Jesus enim non responderat ad objecta, ut falsa et nihil ad se pertinentia; sic enim interpretatus est Pilatus silentium Jesu, tamquam negasset objecta, ipsi vero et testibus solidisque argumentis non probaverant. (*Natalis Alexander.*)

II. — Sed neque Herodes; nam remisi vos ad illum, et ecce nihil dignum morte actum est ei. (*Luc. XXIII. 15.*)

Duorum ergo virorum testimonio Jesus insons ostenditur : Judæi vero qui accusabant, nullum testem obtulerunt cui credere oporteret. Vide ergo quomodo superet veritas. Jesus tacet, et testantur inimici : proclamant Judæi, et nullus eorum attestatur clamoribus. (*Theophylactus.*)

III. — Emendatum ergo illum dimittam. (*Luc. XXIII. 16.*)

Lentus ergo Pilatus, nec satis pro veritate severus, quia timebat accusationes, subjungit: *Emendatum illum dimittam.* (*Theophyl.*)



Quasi dicat : Flagris illum et ludibriis quantum jubetis afficiam, dummodo innoxium sanguinem non sitiatis. (*Beda.*)

## MEDITATIO CCXCIV.

### De Barabba latrone qui populo proponitur cum Christo.

I. — Per diem autem festum solebat dimittere illis unum ex vinctis, quemcumque petissent. (*Marc. XV. 6. — Matth. XXVII. 15.*) Necesse habebat dimittere eis, per diem festum unum. (*Luc. XXIII. 17.*)

Habebat autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barabbas. (*Matth. XXVII. 16.*)

Qui cum seditiosis erat vinctus, qui in seditione fecerat homicidium. (*Marc. XV. 7.*)

Romani enim Judæis concesserant, secundum leges et ritus proprios conversari. Mos autem patrius erat Judæis petere damnatos a Principe, sicut a Saule Jonatham petiverunt. (*Theophylactus.*)

Quod quidem Pilatus solitus erat facere ut gratiam populi captaret, et præcipue in die festo, quando de tota provincia Judæorum populus Hierosolymam confluebat.

Et ut major Judæorum improbitas appareat, describitur consequenter enormitas culpæ latronis, quem Judæi Christo prætulerunt : *erat autem*, etc. In quo ostenditur, et ex gravitate culpæ notabilis, quod homicidium fecerat : et ex modo faciendi, quia cum perturbatione civitatis hoc fecerat, seditionem concitando ; et etiam quia culpa ejus manifesta erat, nam et cum seditiosis vinctus erat. (*Glossa.*)

II. — Et cum ascendisset turba cœpit rogare, sicut semper faciebat illis.

Pilatus autem respondit eis et dixit : Vultis dimittam vobis regem Judæorum?

Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum summi sacerdotes. (*Marc. XV. 8, 9, 10. — Joan. XVIII. 39. — Matth. XXVII. 17, 18.*)

Quasi dicat : Si non vultis sicut innocentem dimittere, saltem condemnatum festivitati donetis. Si enim oportebat in peccatis manifestis exsistentem dimittere, multo magis in dubiis. Vide autem ordinem conversum : petitio pro condemnatis solet esse plebis, concessio autem Principis : nunc autem contrarium gestum est. Princeps enim petit a plebe, et plebs ferocior redditur. (*Chrysostomus.*)

III. — Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum uxor ejus dicens : Nihil tibi et justo illi : Multa enim passa sum hodie per visum propter eum. (*Matth. XXVII. 19.*)



Principes autem sacerdotum et seniores persuaserunt populis ut peterent Barabbam, Jesum autem perderent. (*Matth. XXVII. 20.*)

Pontifices concitaverunt turbam ut magis Barabbam dimitteret eis. (*Marc. XV. 11.*)

Nota, quod Gentilibus sæpe a Deo somnia revelantur, et quod in Pilato et uxore ejus justum Dominum confitentibus, gentilis populi testimonium sit. (*Hieronymus.*)

Et non simpliciter videt, sed et patitur multa : ut scilicet a compassione quæ erat ad uxorem, desidior fieret vir circa occisionem. Sed et tempus non parum conferebat : etenim eadem nocte vidit. (*Chrysostomus.*)

Vel aliter. Nunc demum diabolus intelligens per Christum se spolia sua amissurum ; sicut primum per mulierem mortem intulerat, ita per mulierem vult Christum de manibus Judæorum liberare, ne per ejus mortem mortis amittat imperium. (*Rabanus.*)

IV. — Exclamavit simul universa turba dicens : Tolle hunc et dimitte nobis Barabbam,

Qui erat, propter seditionem quamdam factam in civitate et homicidium, missus in carcerem. (*Luc. XXIII. 18, 19.*)

Hæret Judæis usque hodie sua petitio, quam tanto labore impetrarunt : quia enim data sibi optione; pro Jesu latronem, pro Salvatore interfectorem elegerunt, merito salutem perdiderunt et vitam, et latrociniis ac seditionibus se in tantum subdiderunt, ut patriam regnumque suum, quod plus Christo amaverunt, perdiderint : et libertatem, corpus et animam nunquam receperint. (*Beda.*)

## MEDITATIO CCXCV.

### De Barabba latrone qui a populo præponitur Christo.

1. — Iterum autem Pilatus locutus est ad eos volens dimittere Jesum. (*Luc. XXIII. 20.*) Quem vultis vobis de duobus dimitti? (*Matth. XXVII. 21.*) Clamaverunt ergo rursum omnes dicentes : Non hunc sed Barabbam. (*Joan. XVIII. 40.*)

Dicit illis Pilatus : Quid igitur faciam de Jesu qui dicitur Christus? (*Matth. XXVII. 22.*)



At illi succlamabant dicentes : Crucifige, crucifige eum. (*Luc. XXIII. 21.*)

Sic ergo gens olim sancta furit ad cædendum; Pilatus gentilis cædem prohibet. (*Theophylactus.*)

Turbæ, quasi feræ quæ spatiosam ambulant viam, voluerunt sibi Barabbam habere solutum. Omnes etiam qui Judæis sunt similes vel in dogmate, vel in vita, Barabbam sibi solvi desiderant : quicumque enim mala agit solutus est in corpore ejus Barabbas, Christus autem vinctus : qui autem bona agit, Christum habet solutum, Barabbam vinctum. (*Origenes.*)

Voluit autem Pilatus pudorem tantæ iniquitatis eis incutere. Non solum autem hoc, sed et mensuram colligere volens impietatis eorum : *Dicit illis Pilatus : Quid igitur faciam?* etc. Illi autem nec hoc erubescunt, quod Pilatus Jesum Christum esse confitebatur, nec modum impietatis servant : *Dicunt omnes, Crucifigatur :* in quo multiplicaverunt impietatis suæ mensuram; non solum homicidam postulantes ad vitam, sed etiam justum ad mortem et ad mortem turpissimam crucis. (*Origenes.*)

II. — Ille autem tertio dixit ad illos : Quid enim mali fecit iste? nullam causam mortis invenio in eo : corripiam ergo illum et dimittam.

At illi instabant vocibus magnis postulantes ut crucifigeretur et invalescebant voces eorum. (*Luc. XXIII. 22, 23.*)

Tertio Pilatus Christum absolvit. Tertio clamant (Judæi) contra Christum, ut per trinam hanc vocem, suam esse occisionem Christi approbent, quam petendo extorserunt. (*Theophylactus.*)

Excessit ergo Pilati culpam facinus Judæorum ; sed nec ipse evasit reatum, qui reliquit proprium judicium, et in crimen transivit alienum. (*Leo Papa.*)

III. — Et Pilatus adjudicavit fieri petitionem eorum. (*Luc. XXIII. 24.*)

Tunc dimisit illis Barabbam. (*Matth. XXVII. 26.*)

Putabant enim hoc se posse adstruere, quod Jesus deterior esset latrone, et adeo nequam, ut neque pro pietate, neque pro festi prærogativa deberet liberari. (*Chrysostomus.*)

## MEDITATIO CCXCVI.

### De flagellatione Christi.

I. — Pilatus autem volens populo satisfacere, dimisit illis Barabbam. (*Marc. XV. 15.*) Eum qui propter homicidium, et seditionem missus fuerat in carcerem, quem petebant. (*Luc. XXIII. 25.*)



Volebat quidem satisfacere populo, idest eorum facere voluntatem, et non quod erat placitum justitiæ et Deo. (*Theophylactus.*)

*Dimisit illis Barabbam.* Hic duo hirci sunt; unus emissarius, cum peccato populi in desertum inferni absolutus dimittitur; alter pro peccatis absolutorum ut agnus occiditur. Pars Domini semper mactatur; pars diaboli, qui est magister eorum quod sonat Barabbas, effrænata in tartarum præcipitatur. (*Hieronymus.*)

Tunc ergo apprehendit Pilatus Jesum et flagellavit. (*Joan. XIX. 1.*)

Jesus autem flagellatus non ab alio quam ab ipso Pilato intelligendus. Quod quidem ideo fecisse credendus est, ut satiati pœnis ac opprobriis ejus, Judæi mortem ultra sitire desisterent. (*Beda.*)

III. — Jesum autem flagellatum tradidit eis ut crucifigeretur. (*Matth. XXVII. 16.*)

Jesum tradidit voluntati eorum. (*Luc. XXIII. 25.*)

Flagellatus autem ut a vulneribus, quæ jure peccatis nostris perpessi sumus, nos liberaret. Alapis cæsus et illusus est, ut

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

illusori satanæ nos illudere possimus, et prævaricationis peccatum fugiamus. Omnia enim, propter nos et pro nobis Christus suscepit, quæ repulsivas vires habuerunt. (*Cyrill. Alex. ibid.*)

## MEDITATIO CCXCVII.

### De coronatione Christi.

I. — Tunc milites Præsidis suscipientes Jesum in prætorium, congregaverunt ad eum universam cohortem.

Et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei. (*Matth. XXVII. 27, 28. — Marc. XV. 16.*)

Quia enim Pilatus dixit eum regem Judæorum, schema ei contumeliæ de reliquo apponunt. (*Chrysostomus.*)

Nam pro diademate spineam illi imposuerunt coronam, et pro purpureo vestimento, quo reges veteres utebantur, vestem purpuream ei circumdant. Et quamvis hoc milites illudendo facerent, nobis tamen operabantur mysteria. Nam per spineam coronam nostrorum designatur peccatorum susceptio, quæ sicut spinas terra nostri corporis germinat. In vestimento purpureo caro passionibus subjecta significatur. (*Beda.*)



II. — Et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus, et arundinem in dextera ejus. (*Matth. XXVII. 29.*)

Non autem injunctio principis erat quod faciebant, sed ad gratiam Judaicam hoc faciebant, quia neque circa initium, ab illo jussi, iverunt noctę; sed Judæis pecuniarum gratia gratificantes omnia, audebant : tot autem et talibus factis ipse stabat silens. Tu vero audiens hæc, in mente habe continue : et regem orbis terrarum et Angelorum Dominum videns contumeliam patientem et omnia ferentem, silentio imitare. (*Chrysostomus.*)

III. — Et veniebant ad eum et dicebant : Ave Rex Judæorum. (*Joan. XIX. 3.*)

Et genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes : Ave Rex Judæorum. (*Matth. XXVII. 29.*)

Et dabant ei alapas. (*Joan. XIX. 3.*)

Quæ igitur erit nobis cura de reliquo, si contumelias ab aliquo patiamur, postquam Christus hoc passus est? Etenim quod fiebat in Christum, ultimus terminus contumeliæ erat : nec una particula tantum, sed universum corpus patiebatur injurias : caput per coronam et arundinem et colaphas : facies, quia inspuebatur : genæ, quia alapis

cædebantur : corpus totum per flagella, et quia denudatum est; per circumdationem chlamydis, et per fictam adorationem; manus per arundinem, quam dederunt ei pro sceptro : ac si timerent ne aliquid prætermitterent gravissimæ præsumptionis. (*Chrysostomus.*)

IV. — Et exspuentes in eum, acceperunt arundinem, et percutiebant caput ejus. (*Matth. XXVII. 30.*)

Calamo Christi caput percutiunt, qui divinitati ejus contradicentes, errorem suum auctoritate sanctæ Scripturæ, quæ calamo scribitur, confirmare conantur. Spuunt in faciem ejus, qui præsentiam gratiæ illius verbis exsecrandis respuunt, et Jesum in carne venisse denegant. Falso autem illum adorant qui in eum credunt, sed perversis actibus despiciunt. (*Rabanus.*)

## MEDITATIO CCXCVIII.

### Pilatus ostendit Jesum populo.

I. — Exivit iterum Pilatus foras, et dicit eis : Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis quia nullam invenio in eo causam. (*Joan. XIX. 4.*)

*Ecce adduco vobis eum foras*, ex atrio in quo flagris acerbissime cæsus est, *ut cognoscatis*, publica hac et iterata contestatione mea, *quia nullam invenio in eo causam*, nullum crimen. Ita ipse se iniquitatis damnat præses, qui sacerdotum et pharisæorum odiis, populique clamoribus obsequens, donaverat pœnam hominis innocentis. (*Natalis Alexander ibid.*)



II. — Exivit ergo Jesus portans coronam spinæam et purpureum vestimentum) : et dicit eis : Ecce homo. (*Joan. XIX. 5.*)

*Exivit ergo Jesus :* non clarus imperio, sed plenus opprobrio. Et dicit eis : *Ecce homo :* quasi dicat : Si regi invidetis, jam parcite, quia abjectum videtis : fervet ignominia, frigescat invidia. (*Augustinus.*)

Sic implebuntur quæ de se dixerat Christus : sic Martyres informabuntur, ad omnia quæ persecutores libuerit facere, perferenda; sic regnum quod de hoc mundo non erat, superbum mundum, non atrocitate pugnandi, sed patiendi humilitate vincebat. (*Augustinus.*)

III. — Cum ergo vidissent eum pontifices et ministri, clamabant, dicentes : Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus : Accipite eum vos, et crucifigite; ego enim non invenio in eo causam.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Responderunt ei Judæi : Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit.

Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem magis timuit. (*Joan. XIX. 6, 7, 8.*)

Judæorum invidia pro Christi ignominia non frigescit : inardescit potius et increscit. (*Augustinus.*)

Vidit ergo Pilatus omnia inaniter fieri : unde sequitur: *Dicit eis Pilatus, Accipite eum vos*, etc. Exsecrantis est hoc verbum, et ad rem non concessam eos impellentis : ipsi enim ducebant eum, ut cum præsidis judicio hoc fieret. Contigit autem contrarium, judicio præsidis eum magis absolvi. Etenim *non invenio in eo causam* : continue enim eum ab accusationibus eruit : unde manifestum est, quoniam et priora propter illorum concessit insaniam. Sed Judæos canes nihil horum in verecundiam convertit. *Responderunt Judæi, etc.* (*Chrysostomus.*)

Deinde Pilatus timet ab ipsis auditis, et formidavit ne forte verum esset quod dicebatur, et videretur inique agere. Non timuit quia legem audivit, quia alienigena erat; sed magis timuit, ne Filium Dei occideret. Illi vero hoc dicentes non horruerunt, sed interficiunt eum pro quibus oportuerat adorare. (*Chrysostomus.*)



## MEDITATIO CCXCIX.

### Interrogat Jesum Pilatus et iterum pro tribunali sedet.

1. — Pilatus ingressus est prætorium iterum : Et dixit ad Jesum : Unde es tu? Jesus autem responsum non dedit ei.

Dicit ergo ei Pilatus : Mihi non loqueris? nescis quia potestatem habeo crucifigere te, et potestatem habeo dimittere te.

Respondit Jesus : Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper. Propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet. (*Joan. XIX. 9, 10, 11.*)

Pilatus timore concussus, rursus inquisitionem facit. Jesus *autem responsum non dedit ei*. Qui enim audivit, " Quoniam in hoc natus sum et ad hoc veni," et " Quoniam regnum meum non est hinc," cum debuisset resistere et eripere eum, hoc quidem non fecit, sed secutus est Judaicum impetum. Propterea ergo nihil ei respondit, quoniam inaniter omnia interrogabat. (*Chrysostomus.*)

Quia igitur siluit, sequitur : dicit ergo ei Pilatus : *Mihi non loqueris*, et vide qualiter seipsum condemnavit. Si enim in te totum positum est; cujus gratia, nullam causam inveniens, non absolvis.

*Respondit Jesus.* Ecce respondit. Proinde ubi non respondebat, non sicut reus, sive dolosus, sed sicut ovis silebat : ubi respondebat, sicut pastor docebat. Discamus ergo quid dixit, quod et per Apostolum docuit (*Rom. XIII.*) " Quia non est potestas nisi a Deo " : et quia plus peccat qui potestati innocentem occidendum livore tradit, quam potestas ipsa, si eum timore alicujus majoris potestatis occidit. (*Augustinus.*)

II. — Exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Judæi autem clamabant dicentes : Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Omnis enim, qui se regem facit, contradicit Cæsari. (*Joan. XIX. 12.*)

Lege superiora, et invenies jam dudum eum quærere dimittere Jesum. *Exinde* itaque intelligendum est, propter hoc; idest ex hac causa, ne haberet peccatum occidendo innocentem sibi traditum. (*Augustinus.*)

Majorem se ingerere putaverunt Judæi Pilato terrendo de Cæsare, ut occideret Christum : unde dicitur: *Judæi autem clamabant*, etc. (*Augustinus.*)

Sed unde habetis hoc demonstrare? a purpura, a diademate, e curru, a militibus? Nonne solus semper cum duodecim discipulis incedebat, per omnia vilia transiens, et cibum et stolam et habitationem?



III. — Pilatus autem cum audisset hos sermones, adduxit foras Jesum : et sedit pro tribunali, in loco qui dicitur Lithostrotos, Hebraice autem Gabbata. (*Joan. XIX. 13.*)

Cæsarem magis timuit Pilatus quam Deum. Parum curavit clamores Judæorum dicentium : *Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, et* cessit furori clamantium : *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris.* Eorum legem non timuit, ut occideret; sed magis Filium Dei timuit, ne occideret. Nunc vero, non sic potuit contemnere Cæsarem auctorem potestatis suæ, quemadmodem legem gentis alienæ. (*Natalis Alexander.*)

## MEDITATIO CCC.

### De sententia Pilati in Christum.

I. — Erat autem parasceve Paschæ, hora quasi sexta, et dicit Judæis : Ecce rex vester.

Illi autem clamabant : Tolle, tolle, crucifige eum. (*Joan. XIX. 14, 15.*)

Pilatus ergo, ut scrutaturus exiens, nullam tamen scrutationem faciens, tradit Jesum, æstimans movendos esse eos : unde sequi-

tur : *et dixit Judæis : Ecce rex vester.* (*Chrysostomus.*)

Quasi dicat : Ecce qualem hominem fatemini quod imperium vestrum capesseret, humilis, ut nihil tale possit tentare. (*Theophylactus.*)

Et nimirum quæ dicta sunt erant sufficientia, ut facerent eos de cetero ab ira cessare : sed trepidabant, ne dimissus, rursus turbam ducat ; unde sequitur : *Illi autem clamabant, Tolle, tolle.* Interficere enim eum conantur exprobratissima morte : unde subdunt *crucifige eum*, formidantes, ne aliqua ejus post ipsum fiat memoria. (*Chrysostomus.*)

II. — Dicit eis Pilatus : Regem vestrum crucifigam? Responderunt pontifices : Non habemus regem, nisi Cæsarem. (*Joan. XIX. 15.*)

Adhuc autem Pilatus terrorem, quem de Cæsare ei ingesserant, superare conatur : *Dicit eis : Regem vestrum crucifigam?* de ignominia eorum volens eos frangere, quos de ignominia Christi mitigare non potuit. (*Augustinus.*)

*Responderunt Pontifices : Non habemus regem, nisi Cæsarem.* Sic volentes, seipsos submiserunt supplicio : propterea et Deus tradidit eos : quia enim concorditer negaverunt regnum Dei, dimisit eos in suum



judicium incidere : regnum enim Christi refutantes, id quod Cæsaris est super seipsos vocabant. (*Chrysostomus.*)

III. — Videns Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret : accepta aqua, lavit manus coram populo, dicens : Innocens ego sum a sanguine justi hujus : vos videritis.

Et respondens universus populus, dixit : Sanguis ejus super nos, et super filios nostros. (*Matth. XXVII. 24, 25.*)

Tunc ergo tradidit eis illum, ut crucifigeretur. (*Joan. XIX. 16.*)

Pilatus ergo accepit aquam, juxta illud propheticum, (*Psal. XXV.*) " Lavabo inter innocentes manus meas " : quodammodo in hoc contestans et dicens : Ego quidem innocentem volui liberare : sed quoniam seditio oritur, et rebellionis mihi contra Cæsarem crimen impingitur, *innocens sum a sanguine justi hujus.* Judex ergo qui cogitur contra Dominum ferre sententiam, non damnat oblatum, sed arguit offerentes, justum esse pronuntians eum qui crucifigendus est. Sequitur *vos videritis*, quasi dicat : Ego minister legum sum, vox vestra sanguinem fudit. (*Hieronymus.*)

*Et respondens, etc.* Perseverat usque in præsentem diem hæc imprecatio super Ju-

dæos, et sanguis Domini non aufertur ab eis. (*Hieronymus.*)

Pilatus timore vincitur : unde sequitur : *Tunc ergo tradidit eis illum, ut crucifigeretur.* Non autem dictum est : *tradidit eis illum*, ut crucifigerent illum, sed *ut crucifigeretur*, scilicet judicio ac potestate præsidis. Sed ideo illis traditum dixit Evangelista, ut eos crimine implicatos, a quo alieni esse conabantur, ostenderet : non enim faceret hoc Pilatus, nisi ut id quod eos cupere cernebat, impleret. (*Augustinus.*)

## MEDITATIO CCCI.

### Jesus cruce onustus educitur in calvariæ locum.

I. — Postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde, et induerunt eum vestimentis ejus, et duxerunt eum ut crucifigerent. (*Matth. XXVII. 31. — Marc. XV. 20.*)

Notandum quod quando flagellatur Jesus et conspuitur, non habet propria vestimenta, sed ea quæ propter peccata nostra sumpserat : cum autem crucifigitur et illusionis pompa præterierit, tunc pristinas vestes recipit et proprium assumit ornatum; statimque elementa turbantur, et creatori dat



testimonium creatura. Et de chlamyde quidem scriptum est, quoniam denuo exspoliaverunt eum : de corona autem spinea, nihil tale Evangelistæ scripserunt; ut jam non sint spinæ nostræ antiquæ, postquam semel eas a nobis abstulit Jesus super venerabile caput suum. (*Hieronymus.*)

II. — Et bajulans sibi crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locum, Hebraice autem Golgotha. (*Joan. XIX. 17.*)

Hic educitur Abel in agrum a fratre ut perimatur; hic etiam Joseph cum fasce somniato, et tunica talari sanguine lita; hic adest Moyses cum virga, et serpente suspenso in ligno : hic est botrus in ligno portatus : hic adest Eliseus cum ligno ad quærendam securim, quæ in imo demersa est, et natavit ad lignum; idest genus humanum, quod a ligno vetito in infernum decidit, per lignum crucis Christi, et per baptismum aquæ ad paradisum natavit : hic adest Jonas de ligno sortis in mare ventremque ceti triduo missus. (*Hieronymus.*)

III. — Exeuntes autem invenerunt Cyrenæum, nomine Simonem. (*Matth. XXVII. 32.*) Venientem de villa Patrem Alexandri et Rufi. (*Marc. XV. 21.*) Hunc angariaverunt ut tolleret crucem Jesu. (*Matth XXVII. 32.*) Apprehenderunt

eum : et imposuerunt illi crucem portare post Jesum. (*Luc. XXIII. 26.*)

Nullus enim aliorum acceptabat crucem bajulare, eo quod lignum detestabile putabatur : et ideo Simoni Cyrenæo, quasi in quamdam jacturam, imposuerunt crucem portare quam alii recusabant. (*Theophylactus.*)

Christus ergo crucem bajulans jam trophæum suum victor attulit, crux super humeros imponitur; quia sive Simon, sive ipse portaverit, et Christus in homine et homo portavit in Christo. Et bonus ordo nostri profectus est, ut prius crucis suæ trophæa ipse erigeret, deinde martyribus traderet erigendum. Non Judæus est qui crucem portat, sed alienigena atque peregrinus; nec præcedit, sed sequitur juxta hoc quod scriptum est, (*Luc IX.*) *Tollat crucem suam et sequatur me.*

## MEDITATIO CCCII.

### Occurrunt in via flentes mulieres.

I. — Sequebatur autem illum multa turba populi, et mulierum quæ plangebant et lamentabantur eum. (*Luc. XXIII. 27.*)

Multa quidem turba crucem Domini, sed non una eademque mente sequebatur : nam



populus qui ejus mortem impetraverat, ut morientem lætus adspiceret : mulieres vero, moriturum plorarent. Non autem ideo solus mulierum planctus sequebatur, quia non etiam innumerus virorum cœtus de ejus erat passione mœstissimus : sed quia femineus, quasi contemptibilior sexus, liberius poterat quod senserat ostentare. (*Beda.*)

II. — Conversus autem ad illas Jesus dixit : Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, et super filios vestros.

Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent : Beatæ steriles et ventres qui non genuerunt, et ubera quæ non lactaverunt.

Tunc incipient dicere montibus : Cadite super nos; et collibus : Operite nos.

Quia si in viridi ligno hæc faciunt : in arido quid fiet? (*Luc. XXIII. 28, 29, 30, 31.*)

Mandat deplorantibus eum, in futura mala prospectum intendere et super illis flere. Quasi diceret : Non tam super me flete quam super vos, quia ratione malorum vobis imminentium, habetis longe ampliorem flendi materiam et occasionem quam super meis tormentis, quæ devicta morte cito finiuntur. (*Theophylactus, ibid.*)



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Venturæ a Romanis obsidionis et captivitatis significat, de quibus (diebus) dixerat : (*Matth. XXIV.*) " væ prægnantibus et nutrientibus in illis diebus. " Naturale est autem, imminente captivitate hostili, alta vel abdita, quibus abscondantur homines refugia quærere; unde sequitur : *Tunc incipient, etc.* (*Beda.*)

Si ego qui peccatum non feci, lignum vitæ appellatus, sine igne passionis a mundo non exeo; quid putas eis manere tormenti qui sunt fructibus vacui? (*Beda.*)

III. — Ducebantur autem et alii duo nequam cum eo, ut interficerentur. (*Luc. XXIII. 32.*

Malam autem opinionem de Domino innuere volens diabolus, etiam latrones faciebat crucifigi cum eo.

## MEDITATIO CCCIII.

### Christus inter duos latrones crucifigitur.

I. — Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod est Calvariæ locus. (*Matth. XXVII. 33.*)

Et dabant ei bibere myrrhatum vinum : et non accepit. (*Marc. XV. 23.*)



Et dederunt ei vinum bibere cum felle mistum. Et cum gustasset noluit bibere. (*Matth. XXVII. 34.*)

Extra urbem enim et foris portam loca sunt in quibus truncantur capita damnatorum, et Calvariæ, id est decollatorum sumpsere nomen. Propterea autem ibi crucifixus est Jesus, ut ubi prius erat area damnatorum, ibi erigerentur vexilla martyrii. (*Hieronymus.*)

Locus autem crucis talis est, ut positus in medio terræ, ad capessendam Dei cognitionem universis gentibus esset æqualis. (*Hilarius.*)

Amara vitis amarum vinum fecit de quo propinat Dominum Jesum, ut impleatur quod scriptum est : (*Psal. LXVIII.*) " Dederunt in cibum meum fel, et in siti mea potaverunt me aceto. " (*Beda.*)

Quod autem, *cum gustasset noluit bibere*, hoc indicat; quod gustavit quidem pro nobis mortis amaritudinem, sed tertia die resurrexit. (*Augustinus.*)

II. — Postquam venerunt in locum qui vocatur Calvariæ, ibi crucifixerunt eum : et latrones, unum a dextris, et alterum a sinistris. (*Luc. XXIII. 33.*)

Crucifixerunt eum, et cum eo alios duos hinc et hinc, medium autem Jesum. (*Joan. XIX. 18.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Erat autem hora tertia et crucifixerunt eum. (*Marc. XV. 25.*)

Et impleta est Scriptura, quæ dicit : Et cum iniquis reputatus est. (*Marc. XV. 28.*)

Quia per lignum mors intraverat, necesse erat ut per lignum exterminaretur : et ut Dominus, per ligni dolores invictus transiens, confutaret delectationem provenientem ex ligno. (*Theophilactus.*)

Sed et figura crucis, a medio contactu in quatuor extrema partita, significat virtutem et providentiam ejus qui in ea pependit ubique diffusam. (*Gregorius Nyssenus.*)

Crucifigebant autem eum cum latronibus : in hoc prophetiam implentes, quoniam *cum iniquis reputatus est* : (*Isai. LIII.*) quæ enim conviciantes faciebant, hæc veritati conferebant : volebat enim dæmon quod fiebat obumbrare, sed non valuit : tribus in cruce affixis, miracula quæ fiebant nulli adscripsit, nisi soli Jesu : Ita inanes diaboli artes factæ sunt. Nec solum non obfuit gloriæ ejus : sed contulit non parum : nam latronem in cruce convertere, et in paradisum inducere, non minus fuit quam concutere petras. (*Chrysostomus.*)

Tamen et ipsa crux, si attendas, tribunal fuit : in medio enim judice constituto, unus latro, qui credidit liberatus, alter qui insultavit, damnatus est : jam significabat quod



facturus est de vivis et mortuis, alios positurus ad dexteram, alios vero ad sinistram. (*Augustinus.*)

III. — Jesus autem dicebat : Pater dimitte illis : non enim sciunt quid faciunt. (*Luc. XXIII. 34.*)

Quia Dominus dixerat, (*Matth. VI.*) " Orate pro persequentibus vos : " hoc etiam crucem ascendens fecit : non quia non posset ipse relaxare; sed ut nos pro persequentibus orare doceret, non solum verbo, sed et opere. Dixit autem, *dimitte eis*, si pœnituerunt : favet enim pœnitentibus, si velint post tantam nequitiam, reatus per fidem diluere. (*Augustinus.*)

Permanentes vero post crucem in infidelitate, nullus per ignorantiam juvari putabit, signis, miraculis, sonora voce eum prædicantibus esse Deum. (*Græcus.*)

## MEDITATIO CCCIV.

### De divisione vestimentorum Christi.

I. — Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus, (et fecerunt quatuor partes : unicuique militi partem) et tunicam. (*Joan. XIX. 23.*)

Judicante Pilato, milites qui ei parebant crucifixerunt Jesum : et tamen si voluntates,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

si clamores eorum cogitemus, Judæi magis crucifixerunt. Sed de partitione sortitioneque vestimentorum ejus, ceteri Evangelistæ brevius et clause; iste vero, Joannes, apertissime locutus est : nam sequitur : *et fecerunt quatuor*, etc. : unde apparet quatuor fuisse milites qui in eo crucifigendo præsidi paruerunt. Sequitur et *tunicam*, ut iste sit sensus : acceperunt autem et tunicam; et sic locutus est, ut de ceteris vestimentis nullam sortem missam esse videamus : sed de tunica quam simul cum ceteris acceperunt, sed non similiter diviserunt. (*Augustinus.*)

II. — Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum.

Dixerunt ergo ad invicem : Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cujus sit. Ut Scriptura impleretur, dicens : Partiti sunt vestimenta mea sibi : et in vestem meam miserunt sortem. (*Joan. XIX. 23, 24*)

Notandum ergo quod non parva hæc abjectio Christi erat : quasi enim circa dehonoratum et omnium vilissimum in Christo hoc agebant; in latronibus autem nihil tale operati sunt. Dividere enim vestimenta in condemnatis valde vilibus et abjectis fit, et nihil aliud habentibus. (*Chysostomus.*)

Tunica vero illa sortita, omnium partium



significat unitatem, quæ caritatis vinculo continetur. Si autem caritas et supereminentiorem habet viam, et supereminet scientiæ, et super omnia præcepta est, secundum illud : (*Colos. III.*) " Super omnia autem hæc caritatem habete : " merito vestis, qua significatur, desuper contexta perhibetur. Et addidit, *per totum* : quia nemo ejus est expers qui pertinere invenitur ad totum, a quo toto Catholica vocatur Ecclesia. *Inconsutilis* autem ne aliquando dissuatur : et ad unum provenit quia in unum omnes colligit. (*Augustinus.*)

III. — Et milites quidem hæc fecerunt. (*Joan. XIX. 24.*)

Et sedentes servabant eum. (*Matth. XVII. 36.*)

Diligentia militum et sacerdotum nobis profuit; ut major et apertior resurgentis virtus appareat. (*Hieronymus.*)

## MEDITATIO CCCV.

### De titulo crucis.

I. — Scripsit et titulum Pilatus : et posuit super crucem : erat autem scriptum : Jesus Nazarenus, Rex Judæorum. (*Joan. XIX. 19.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Sicut in trophæo litteræ ponuntur victoriam ostendentes, ita Pilatus titulum cruci Christi inscripsit : simul quidem pro Christo respondens, ut eum a communione latronum discerneret : simul autem et de Judæis ulciscens, ostendens scilicet ipsorum malitiam, dum in suum regnum insurrexerunt. (*Chrysostomus.*)

In quo (*titulo*) monstrabatur jam tum regnum ipsius, non ut ipsi putabant, destructum; sed potius augmentatum. (*Beda.*)

Sed Judæorum tantum rex Christus est, an etiam gentium? Immo et Gentium. Cum enim dixisset: (*Psal. II.*) " Ego autem constitus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus; " subjecit : " Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam. " Magnum ergo volumus intelligi in hoc titulo sacramentum. (*Augustinus.*)

II. — Hunc ergo titulum multi Judæorum legerunt : quia prope civitatem erat locus, ubi crucifixus est Jesus, et erat scriptum Hebraice, Græce et Latine. (*Joan. XIX. 20.*)

Credibile est multos Gentiles simul cum Judæis propter festum convenisse : et ideo ut nullus ignoraret, non in una lingua, sed in tribus scripsit. (*Chrysostomus.*)

Hæ quippe tres linguæ ibi præ ceteris eminebant. Hebræa propter Judæos in lege Dei gloriantes; græca propter gentium sapientes; latina propter romanos multis et pene omnibus tunc gentibus imperantes. (*August.*)

III. — Dicebant ergo Pilato pontifices Judæorum : Noli scribere : Rex Judæorum; sed quia ipse dixit : Rex sum Judæorum.

Respondit Pilatus : Quod scripsi, scripsi. (*Joan. XIX. 21, 22.*)

O ineffabilem vim divinæ operationis etiam in cordibus ignorantium! Nonne occulta vox quædam, Pilato intus, si dici potest, clamoso silentio personabat quod, tanto ante, in Psalmorum litteris prophetatum est : " Ne corrumpas tituli inscriptionem. " Sed quid loquimini insani pontifices? Numquid enim propterea non erit verum, quia Jesus ait, *Rex sum Judæorum?* Si corrumpi non potest quod Pilatus scripsit; corrumpi potest quod veritas dixit? Ideo enim Pilatus quod scripsit scripsit, quia Dominus quod dixit dixit. (*Augustinus.*)



## MEDITATIO CCCVI.

### Christus crucifixus irridetur et blasphematur.

I. — Prætereuntes autem blasphemabant eum, moventes capita sua.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Et dicentes : Vah qui destruis templum Dei, et in triduo illud reædificas : salva temetipsum : si Filius Dei es, descende de cruce. (*Matth. XXVII. 39, 40.*)

Cum Christum denudassent et crucifixissent, ultra procedunt et in cruce videntes affixum exprobrant ei. (*Chrysostomus.*)

Blasphemabant quidem; quia prætergradiebantur viam, et in vero itinere scripturarum ambulare nolebant. Movebant autem capita sua; quia jam ante moverant pedes, et non stabant supra petram. Idipsum autem insultans dicit fatuus populus, quod falsi testes confixerant. (*Hieronymus.*)

Quid ergo veniæ erit, cum post triduum reædificatum templum Dei in corporis resurrectione cernetur? (*Hilarius.*)

Et quasi prioribus signis incipientes detrahere, subjungunt : *salva temetipsum*, etc. Sed e contrario, quia Filius Dei est non descendit de cruce : nam ideo venit ut crucifigeretur pro nobis. (*Chrysostomus.*)

II. — Similiter et principes sacerdotum illudentes cum Scribis et senioribus dicebant : Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere : si rex Israel est, descendat nunc de cruce, et credimus ei :

Confidit in Deo : Liberet nunc, si



vult eum : dixit enim : Quia filius Dei sum. (*Matth. XXVII. 41, 42, 43.*)

Etiam nolentes Scribæ et pharisæi confitentur quod alios salvos fecerit. Itaque vestra vos condemnat sententia : qui enim alios salvos fecit; utique si vellet, et seipsum salvare poterat. (*Hieronymus.*)

Considera autem nunc vocem filiorum diaboli, quomodo imitatur vocem paternam. Diabolus enim dicebat : (*Mat. IV.*) " Mitte te deorsum, si Filius Dei es. " et Judæi dicunt : *Si Filius Dei es, descende de cruce.* (*Chrysostomus.*)

Fraudulenta autem est promissio cum addunt *et credimus ei.* Quid enim plus est de cruce adhuc viventem descendere, an de sepulcro mortuum resurgere?

Resurrexit et non credidistis : ergo etiam si de cruce descenderet non crederetis. (*Hieronymus.*)

Sequitur, *Confidit in Deo*, etc.

O inquinati valde! Numquid prophetæ et justi non erant, quia eos non eripuit a periculis Deus? (*Chrysostomus.*)

III. — Illudebant autem ei et milites accedentes et acetum offerentes ei.

Et dicentes : Si tu es Rex Judæorum, salvum te fac. (*Luc. XXIII. 36, 37.*)

Dominus autem vere Salvator, non salvando seipsum, sed creaturam liberando,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

volebat cognosci Salvator; neque enim medicus, quia sibi medetur medicus esse cognoscitur, nisi erga languidos artem probet : Sic Dominus Salvator exsistens, non habebat opus salutis; neque descendendo de cruce volebat cognosci Salvator, sed moriendo; multo namque majorem salutem mors Salvatoris affert hominibus quam descensus de cruce. (*Athanasius.*)

Videns autem diabolus nullum esse sibi defensaculum, titubabat; et quasi aliud non valens, tentavit ulterius propinari Salvatori acetum ad bibendum : quod contra seipsum facere diabolus ignorabat : nam amaritudinem iræ ex prævaricatione legis actam, qua cunctos detinebat, Salvatori præbebat; quam ille sumens consumebat; ut vice aceti, vinum det nobis in potum, quod sapientia miscuit. (*Græcus.*)

IV. — Idipsum et latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei. (*Matth. XXVII. 44.*)

Et qui cum eo crucifixi erant, convitiabantur ei. (*Marc. XV. 32.*)

Cum dictum est *latrones*, nec additum est, ambo; potuit usitato locutionis modo per pluralem numerum unum significari. (*Augustinus.*)

Vel potest dici, quod primum uterque blasphemaverit : deinde sole fugiente, terra commota, saxisque disruptis, et ingruentibus tenebris, unus crediderit in Jesum, et priorem negationem sequenti confessione emendaverit. (*Hieronymus.*)



## MEDITATIO CCCVII.

### De conversione alterius latronis.

I. — Unus de his, qui pendebant, latronibus, blasphemabat Jesum dicens : Si tu es Christus, salvum fac temetipsum et nos.

Respondens autem alter increpabat eum dicens : Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es.

Et nos quidem juste, nam digna factis recipimus : hic vero nihil mali gessit. (*Luc. XXIII. 39, 40, 41.*)

Alter autem latronum eadem cum Judæis eructabat. Alter refrenebat voces ipsius, sed et proprium reatum confessus est. (*Cyrillus.*)

Hic fungitur vice judicis condemnatus, et incipit de veritate censere qui coram Pilato, post multa tormenta, confessus est scelera. Quia aliud est homo censor quem latent intima, et aliud Deus qui mentes penetrat : et ibi quidem post confessionem pœna subsequitur, hic autem confessio fit ad salutem. Sed et Christum pronuntiat innocen-

tem, cum subdit : *hic vero nihil mali fecit;* quasi dicat : novam vide injuriam : honestatem damnari cum scelere : nos viventes occidimus, hic mortuos suscitavit; nos aliena sumus furati, hic et sua jubet tribuere. (*Chrysostomus.*)

II. — Et dicebat ad Jesum : Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum. (*Luc. XXIII. 42.*)

Beatus igitur latro adstantes docebat, talia disserens quibus alterum increpabat. Sed ut videt exstinctos auditus adstantium, redit consequenter ad eum qui novit præcordia : *Et dicebat ad Jesum*, etc. Crucifixum adspicis, et Dominum profiteris : condemnati vides figuram et regis prædicas dignitatem : mille malis imbutus postulas justitiæ fontem reminisci tuæ nequitiæ. Sed dices : Video quidem apparens opprobrium, sed intueor latens regnum : et tu avertis mea publica scelera, et acceptas fidem intentionis occultæ. Discipulum veritatis usurpavit nequitia, discipulum nequitiæ non commutabit veritas? (*Chrysostomus.*)

III. — Et dixit illi Jesus : Amen dico tibi : Hodie mecum eris in paradiso. (*Luc. XXIII. 43.*)

Pulcherrimum autem datur affectandæ conversionis exemplum, quod tam cito latroni venia relaxatur. Cito ignoscit Dominus, quia cito ille convertitur, et uberior est gratia quam precatio : semper enim Dominus plus tribuit quam rogatur. Ille rogabat ut memor sui esset : de Domino autem sequitur : *Amen dico tibi, Hodie mecum eris in paradiso.* Vita est enim esse cum Christo : et ubi Christus ibi regnum. (*Ambrosius.*)



## MEDITATIO CCCVIII.

### Christus dat matrem discipulo.

I. — Stabant autem juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus, Maria Cleophæ, et Maria Magdalene. (*Joan. XIX. 25.*)

Cum aliæ mulieres adstarent, nullius alterius meminit nisi matris, docens nos plus aliquid matribus præbere. Sicut enim parentes, circa spiritualia adversantes, neque nosse oportet; ita quando nihil impediunt, omnia decet eis præbere. (*Chrysostomus.*)

II. — Cum vidisset ergo Jesus matrem, et discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suæ : Mulier, ecce filius tuus. (*Joan. XIX. 26.*)

Papæ! quanto discipulum honoravit honore! Sed ipse seipsum occultat, moderate

sapiens : si enim vellet gloriari, et causam utique adjecisset propter quam amabatur : etenim conveniens est magnam quamdam et mirabilem esse causam. Ideo autem nihil aliud Joanni loquitur, neque consolatur tristantem, quoniam tempus non erat verborum consolationis. Sed neque parum erat honorari eum tali honore. (*Chrysostomus.*)

III. — Deinde dicit discipulo : Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua. (*Joan. XIX. 27.*

Quia vero conveniens erat, matrem existentem dolore oppressam procurationem quærere, quia ipse aberat : discipulo qui diligebatur tradidit diligentiam habituro. (*Chrysostomus.*)

Quia ergo matri quam relinquebat, alterum pro se filium quodammodo providebat, cur hoc fecerit ostendit in hoc quod subditur. *Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.* Sed in quæ *sua* Joannes matrem Domini accepit? Neque enim non ex eis erat qui dixerunt ei : (*Matth. XIX.*) " Ecce nos dimisimus omnia et secuti sumus te. " Suscepit ergo eam in sua non prædia, quæ nulla propria possidebat, sed officia, quæ propria dispensatione exsequenda curabat. (*Augustinus.*)



## MEDITATIO CCCIX.

### Quartum verbum Christi in cruce.

I. — Erat autem fere hora sexta, et tenebræ factæ sunt in universam terram usque in horam nonam. Et obscuratus est sol. (*Luc. XXIII. 44, 45.*)

A sexta autem hora tenebræ factæ sunt, super universam terram usque ad horam nonam. (*Matth. XXVII. 45. — Marc. XV. 33. — Luc. XXIII. 44.*)

Non poterat ferre creatura injuriam creatoris : unde sol retraxit radios, ne videret impiorum facinora. (*Chrysostomus.*)

Hoc igitur prodigium factum est, ut pateret quod qui mortem susceperat, gubernator esset totius creaturæ. (*Græcus.*)

Sol etiam occidit sacrilegis, ut funesti spectaculum sceleris obumbraret : tenebræ effusæ sunt oculis perfidorum, ut fidei lumen resurgeret. (*Ambrosius.*)

II. — Et circa horam nonam clamavit Jesus voce magna dicens : Eli, Eli, lamma sabacthani? hoc est : Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? (*Matth. XXVII. 45. — Marc. XV. 34.*)

Salvator hoc dixit, nostros circumferens motus qui in periculis positi, a Deo deseri

nos putamus. Humana enim natura propter peccatum a Deo fuerat derelicta : sed quia Filius Dei factus est noster advocatus, quorum suscepit culpam, deplorat miseriam : in quo ostendit quantum flere debeant qui peccant, quando sic flevit qui nunquam peccavit. (*Rabanus.*)

III. — Quidam autem illic stantes, et audientes, dicebant : Eliam vocat iste. (*Matth. XXVII. 47. — Marc. XV. 35.*)

Non omnes sed quidam, quos arbitror milites fuisse romanos, non intelligentes Hebraici sermonis proprietatem : sed ex eo quod dixit, *Eli, Eli,* putant Eliam ab eo invocatum. Sin autem Judæos qui hoc dixerint intelligere voluerimus, hoc more sibi solito fecisse, ut Dominum imbecillitatis infament, qui Eliæ auxilium deprecetur. (*Hieronymus.*)

## MEDITATIO CCCX.

### Christus sitiens potatur aceto.

I. — Postea sciens Jesus, quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit : Sitio. (*Joan. XIX. 28.*)

Patiebatur hæc omnia qui apparebat homo, et ipse disponebat hæc omnia qui latebat Deus : unde dicitur : *sciens,* etc. *ut consummaretur Scriptura,* idest quod Scriptura prædixerat : (*Psal. LXVIII.*)" Et in siti mea potaverunt me aceto " dixit : *Sitio.* (*Augustinus.*)



II. — Vas ergo erat positum aceto plenum. (*Joan. XIX. 29.*)

Et continuo currens unus ex eis acceptam spongiam implevit aceto, et imposuit arundini, et dabat ei bibere. (*Matth. XXVII. 48.*)

Dicens : Sinite, videamus, si veniat Elias ad deponendum eum. (*Marc. XV. 36.*)

Ceteri vero dicebant : Sine videamus an veniat Elias liberans eum. (*Matth. XXVII. 49.*)

Ex temporis illius more, parata fuerant in Calvario monte acetum, spongiam, hyssopum; ut si opus esset spongia plena aceto, quod hyssopo esset infectum, vulneribus crucifixorum admoveretur ad sistendum sanguinem, ne scilicet nimis cito cruciarii morerentur; habet enim hyssopus, ut etiam spongia et acetum, vim sanguinis sistendi. (*Barontius, anno XI. 34. nº 126.*)

Hyssopum autem cui circumposuerunt spongiam aceto plenam, quoniam herba est humilis et pectus purgat, Christi humilita-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tem congruenter accipimus; quam circumdederunt et se circumvenisse putaverunt, Christi namque humilitate mundamur. Nec moveat quomodo spongiam ori ejus potuerunt admovere qui in cruce fuerat exaltatus a terra : sicut enim apud alios evangelistas legitur, quod Joannes prætermisit, in arundine factum est, ut in spongia talis potus ad crucis sublimia levaretur. (*Augustinus.*)

III. — Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori ejus. (*Joan. XIX. 29.*)

Sic ergo propinator fontium potatur aceto, mellis dator cibatur felle, flagellatur remissio, condemnatur venia, illuditur majestas, ridetur virtus, perfunditur largitor imbrium sputis. (*Chrysostomus.*)

## MEDITATIO CCCXI.

Christus commendat spiritum in manus Patris et exspirat.

I. — Cum accepisset Jesus acetum dixit : Consummatum est. (*Joan. XIX. 30.*)

Quid, *Consummatum*, nisi quod prophetia tanto ante prædixerat? (*Beda.*)

Cum ergo nil jam Christo restaret ex pœnis, mors moratur, quia suum esse ibi nil



sentit; suspecta est vetustati novitas. Hunc primum, hunc solum vidit hominem peccati nescium, noxa liberum, juris sui legibus nil debentem. (*Augustinus.*)

II. — Jesus autem iterum clamans voce magna (*Matth. XXVII. 50.*) ait : Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. (*Luc. XXIII. 46.*)

Deinde ubi acetum bibit, assumptæ mortalitatis impletum est omne mysterium, et immortalitatis sola lætitia remansit : unde sequitur : *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* (*Ambrosius.*)

Hæc autem vox edocet, quod animæ sanctorum non deinceps in inferno claudantur, ut prius; sed apud Deum sunt, hujus rei facto Christo principio. (*Cyrillus.*)

Commendat enim Patri, per se, universos mortales in se vivificatos : nam sumus membra ejus secundum illud Apostoli ad (*Gal. III.*) " Omnes unum estis in Christo. " (*Athanasius.*)

III. — Et inclinato capite tradidit spiritum. (*Joan. XIX. 30.*)

Non autem quoniam exspiravit, inclinavit caput, sed quia inclinavit caput, tunc exspiravit : per quæ omnia indicavit Evangelista, quoniam omnium Dominus ipse erat. (*Chrysostomus.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Quis enim ita dormit quando voluerit, sicut Jesus mortuus est quando voluit? Quanta speranda, vel timenda potestas est judicantis, si apparuit tanta morientis? (*Augustinus.*)

## MEDITATIO CCCXII.

### De prodigiis in morte Domini.

I. — Velum templi scissum est medium. (*Luc. XXIII. 45.*) In duas partes, a summo usque deorsum. (*Matth. XXVII. 51. — Marc. XV. 38.*)

Per hoc autem Dominus ostendebat, quod non erunt ulterius sancta Sanctorum inaccessibilia : sed tradita in manus Romanorum inquinarentur, et eorum aditus pateretur. (*Theophylactus.*)

Per hoc etiam ostenditur quod velum, quod sequestrabat nos a sacris quæ sunt in cœlo, disrumpitur, idest Dei inimicitia et peccatum. (*Theophylactus.*)

II. — Terra mota est et petræ scissæ sunt. (*Matth. XXVII. 51.*)

Est autem, ad testimonium venerandæ passionis sufficiens signum, elementorum inopinata turbatio. (*Leo Papa.*)

Nulli enim dubium est quid significet



juxta litteram magnitudo signorum; ut crucifixum Dominum suum et cœlum et terra et omnia demonstrarent. (*Hieronymus.*)

Movetur terra quia capax hujus mortui esse non poterat : *petræ scissæ sunt*, omnia enim valida et fortia penetrans Dei verbum, et potestas æternæ virtutis irruperat. (*Hilarius.*)

III. — Monumenta aperta sunt : et multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.

Et exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus, venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis. (*Matth. XXVII. 52, 53.*)

*Et monumenta aperta sunt.* Erant enim mortis claustra reserata. *Et multa corpora sanctorum*, etc. Illuminans enim mortis tenebras, et infernorum obscura collustrans mortis spolia detrahebat. (*Hilarius.*)

Et tamen cum monumenta aperta sunt, non ante resurrexerunt quam resurgeret Dominus, ut esset primogenitus resurrectionis ex mortuis. (*Hieronymus.*)

Quæret autem aliquis, quid de illis factum sit qui resurgente Domino surrexerunt. Incunctanter credere debemus, quia qui resurgente Domino a mortuis resurrexerunt, ascendente eo ad cœlos et ipsi pariter ascenderunt. (*Remigius.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## MEDITATIO CCCXIII.

### Centurio et alii glorificant Deum.

I. — Videns autem centurio quod factum fuerat, glorificavit Deum, dicens : Vere hic homo justus erat. (*Luc. XXIII. 47.*)

Videns centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans exspirasset, ait : Vere hic homo Filius Dei erat. (*Marc. XV. 39.*)

Manifesta autem causa miraculi centurionis exponitur, quod videns Dominum sic exspirasse idest spiritum emisisse dixerit : *Vere hic homo Filius Dei erat :* nullus enim habet potestatem mittendi spiritum, nisi qui animarum conditor est. (*Beda.*)

Novissimi autem nunc primi efficiuntur, Gentilis confitetur populus, Judæa cæcata negat, ut fiat eis error pejor priore. (*Hieronymus.*)

II. — Centurio et qui cum eo erant, custodientes Jesum, viso terræ motu et his, quæ fiebant, timuerunt valde dicentes : Vere Filius Dei erat iste. (*Matth. XXVII. 24.*)

Non est contrarium quod Matthæus, viso terræ motu dicit admiratum centurionem



et eos qui cum eo erant, cum Lucas dicat hoc admiratum, quod emissa magna voce exspirasset : in eo enim quod Matthæus non solum dixit, *viso terræ motu*, sed et addidit, *his quæ fiebant*, integrum locum fuisse demonstravit Lucæ, ut diceret Centurionem ipsam Domini mortem fuisse miratum : quia et hoc inter illa est quæ tunc mirabiliter facta erant. (*Augustinus.*)

III. — Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, et videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur. (*Luc. XXIII. 48.*)

Quod percutiebant pectora; quia pœnitentia et luctus indicium est, potest dupliciter intelligi : sive enim eum cujus vitam dilexerunt, injuste occisum dolebant; sive cujus mortem se impetrasse meminerant, hunc in morte amplius glorificatum tremebant. Notandum autem, quod Gentiles Deum timentes, apertæ confessionis voce glorificant : Judæi, percutientes solum pectora, silentes domum redeunt. (*Beda.*)

## MEDITATIO CCCXIV.

### Plorum studium erga Christum.

I. — Stabant autem omnes noti ejus a longe : et mulieres, quæ secutæ erant

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

a Galilæa hæc videntes. (*Luc. XXIII. 49.*)

Sed feminarum genus olim maledictum, manet et videt hæc omnia, et sic primæ refocillantur justificatione, aut benedictione a passione profluente sicut et resurrectione. (*Theophylactus.*)

Hæ autem mulieres considerabant quæ gerebantur, quæ maxime erant compassibiles : et quæ sequebantur ministrantes usque ad pericula,affuerunt maximam fortitudinem ostendentes : quia cum discipuli fugerunt, ipsæ affuerunt. (*Chrysostomus.*)

II. — Erant autem ibi mulieres multæ a longe, quæ secutæ erant Jesum a Galilæa, ministrantes ei. (*Matth. XXVII. 22.*)

Consuetudinis enim Judaicæ fuit, nec ducebatur in culpam more gentis antiquo; ut mulieres, de substantia sua, victum atque vestitum præceptoribus ministrarent.

Hoc, quia scandalum facere poterat in Gentibus, Paulus abjecisse se memorat. Ministrabant autem Domino de substantia sua, ut meteret illarum carnalia, cujus illæ metebant spiritualia : non quia indigebat cibis Dominus creaturarum : sed ut typum ostenderet magistrorum, quia victu atque vestitu ex discipulis deberent esse contenti.

Sed videamus quales comites habuerit. (*Hieronymus.*)



III. — Inter quas erat Maria Magdalene, et Maria Jacobi, et Joseph mater, et mater filiorum Zebedæi. (*Matth. XXVII. 26. — Marc. XV. 40.*)

Et cum esset in Galilæa, sequebantur eum, et ministrabant ei, et aliæ multæ, quæ simul cum eo ascenderant Jerosolymam. (*Marc. XV. 41.*)

*Maria Magdalene*, soror Lazari et Marthæ. *Maria Jacobi*, Jacobi minoris et Joseph mater, quæ etiam dicitur Maria Cleophæ, scilicet uxor Cleophæ. Hæc erat beatæ Virginis soror : vel ut alii volunt soror Josephi sponsi B. Virginis. *Mater filiorum Zebedæi*, quæ alibi dicitur Salome. (*Menochius.*)

*Et aliæ multæ*. Et sic ordo convertitur, dum Judæi occidunt et Gentilis confitetur : discipuli fugiunt, et mulieres exspectant. (*Theophylactus.*)

## MEDITATIO CCCXV.

### De aperto latere Christi.

I. — Judæi (quoniam Parasceve erat) ut non remanerent in cruce corpora sabbato, (erat enim magnus dies ille sabbati) rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura et tollerentur. (*Joan. XIX. 31.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

Judæi qui camelum transglutiebant, calicem autem colabant, cum tantam fuissent operati audaciam, de die diligenter ratiocinantur. (*Chrysostomus.*)

Parasceve, id est præparatio, dicta est sexta feria, quia eo die duplices sibi cibos filii Israel præparabant. *Erat enim magnus dies ille Sabbati;* scilicet propter solemnitatem paschalem. (*Beda.*)

*Rogaverunt Pilatum*, etc. Non crura tollerentur, sed hi quibus ideo frangebantur ut morerentur, ex ligno; ne pendentes in crucibus magnum diem festum sui diurni cruciatus horrore fœdarent. (*Augustinus.*)

II. — Venerunt ergo milites : et primi quidem fregerunt crura, et alterius qui crucifixus est cum eo. (*Joan. XIX. 32.*)

Sic enim jubebatur in lege, non occidere solem in hominis supplicio : vel quia noluerunt, in die festo, tortores aut homicidæ censeri. (*Theophylactus.*)

III. — Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura.

Sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua. (*Joan. XIX. 33, 34.*)

Ut Judæis complaceant, lanceant Christum, circa corpus exanime contumelias in-



ferentes : sed contumelia in signum prodiit : sanguinem enim de corpore exstincto manare miraculum est. (*Theophylactus.*)

Et quia hinc suscipiunt principium sacra mysteria; cum accesseris ad tremendum calicem, ut ab ipsa bibiturus Christi costa, ita accedas. (*Chrysostomus.*)

Hæc aqua (vera aqua naturalis) miraculo in corpore Christi creata, baptismum significavit, quod est janua sacramentorum ; sanguis vero Eucharistiam; in quibus etiam alia sacramenta Ecclesia significantur, quæ, ut loqui solemus, e Christi latere fluxerunt. (*Menochius.*)

IV. — Et qui vidit, testimonium perhibuit et verum est testimonium ejus. Et ille scit quia vera dicit : ut et vos credatis.

Facta sunt enim hæc ut Scriptura impleretur : Os non comminuetis ex eo.

Et iterum alia Scriptura dicit : Videbunt in quem transfixerunt. (*Joan. XIX. 35, 36, 37.*)

Potest tamen quis calumniose dicere, quod aliqua virtus vitalis erat in corpore, et ideo sanguis effluxit : aqua vero manans inexpugnabile signum fuit : et ideo Evangelista subjungit : *Et qui vidit, testimonium perhibuit.* (*Theophylactus.*)

Quasi dicat : Non ab aliis audivit, sed ipse præsens vidit. *Et verum est testimonium ejus :* quod convenienter subjungit, convicium Christi enarrans. Non magnum aliquod et admirabile signum, ut sic suspectus sermo redderetur ; sed ipse hoc dixit, hæreticorum ora præcludens et futura personans mysteria, et eum qui latebat in eis inspiciens thesaurum. (*Chrysostomus.*)

## MEDITATIO CCCXVI.

### Pietas Josephi ab Arimathæa.

1. — Cum jam sero esset factum quia erat parasceve, quod est ante sabbatum. Venit Joseph ab Arimathæa (*Marc. XV. 42.*) civitate Judææ. (*Luc. XXIII. 21.*) Homo dives. (*Matth. XXVII.*) Nobilis decurio. (*Marc. XV. 43.*) Vir bonus et justus. (*Luc. XXIII. 20.*) Qui et ipse discipulus erat Jesu. (*Matth. XXVII. 27.*) Occultus autem propter metum Judæorum. (*Joan. XIX. 38.*) Qui exspectabat et ipse regnum Dei. Hic non consenserat consilio et actibus eorum. (*Luc. XXIII. 21.*)

Iste autem Joseph, secundum sæculi statum, magnæ fuit dignitatis : sed multo majoris meriti apud Deum fuisse laudatur, siquidem justus fuisse describitur. Decebat quippe eum talem exsistere qui corpus Domini sepeliret, quatenus per justitiam meritorum dignus esset tali officio. (*Remigius.*)



Dives autem refertur non de jactantia scriptoris, quo virum nobilem atque ditissimum referat Jesu fuisse discipulum ; sed ut ostendat causam quare a Pilato corpus Christi potuerit impetrare. (*Hieronymus.*)

II. — Hic accessit ad Pilatum. (*Matth. XXVII. 28. — Luc. XXIII. 22.*) Et audacter introivit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu. (*Marc. XV. 43. — Matth. XXVII. 28. — Luc. XXIII. 22.*) Rogavit autem Pilatum ut tolleret corpus Jesu. (*Joan. XIX. 33.*)

Merito autem movet cur ille qui propter timorem occultus erat discipulus, ausus sit petere corpus ejus, quod nullus eorum qui eum palam sequebantur auderet. Sed intelligendum est istum, fiducia dignitatis hoc fecisse, qua præditus poterat familiariter intrare ad Pilatum. In extremo autem illo officio funeris exhibendo, minus videtur curasse de Judæis ; quamvis soleret in Domino audiendo eorum inimicitias devitare. (*Augustinus.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

III. — Pilatus autem mirabatur si jam obiisset. Et accersito centurione, interrogavit eum si jam mortuus esset.

Et cum cognovisset a centurione, donavit corpus Joseph. (*Marc. XV. 44, 45.*)

Tunc Pilatus jussit reddi corpus. (*Matth. XXVII. 28.*)

Putabat enim (Pilatus) quod diu viveret in cruce, sicut et latrones in patibulo vivebant diu. (*Theophylactus.*)

*Jussit*, Pilatus, *reddi corpus*, cum tamen prius ex centurione cognovisset Christum mortuum esse : cavit enim ne qua fraus fieret et supplicio vivus eriperetur. (*Menochius.*)

## MEDITATIO CCCXVII.

### Pietas et liberalitas Nicodemi erga Christum.

I. — Joseph autem mercatus sindonem. (*Marc. XV. 46.*)

Venit et tulit corpus Jesu. (*Joan. XIX. 38.*)

Pretiosum corpus pretiose sepeliens : cum enim esset discipulus Domini, sciebat qualiter corpus Domini honorari deberet. (*Theophylactus.*)



Hinc Ecclesiæ mos obtinuit ut sacrificium altaris, non in serico, neque in panno tincto, sed in lino terreno celebretur, sicut corpus est Domini in sindone munda sepultum : juxta quod in gestis Pontificalibus a beato Sylvestro legimus esse statutum : quamquam et hoc significet, quod ille sindone munda involvit Jesum qui pura eum mente susceperit. (*Beda.*)

II. — Venit autem et Nicodemus, qui venerat ad Jesum nocte primum, ferens mixturam myrrhæ, et aloes, quasi libras centum. (*Joan. XIX. 39.*)

Adjungitur autem ei et Nicodemus. (*Beda.*)

Venerat ad Jesum Nicodemus nocte primum, quod idem Joannes narravit in prioribus Evangelii sui partibus. Hic ergo intelligendum est ad Jesum, non tunc solum, sed tunc *primum* venisse Nicodemum ; venisse autem postea, ut fieret audiendo discipulus Christi. (*Augustinus.*)

Ferunt autem pigmenta, quæ maxime corpus apta sunt quamplurimum conservare, et non permittere cito subjici corruptioni : adhuc enim de nudo homine disponebant, sed tamen multam dilectionem demonstrabant. (*Chrysostomus.*)

III. — Acceperunt ergo corpus Jesu, et ligaverunt illud linteis cum aromati-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

bus, sicut mos est Judæis sepelire. (*Joan. XIX. 40.*)

In quo Evangelista admonuit in hujusmodi officiis quæ mortuis exhibentur, morem cujusque gentis esse servandum. Erat autem illius gentis consuetudo ut mortuorum corpora variis aromatibus condirentur, ut diutius serventur illæsa. (*Augustinus.*)

## MEDITATIO CCCXVIII.

### De sepultura Domini nostri Jesu Christi.

I. — Erat autem in loco, ubi crucifixus est, hortus : et in horto monumentum, in quo nondum quisquam positus erat. (*Joan. XIX. 41.*)

Quia vero brevitate temporis urgebantur : nona enim hora mortuo Christo, deinde accedentibus ad Pilatum, et deponentibus Christi corpus, vespera imminebat.

*Erat in loco ubi crucifixus est*, etc., *in quo nondum quisquam positus fuerat :* quod dispensatione factum est, ne alterius alicujus, qui cum eo jaceret, æstimaretur resurrectio facta esse.

II. — Et posuit illud (corpus Jesu) in monumento suo novo, quod exciderat in petra. Et advolvit saxum magnum ad ostium monumenti, et abiit. (*Matth. XXVII. 60.*)



Sicut etiam in Mariæ Virginis utero nemo ante illum, nemo post illum conceptus est : ita in hoc monumento nemo ante illum, nemo post illum sepultus est. (*Augustinus.*)

Per hoc etiam quod novum fuit sepulcrum, mystice datur intelligi quod per Christi sepulturam omnes innovamur, morte et corruptione destructa. Attende etiam abundantiam pro nobis susceptæ paupertatis : nam qui domum in vita non habuit, post mortem quoque in alieno sepulcro reconditur, et nudus exsistens a Josepho operitur. (*Theophylactus.*)

III. — Ibi ergo propter Parasceven Judæorum, quia juxta erat monumentum posuerunt Jesum. (*Joan. XIX. 42*).

Dies erat Parasceves, et sabbatum illucescebat. (*Luc. XXIII. 24.*)

Acceleratam vult intelligi sepulturam ne advesperasceret, quando jam propter parasceven, quam cœnam puram Judæi latine usitatius apud nos vocant, facere tale aliquid non licebat. (*Augustinus.*)

Nunc etiam quodammodo Christus apud avaros mortificatur in paupere famem patiente. Esto ergo Joseph, et tege Christi

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nuditatem; non semel sed jugiter in tuo tumulo spirituali considerando reconde, cooperi, et misce myrrham et aloem amaricantia, considerando vocem illam : (*Matth. XXV.*) " Ite maledicti in ignem æternum " quo nihil amarius æstimo.

## MEDITATIO CCCXIX.

### Pietas mulierum erga Jesum defunctum.

I. — Subsecutæ autem mulieres, quæ cum eo venerant de Galilæa, viderant monumentum. (*Luc. XXIII. 22.*)

Erat autem ibi Maria Magdalene et altera Maria (Maria Joseph, *Marc. XV. 47.*) sedentes contra sepulcrum. (*Matth. XXVII. 61.*)

Postquam autem corpus Domini sepultum est, ceteris ad propria remeantibus, solæ mulieres, quæ eum arctius amaverant, perseveraverunt, et diligenti cura notaverunt locum in quo corpus Domini poneretur; quatenus congruo tempore munus suæ devotionis ei offerrent. (*Remigius.*)

Mater autem filiorum Zebedæi non scribitur sedere contra sepulcrum, forsitan enim usque ad crucem pervenire potuit. Istæ autem quasi majores in caritate, neque



his quæ postea gesta sunt defuerunt. (*Origenes.*)

II. — Et adspiciebant ubi poneretur. (*Marc. XV. 47.*) Et quemadmodum positum erat corpus ejus. (*Luc. XXIII. 22.*)

Postquam enim Joseph, sepultura perfecta, monumento egressus esset cum suis, concessit mulierum pietati, ut et ipsæ ingrederentur, viderentque ubi ac quo modo sepultus esset Jesus, et distulit tantisper advolvere saxum ostio monumenti. Mens autem mulierum erat ut et ipsæ, exacto Sabbato, ungerent Jesum. (*Natalis Alexander.*)

Quod usque hodie, sanctæ mulieres, idest humiles animæ sanctorum, in hoc sæculo faciunt, et pia curiositate attendunt quemadmodum passio Christi completa sit. (*Remigius.*)

III. — Et revertentes paraverunt aromata et unguenta : et sabbato quidem siluerunt secundum mandatum. (*Luc. XXIII. 26.*)

Neque tamen fidem debitam adhuc habebant; sed quasi puro homini aromata et unguenta parabant more Judæorum, qui talia exhibebant defunctis. (*Theophylactus.*)

Sepulto enim Domino, quamdiu licebat operari, idest usque ad solis occasum, unguentis præparandis erant occupatæ. Man-

datum autem erat ut sabbati silentium, idest quies, a vespera usque ad vesperam servaretur. (*Beda.*)

## MEDITATIO CCCXX.

### De custodia sepulcri.

I. — Altera autem die, quæ est post Parasceven, convenerunt principes sacerdotum, et pharisæi ad Pilatum.

Dicentes : Domine recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens : Post tres dies resurgam.

Jube ergo custodiri sepulcrum usque in diem tertium : ne forte veniant discipuli ejus, et furentur eum, et dicant plebi : Surrexit a mortuis : et erit novissimus error pejor priore. (*Matth. XXVII. 62, 63, 64.*)

Principes autem sacerdotum, licet immensum facinus in nece Domini perpetraverint, tamen non sufficit eis nisi etiam post mortem ejus conceptæ nequitiæ virus exerceant, famam ejus lacerantes, et quem innocentem sciebant, seductorem vocant. (*Rabanus.*)

Sicut autem Caiphas ignorans ante prophetaverat dicens : (*Joan. XI.*) " Expedit unum hominem mori pro populo, et non



tota gens pereat. " Sic modo : seductor enim erat Christus : non a veritate in errorem mittens ; sed a falsitate in veritatem, a vitiis ad virtutes, a morte ad vitam ducens. (*Rabanus.*)

Vide etiam qualiter nolentes concertant ad demonstrandam veritatem : irrefragabilis enim demonstratio resurrectionis facta est per ea quæ prætenderunt : quia enim custoditum est sepulcrum, nulla fraus facta est. Si autem fraus facta non est, manifeste et irrefragabiliter Dominus surrexit. (*Chrysostomus.*)

II. — Ait illis Pilatus : Habetis custodiam, ite, custodite sicut scitis. (*Matth. XXVII. 65.*)

Quasi dicat : Potestatem vobis facio, ut acceptis militibus, sepulcrum custodiatis ut vultis, et ea diligentia quæ vobis necessaria, aut opportuna videtur. (*Menochius.*)

III. — Illi autem abeuntes, munierunt sepulcrum, signantes lapidem cum custodibus. (*Matth. XXVII. 66.*)

Non autem permittit Pilatus solos milites sigillare : si enim soli milites sigillassent : possent dicere quoniam milites permiserunt quod discipuli corpus Domini furarentur, et ita resurrectionis infringere fidem : nunc hoc dicere non possunt, cum ipsimet sepulcrum sigillassent. (*Chrysostomus.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

## MEDITATIO CCCXXI.

**Milites sepulcri custodes pecunia corrupti, mentiuntur Christi redivivi corpus furto sublatum.**

I. — Quidam de custodibus venerunt in civitatem, et nuntiaverunt principibus sacerdotum omnia, quæ facta fuerant. (*Matth. XXVIII. 11.*)

Signorum quæ circa Christum apparuerunt, quædam fuerunt orbi terrarum communia, puta tenebræ; quædam propria militibus custodientibus, sicut mira Angeli apparitio et terræ motus, quæ propter milites facta sunt ut stuperent, et ab ipsis fiat testimonium veritatis : veritas enim e contrariis divulgata magis refulget : quod et contigit.

II. — Et congregati cum senioribus consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus.

Dicentes : Dicite quia discipuli ejus nocte venerunt, et furati sunt eum, nobis dormientibus.

Et si hoc auditum fuerit a præside, nos suadebimus ei, et securos vos faciemus. (*Matth. XXVIII. 12, 13, 14.*)

Principes ergo sacerdotum qui debuerant converti ad pœnitentiam, et Jesum quærere



resurgentem, perseverant in malitia, et pecuniam quæ ad usus templi data fuerat, vertunt in redemptionem mendacii; sicut et ante triginta argenteos inde dederunt proditori. (*Hieronymus.*)

Per quæ resurrectionem obumbrare conantur, per hæc eam faciunt clarere. Dicentes enim quod discipuli furati sunt, confitentur non esse corpus in sepulcro; furtum autem ostendit esse mendax custodia militum et discipulorum pavor. (*Chrysostomus.*)

Ne autem timore principis a mendacio revocarentur, timentes propter negligentiam puniri, subdunt : et si hoc auditum fuerit a præside, *nos suadebimus ei, et securos vos faciemus.* (*Glossa.*)

III. — At illi, accepta pecunia fecerunt sicut erant edocti. Et divulgatum est verbum istud apud Judæos, usque in hodiernam diem. (*Matth. XXVIII. 15.*)

Vide omnes corruptos. Pilatus enim ipse persuasus est, plebs judaica commota est, milites corrupti sunt. Si pecunia apud discipulum tantam habuit virtutem ut eum faceret magistri proditorem : non mireris si pecunia milites superantur. (*Chrysostomus.*)

Apud Judæos quidem divulgatum est (verbum istud) non apud Christianos; quod enim in Judæa, Judæus obscurabat auro, fide toto claruit in mundo. (*Chrysostomus.*)



# PARS SEPTIMA.

## De gloria Domini nostri Jesu Christi redivivi.

### ADHORTATIO.

" O lux perpetua, cuncta creata transcendens lumina, fulgura coruscationem de sublimi penetrantem omnia cordis mei intima.

Purifica, lætifica, clarifica et vivifica spiritum meum cum suis potentiis, ad inhærendum tibi jubilosis excessibus.

O quando veniet hæc beata et desiderabilis hora, ut tua me saties præsentia, et sis mihi omnia in omnibus!

Quamdiu hoc datum non fuerit, nec plenum gaudium erit.

Adhuc (proh dolor!) vivit in me vetus homo, non est totus crucifixus, non est perfecte mortuus.



Adhuc concupiscit fortiter contra spiritum, bella movet intestina, nec regnum animæ patitur esse quietum.

Sed tu, qui " dominaris potestati maris, et motum fluctuum ejus mitigas " (*Psal. LXXXVIII. 10.*), exsurge, adjuva me. (*Imit. Lib. III. C. XXXIV. 3, 4.*)

## MEDITATIO CCCXXII.

### Christus Resurrectionem suam tertia die futuram prædixit.

1. — Responderunt quidam de Scribis et pharisæis dicentes : Magister volumus a te signum videre. (*Matth. XII. 38.*)

Sic signum postulant, quasi quæ viderant, signa non fuerint; sed in alio Evangelista quid petant plenius explicatur : (*Luc. XI.*) " Volumus a te signum videre de cœlo " : vel in morem Eliæ ignem de sublimi venire cupiebant : vel in similitudinem Samuelis, tempore æstivo, contra naturam loci, mugire tonitrua, coruscare fulgura, imbres ruere; quasi non possint et illa calumniari. (*Hieronymus.*)

Verba autem eorum adulatione et ironia sunt plena. Et prius quidem conviciabantur, dæmoniacum eum dicentes : Nunc autem adulantur, vocantes eum magistrum. Pro-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

pter hoc et Dominus eos vehementer arguit. (*Chrysostomus.*)

II. — Turbis autem concurrentibus cœpit dicere : Generatio hæc, generatio nequam est : " mala et adultera. " Signum quærit et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ. (*Luc. XI. 29. — Matth. XII. 39.*)

Et quidem cum ei conviciabantur, mansuete eis respondebat : cum autem adulabantur, conviciose : demonstrans quod utraque passione erat superior : et neque conviciis in iram deducitur, neque ab adulatione mollitur. (*Chrysostomus.*)

Deinde respondere incipit, non signum de cœlo, quod indigni erant videre, sed de profundo inferni tribuens. Discipulis autem suis signum de cœlo dedit, quibus æternam beatitudinis gloriam, et prius in monte figuraliter, et post veraciter in cœlum superelevatus ostendit. (*Rabanus.*)

III. — Nam sicut fuit Jonas signum Ninivitis : ita erit et Filius hominis generationi isti. (*Luc. XI. 30.*)

Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus : sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus. (*Matth. XII. 40.*)



Id est sicut fuit Jonas Ninivitis signum, ita et Christus Judæis : ille enim facto illo mirando, quod tribus diebus latuit in ventre ceti, et postea vivus ejectus est; tantam fidem prædicationi suæ conciliavit, ut Ninivitas ad pœnitentiam converterit, seque a Deo missum eis persuaserit : sic Christus morte sua et resurrectione post triduum, se Filium Dei et Christum verum esse ostendet, agnoscetque generatio hæc eum esse Messiam. (*Menochius. Comm. in Matth.*)

Non quod (Dominus) omnes tres dies et tres noctes in inferno fuerit : sed quod in parte parasceves, et dominicæ, et tota die sabbati, tres dies et tres noctes intelligantur. (*Hieronymus.*)

IV. — Regina austri surget in judicio cum viris generationis hujus, et condemnabit illos : quia venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis, et ecce plus quam Salomon hic. (*Luc. XI. 31. — Matth. XII. 42.*)

Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, et condemnabunt eam : quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ. Et ecce plus quam Jonas hic. (*Matth. XII. 41. — Luc. XI. 32.*)

*Regina austri... condemnabit illos.* Non utique potestate judicii, sed comparatione facti melioris. (*Beda.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Regina autem austri non exspectavit Salomonem ad ipsam ire, sed ipsa ad eam accessit : et mulier et barbara, et tantum remota, non mortem formidans, sola cupidine verborum sapientum. Ibi ergo mulier advenit, hic ego veni : et ipsa quidem a finibus terræ surrexit : ego autem civitates et castra circumeo : et ille quidem de arboribus et lignis disputavit : ego autem de ineffabilibus mysteriis. (*Chrysostomus.*)

Jonas, secundum septuaginta interpretes, triduum prædicavit : ego tanto tempore : ille Assyriis, genti incredulæ; ego Judæis, populo Dei : ille voce locutus est simplici nihil signorum faciens : ego tanta faciens, Beelzebub calumniam sustineo. (*Hieronymus.*)

## MEDITATIO CCCXXIII.

### Mulieres parant aromata et egrediuntur ad sepulcrum.

I. — Vespere autem sabbati quæ lucescit in prima sabbati, venit Maria Magdalene, et altera Maria videre sepulcrum. (*Matth XXVIII. 1.*)

Quod dictum est, quia sanctæ mulieres *vespere sabbati quæ lucescit in prima sabbati, venerunt videre sepulcrum*, ita



intelligendum : quia vespere quidem venire cœperint; sed lucescente mane in prima sabbati ad sepulcrum pervenerunt : idest, vespere aromata paraverunt, quibus corpus Domini ungere desiderabant; sed aromata vespere præparata, mane ad sepulcrum detulerunt : quod Matthæus quidem brevitatis causa obscurius posuit : sed Evangelistæ alii, quo ordine factum sit evidentius ostendunt. (*Beda.*)

II. — Et cum transisset sabbatum, Maria Magdalene, et Maria Jacobi et Salome emerunt aromata ut venientes ungerent Jesum. (*Matth. XVI. 1.*)

Religiosæ enim mulieres sepulto Domino, cum licuit operari, idest usque ad solis occasum, unguenta paraverunt ut Lucas dicit. Et quia præ angustia temporis non poterant explere, mox transacto sabbato, idest occidente sole, ut operandi licentia redit, festinaverunt emere aromata, sicut Marcus dicit hic; ut veniente mane ungerent corpus Jesu. (*Glossa.*)

III. — Una autem sabbati. (*Luc. XXIV. 1. — Joan. XX. 1.*) Una sabbatorum. (*Marc. XVI. 2.*) Valde diluculo. (*Luc. XXIV. 1.*) Valde mane. (*Marc. XVI. 2.*) Cum adhuc tenebræ essent. (*Joan. XX. 1.*) Veniunt ad monumentum, orto jam

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sole. (*Marc. XVI.* 2.) Portantes quæ paraverant aromata. (*Luc. XXIV.* 2.)

Illuminatur, ut in diem dominicam luceat, clarescat in Ecclesia quod in synagoga, Judæis obscurantibus, fuscabatur. (*Chrysologus.*)

Sero quidem mulier currit ad veniam, quæ mature cucurrit ad culpam : quæ de paradiso perfidiam sumpserat, festinat fidem sumere de sepulcro; contendit rapere de morte vitam, quæ de vita rapuerat mortem. (*Chrysologus.*)

Nos autem in eum qui est mortuus credentes, si odore virtutum referti cumo pinione bonorum operum Dominum quærimus, ad monumentum illius cum aromatibus venimus. (*Gregorius.*)

## MEDITATIO CCCXXIV.

**Terra mota concutitur : Angelus lapidem revolvit.**

I. — Et ecce terræmotus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de cœlo : et accedens revolvit lapidem, et sedebat super eum. (*Matth. XXVIII.* 2.)

Quod etiam terræmotus, resurgente Domino de sepulcro, sicut etiam moriente in



cruce, factus est magnus, significat terrena quidem corda per fidem passionis prius, ac resurrectionis ejus ad pœnitentiam concutienda, salubri pavore permota. (*Beda.*)

*Angelus Domini descendit de cœlo.* Surgente siquidem Christo, morte pereunte, terrenis redditur cœleste commercium, et mulieri cui fuerat cum diabalo lethale consilium, cum Angelo colloquium fit vitale. (*Severianus.*)

*Et accedens revolvit lapidem :* Non ut egressuro Domino januam pandat, sed ut egressus ejus jam facti hominibus præstet indicium. Et recte stans apparuit Angelus qui adventum Domini in mundo prædicebat, ut stando designaret quia Dominus ad debellandum mundi principem veniret. Præco autem resurrectionis sedisse memoratur, ut sedendo significaret eum, superato mortis auctore, sedem regni jam conscendisse perpetui. Sedebat autem super lapidem revolutum quo ostium monumenti claudebatur, ut claustra inferorum, sua ipsum virtute dejecisse doceret. (*Beda.*)

II. — Erat autem adspectus ejus sicut fulgur et vestimentum ejus sicut nix. (*Matth. XXVIII.* 3.)

In fulgore terror timoris est, in nive autem blandimentum candoris : quia vero omnipotens Deus et terribilis est peccatoribus et blandus justis, recte testis resurrectionis

ejus Angelus, et in fulgure vultus et in candore habitus demonstratur, ut de ipsa sua specie et terreret reprobos et mulceret pios. (*Gregorius.*)

III. — Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes et facti sunt velut mortui. (*Matth. XXVIII. 4.*)

Timoris anxietate sunt exterriti qui amoris fiduciam non habebant : et facti sunt velut mortui qui resurrectionis veritatem credere noluerunt. (*Rabanus.*)

Custodiebant enim crudelitatis studio, non pietatis obsequio : Stare enim non potest quem conscientia destituit et impellit reatus. Hinc est quod Angelus percellit impios, pios alloquitur et solatur. (*Severianus.*)

## MEDITATIO CCCXXV.

### Angeli apparent mulieribus loco sepulcri.

I. — Et dicebant (Maria Magdalene et Maria Jacobi et Salome, *Marc. XVI. 1.*) ad invicem : Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti? (*Marc. XVI. 3.*)

Erat quippe magnus valde. (*Marc. XVI. 4.*)



Et respicientes viderunt revolutum lapidem (*Marc. XVI. 4.*)

Invenerunt lapidem revolutum a monumento. (*Luc. XXIV. 2.*)

Obscuratum erat vestrum pectus, oculi clausi : et ideo patefacti sepulcri gloriam prius non videbatis. (*Severianus.*)

Quomodo lapis per Angelum revolutus sit, Matthæus sufficienter exposuit. Hæc revolutio lapidis mystice reserationem sacramentorum Christi, quæ velamine litteræ legalis tenebantur, insinuat : lex enim lapide scripta est. (*Beda.*)

*Erat quippe magnus valde.* Et plus jam merito quam forma, qui Creatoris mundi corpus et claudere et operire sufficit. (*Severianus.*)

II. — Et introeuntes in monumentum viderunt juvenem sedentem in dextris, coopertum stola candida, et obstupuerunt. (*Marc. XVI. 5.*) Respondens autem Angelus dixit mulieribus : Nolite timere vos. (*Matth. XVIII. 5.*)

Nolite expavescere. (*Marc. XVI. 6.*)

Scio enim quod Jesum (*Matth. XVII. 5.*) Nazarenum (*Marc. XVI. 6.*) qui crucifixus est quæritis :

Non est hic : surrexit enim sicut dixit. (*Matth. XXVIII. 5, 6.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ecce locus ubi posuerunt eum. (*Marc. XVI. 6.*)

Venite et videte locum, ubi positus erat Dominus. (*Matth. XVIII. 6.*)

Si Matthæus dicit Angelum sedere super lapidem, Marcus vero quod mulieres introeuntes monumentum viderunt sedentem juvenem, non mireris : nam quæ viderunt prius sedentem super lapidem, ipsum etiam intus in monumento postmodum viderunt. (*Theophylactus.*)

Aut certe intrantes *in monumentum*, in aliqua septa maceriæ debemus accipere, qua communitum locum tunc fuisse credibile est in aliquo spatio ante petram, qua excisa locus factus fuerat sepulturæ; ut ipsum viderint in eodem spatio sedentem a dextris, quem dicit Matthæus sedentem super lapidem. (*Augustinus.*)

Introierunt ergo mulieres ad sepulcrum, ut consepultæ Christo, Christo consurgerent de sepulcro; vident juvenem, ut cernerent nostræ resurrectionis ætatem : quia nescit resurrectio senectutem; et ubi nasci moriqué homo nescit, ibi ætas nec admittit detrimenta, nec indiget incrementis : unde juvenem, non senem, non infantem; sed jucundam ætatem viderunt. (*Severianus.*)

Custodes quidem timore perterriti ad instar mortuorum stupefacti jacent : et angelus tamen non illos sed mulieres consolatur, dicens : *Nolite timere vos* : quasi dicat : Illi timeant in quibus remanet incredulitas : ceterum vos, quia Jesum quæritis crucifixum, audite quod surrexit et promissa perfecerit. (*Hieronymus.*)

*Surrexit enim, sicut dixit*, quasi dicat : Et si mihi non creditis, illius mementote verborum. Deinde et alia sequitur demonstratio, cum subditur : *Venite et videte locum*, etc. (*Chrysostomus.*)

Ut si meis verbis non creditis, vacuo credatis sepulcro. (*Hieronymus.*)

III. — Et ingressæ non invenerunt corpus Domini Jesu.

Et factum est dum mente consternatæ essent de isto, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti. (*Luc. XXIV. 3, 4.*)

Cum igitur non invenissent corpus Christi, quod resurrexerat, ducebantur diversis cogitationibus : et propter amorem Christi et adhibitam sollicitudinem, meruerunt visionem angelicam. (*Cyrillus.*)



## MEDITATIO CCCXXVI.

### Mulieres magis instruuntur de resurrectione Domini.

I. — Cum timerent autem et declinarent vultum in terram (duo viri) dixerunt

ad illas : Quid quæritis viventem cum mortuis?

Non est hic, sed surrexit : recordamini qualiter locutus est vobis, cum adhuc in Galilæa esset,

Dicens : Quia oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, et crucifigi, et tertia die resurgere.

Et recordatæ sunt verborum ejus. (*Luc. XXIV. 5, 6, 7, 8.*)

Sanctæ mulieres adstantibus sibi Angelis, non in terram cecidisse, sed vultum dicuntur in terram declinasse : nec quempiam sanctorum legimus tempore dominicæ resurrectionis, vel ipsi Domino, vel Angelis sibi visis, terræ prostratum adorasse : unde mos obtinuit ecclesiasticus, ut vel in memoriam dominicæ, vel in nostræ spem resurrectionis, omnibus dominicis diebus, et toto quinquagesimo (*Paschali*) tempore non flexis genibus, sed declinatis in terram vultibus, oremus. Non erat autem in monumento, qui locus est mortuorum, quærendus ille qui ad vitam resurrexit a mortuis. Die autem tertia, sicut inter discipulos tam viros quam feminas prædixit, resurrectionis suæ triumphans celebravit. (*Beda.*)

II. — Sed (cito euntes, *Matth. XXVIII. 7.*) ite, dicite discipulis ejus et Petro. (*Marc. XVI. 7.*)



Quia surrexit : et ecce præcedit vos in Galilæam. (*Matth. XXVIII. 7.*) Ibi eum videbitis, sicut dixit vobis. (*Marc. XVI. 7.*)

Ecce prædixi vobis. (*Matth. XXVIII. 7.*)

Non autem solis vobis hoc gaudium magnum concessum, et occulto corde tenere; sed similiter amantibus debetis illud pandere, unde sequitur : *Sed cito euntes, ite, dicite*, etc. (*Rabanus.*)

Quasi dicat : Revertere ad visum mulier jam sancta, et suade fidem, quæ perfidiam ante suasisti : refer homini resurrectionis indicium, cui ante consilium ruinæ dedisti. (*Chrysologus.*)

Bene autem Dominus in Galilæa videtur a discipulis, qui jam de morte ad vitam, jam de corruptione ad incorruptionem transierat : Galilæa quippe transmigratio interpretatur. Felices feminæ, quæ triumphum resurrectionis mundo nuntiare meruerunt : feliciores animæ quæ in die judicii, percussis pavore reprobis, gaudium beatæ resurrectionis intrare meruerint. (*Beda.*)

III. — Et exierunt cito de monumento cum timore, et gaudio magno, currentes nuntiare discipulis ejus. (*Matth. XXVIII. 5.*) Illæ exeuntes, fugerunt de monumento : invaserat enim eas tremor et pa-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

vor : et nemini quidquam dixerunt : timebant enim. (*Marc. XVI, 8.*)

Duplex autem mentes mulierum tenebat affectus : timoris et gaudii : et alter de miraculi magnitudine, alter ex desiderio resurgentis : et tamen uterque femineum concitabat gradum. Pergebant enim ad Apostolos, ut per illos fidei seminarium spargeretur. (*Hieronymus.*)

Quod sequitur : *et nemini quidquam dixerunt*, intelligamus ipsorum Angelorum nemini ausas fuisse aliquid dicere, idest respondere ad ea quæ ab illis audierant : aut certe custodibus quos jacentes viderunt. (*Augustinus.*)

Signanter etiam (*hoc*) dicitur : quia mulieribus audire, non loqui datum est : discere, non docere. (*Severianus.*)

## MEDITATIO CCCXXVII.

### Currunt mulieres ad Apostolos nunciæ.

I. — Et regressæ a monumento nuntiaverunt hæc omnia illis undecim et ceteris omnibus.

Erat autem Maria Magdalene, et Joanna, et Maria Jacobi, et ceteræ, quæ cum



eis erant, quæ dicebant ad Apostolos hæc. (*Luc. XXIV, 9, 10.*)

Instructæ autem mulieres Angelorum affatibus, accelerantes ea retulerunt discipulis. Namque femina quæ quondam mortis fuit ministra, venerandum resurrectionis mysterium prima percepit et nuntiat. Adeptum est igitur femineum genus et ignominiæ absolutionem et maledictionis repudium. (*Cyrillus.*)

« Mulieribus autem docere in ecclesia non permitto : sed domi viros suos interrogent. » (*I. Cor. XIV, 35.*) Ad eos ergo femina mittitur qui domestici sunt. (*Ambrosius.*)

II. — Et visa sunt ante illos, sicut deliramentum verba ista : et non crediderunt illis. (*Luc. XXIV, 11.*)

Est autem naturaliter incredibile mortalibus resurrectionis miraculum, unde sequitur : *Et visa sunt ante illos sicut deliramentum, etc.* (*Theophylactus.*)

Quod non tam illorum infirmitas, quam nostra, ut ita dicam, futura firmitas fuit. Ipsa namque resurrectio, illis dubitantibus, per multa argumenta monstrata est, quæ dum nos legentes agnoscimus, de eorum dubitatione solidamur. (*Gregorius.*)

III. — Cucurrit ergo (Maria Magdalene) et venit ad Simonem Petrum, et ad

alium discipulum, quem amabat Jesus et dicit illis : Tulerunt Dominum de monumento, et nescimus ubi posuerunt eum. (*Joan. XX. 2.*)

Surrexit quidem Dominus, lapide et signaculis sepulcro injacentibus : quia vero oportebat et alios certificari, aperitur monumentum post resurrectionem, et ita creditur quod factum est. Hoc denique et Mariam movit : videns enim lapidem sublatum, non intravit neque prospexit, sed ad discipulos, ex multo amore, cum velocitate cucurrit. Nondum autem de resurrectione noverat aliquid manifestum; sed putabat translationem corporis esse factam. (*Chrysostomus.*)

Et ideo cucurrit nuntiare discipulis, ut aut secum quærerent, aut secum dolerent. (*Glossa.*)

## MEDITATIO CCCXXVIII.

### Petrus et Joannes currunt ad sepulcrum.

I. — Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum. (*Luc. XXIV. 12.*)

Exiit ergo Petrus, et ille alius discipulus, et venerunt ad monumentum.



Currebant autem duo simul, et ille alius discipulus præcucurrit citius Petro, et venit primus ad monumentum.

Et cum se inclinasset, vidit posita linteamina, non tamen introivit. (*Joan. XX. 3, 4, 5.*)

Petrus autem hoc audiens tollit moras, et vadit ad monumentum : quia nec ignis novit moras ingestus materiæ. (*Theophylactus.*)

Illi autem præ ceteris cucurrerunt, qui præ ceteris amaverunt, videlicet Petrus et Joannes. (*Gregorius.*)

II. — Venit ergo Simon Petrus sequens eum et introivit in monumentum, (*Joan. XX. 6.*) et procumbens vidit linteamina sola posita (*Luc. XXIV. 12.*) et sudarium, quod fuerat super, non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum. (*Joan. XX. 7.*)

Quod erat resurrectionis signum. Neque enim, si quidam eum transtulissent, corpus ejus denudassent : neque si furati essent, hujus rei fuissent solliciti, ut servarent sudarium et involverent et ponerent in unum locum seorsum a linteaminibus; sed simpliciter ut se habebat suscepissent corpus. Ideo enim Joannes præmiserat; quoniam sepultus est cum myrrha, quæ conglutinat corpori

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

linteamina; ut non decipiaris ab his qui dicunt eum furto sublatum esse. Non enim ita insensatus esset qui furaretur, ut circa rem superfluam tantum studium consumeret. (*Chrysostomus.*)

III. — Tunc ergo introivit et ille discipulus, qui venerat primus ad monumentum : et vidit et credidit :

Nondum enim sciebant Scripturam, quia oportebat eum a mortuis resurgere.

Abierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos. (*Joan. XX. 8, 9, 10.*)

Abiit Petrus secum mirans quod factum fuerat. (*Luc. XXIV. 12.*)

Nonnulli putant hoc Joannem credidisse, quod Jesus resurrexerit; sed quod sequitur, hoc non indicat. Vidit ergo inane monumentum et credidit quod dixerat mulier : nam loquitur : *Nondum enim, etc.* Non ergo eum credidit resurrexisse quem nesciebat oportere resurgere. Quando autem ab ipso Domino audiebant, quamvis apertissime diceretur, consuetudine tamen audiendi ab illo parabolas, non intelligebant, et aliquid aliud eum significare credebant. (*Augustinus.*)

Per Joannem juniorem synagoga, per seniorem vero Petrum Ecclesia Gentium designatur. Postquam autem intravit Petrus, ingressus est et Joannes : quia in fine mundi ad Redemptoris fidem etiam Judæi colligentur. (*Gregorius.*)



Intellige Petrum activum et promptum : Joannem vero contemplativum et docilem rerum divinarum habuisse peritiam. Plerumque autem prævenit contemplativus notitia et docilitate; sed activus instantia fervoris et sedulitate præcedit illius acumen, et prius inspicit divinum mysterium.

## MEDITATIO CCCXXIX.

### Magdalena secundo veniens ad sepulcrum, duos rursus Angelos videt.

I. — Maria autem stabat ad monumentum foris plorans. Dum ergo fleret, inclinavit se, et prospexit in monumentum. (*Joan. XX. 11.*)

Maria autem Magdalene, quæ fuerat in civitate peccatrix, amando veritatem laverat lacrymis maculas criminis, cujus mentem magna vis amoris accenderat, quæ a monumento Domini, etiam discipulis recedentibus, non recedebat. (*Gregorius.*)

*Maria autem stabat ad monumentum.* Idest ante illum saxei sepulcri locum; sed tamen intra illud spatium quo jam ingressæ fuerant : hortus quippe illic erat.

Oculi igitur qui Dominum quæsierant et non invenerant, lacrymis vacabant, amplius

dolentes, quod fuerat ablatus de monumento quam quod fuerat in ligno : quoniam magistri tanti cujus vita subtracta fuerat, memoria remanebat. (*Augustinus.*)

Vide eam ut plus requiesceret, et inclinantem se, et volentem locum videre ubi jacuit corpus. (*Chrysostomus.*)

Amanti enim semel adspexisse non sufficit, quia vis amoris intentionem multiplicat inquisitionis. (*Gregorius.*)

II. — Et vidit duos Angelos in albis, sedentes, unum ad caput, et unum ad pedes ubi positum fuerat corpus Jesu. (*Joan. XX. 12.*)

Ista itaque, quæ sic amat, quæ se ad monumentum quod prospexerat, iterum inclinat; videamus quo fructu vis amoris in se ingeminat opus inquisitionis. (*Gregorius.*)

Quia enim non erat excelsa mulieris mens, ut ex sudariis perciperet resurrectionem, Angelos videt in læto habitu, ut et ipsa a passione mitigetur. (*Chrysostomus.*)

III. — Dicunt ei illi : Mulier quid ploras? Dicit eis : Quia tulerunt Dominum meum : et nescio ubi posuerunt eum. (*Joan. XX. 13.*)

Angeli autem apparentes nihil de resurrectione dicunt : sed paulatim in eum qui de resurrectione est intrant sermonem. *Dicunt ei illi : Mulier quid ploras?* Angeli lacrymas prohibebant et futurum quodammodo gaudium nuntiabant : ita enim dixerunt, *quid ploras?* ac si dicerent, plorare noli. (*Chrysostomus.*)



At illa eos putans interrogasse nescientes, causas prodit lacrymarum. Dominum suum vocat, Domini sui corpus exanime a toto partem significans; sicut omnes confitemur Jesum Christum Filium Dei sepultum, cum sola ejus sepulta sit caro. Hæc erat causa majoris doloris; quia nesciebat quo iret ad consolandum dolorem. (*Augustinus.*)

Nondum autem de resurrectione aliquid noverat, sed adhuc translationem imaginabatur. (*Chrysostomus.*)

## MEDITATIO CCCXXX.

### Christus a mortuis redivivus apparet primo Mariæ Magdalenæ.

I. — Surgens autem mane, prima sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalenæ, de qua ejecerat septem dæmonia. (*Marc. XVI. 9.*)

Ei autem de qua ejecerat septem dæmonia, primo ostenditur : quia meretrices et publicani præcedent synagogam in regnum Dei, ut latro præcessit Apostolos. (*Hieronymus.*)

**Modus apparitionis hujus narratur a Joanne hunc in modum.**

II. — Hæc (*quæ versiculo 13 locuta est, in meditatione CCCXXIX.*) cum dixisset, conversa est retrorsum, et vidit Jesum stantem : et non sciebat quia Jesus est.

Dicit ei Jesus : Mulier, quid ploras? quem quæris? Illa existimans, quia hortulanus esset, dicit ei : Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum : et ego eum tollam. (*Joan. XX. 14, 15.*)

Sed quare ad Angelos loquens, et nondum ab eis aliquid audiens, convertitur retrorsum? Mihi videtur quod hæc ea dicente, Christus post eam apparuit, et Angeli considerantes Dominatorem, et figura et inspectione et motu confestim ostenderunt quoniam Dominum viderunt; et hoc est quod mulierem converti retrorsum fecit. (*Chrysostomus.*)

Sed quia amabat et dubitabat, videbat et non agnoscebat eum. (*Gregorius.*)

Angelis enim ut Dominator apparuit, mulieri vero non ita, ne eam ex prima visione stupefaceret : non enim oportebat eam repente ad excelsa reducere, sed paulatim. (*Chrysostomus.*)

Interrogatur doloris causa, ut augeatur



desiderium; quatenus cum nominaret quem quæreret, in amorem ejus ardentius æstuaret. (*Gregorius.*)

Et quia in communi figura apparuit, æstimavit eum hortulanum esse : unde sequitur : *Illa existimans*, etc. : hoc est si propter metum Judæorum levasti eum, dicito mihi et ego eum accipiam. (*Chrysostomus.*)

Timebat enim ne Judæi etiam in corpore sævirent exanime : et ideo volebat in alio loco incognito illud transponere. (*Theophyl.*)

Forsitan autem nec errando hæc mulier erravit, quæ Jesum hortulanum credidit. An non ei spiritualiter hortulanus erat, qui in ejus pectore, per amoris sui vim, semina virtutum virentia plantabat? (*Gregorius.*)

III. — Dicit ei Jesus : Maria. Conversa illa, dicit ei : Rabboni (quod dicitur Magister.)

Dicit ei Jesus : Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum : Vade autem ad fratres meos, et dic eis : Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum. (*Joan. XX. 16, 17.*)

Postquam autem eam Dominus communi vocabulo appellavit ex sexu, et agnitus non est, vocat ex nomine; ac si dicat : Recognosce eum a quo recognosceris. Maria ergo quæ vocabatur ex nomine, recognoscit

auctorem : quia et ipse erat qui quærebatur exterius et ipse qui eam interius, ut quæreret, docebat. (*Gregorius.*)

Qualiter autem *conversam* dicit, cum Christus ad eam loqueretur? Mihi videtur quod dicente ea : *ubi posuisti eum*, conversa est ad Angelos, ut interrogaret cur stupefacti essent. Deinde Christus vocans eam, convertit eam ad seipsum, et per vocem manifestum seipsum fecit. (*Chrysostomus.*)

Jam vero ab Evangelista non subditur quid mulier fecit, sed ex eo innuitur quod audivit, sequitur enim : *Dicit ei Jesus, Noli me tangere :* in his namque verbis ostenditur, quod Maria amplecti voluit ejus vestigia quem recognovit. Sed cur tangi non debeat ratio quoque additur. (*Augustinus.*)

Volebat hæc mulier adhuc cum Christo esse, sicut et ante passionem : et præ gaudio nihil magnum excogitabat : quamvis caro Christi multo melior facta fuerit resurgendo. Ab hac ergo intelligentia eam adducens, dixit, *Noli me tangere*, ut cum multa reverentia ei loquatur : unde nec discipulis apparet de reliquo cum eis conversans, ut reverentius ei attendant. Dicit autem, *nondum enim ascendi*, ostendens quoniam illuc properat et festinat. Eum autem qui illuc debet abire, et non ultra cum hominibus conversari, non oportebat eum eadem videre mente qua ante : et hoc manifestat consequenter dicens, *Vade autem*, etc.



IV. — Venit Maria Magdalene annuntians discipulis : Quia vidi Dominum, et hæc dixit mihi. (*Joan. XX. 18.*)

Illa vadens nuntiavit his qui cum eo fuerant, lugentibus et flentibus.

Et illi audientes quia viveret, et visus esset ab ea, non crediderunt. (*Marc. XVI. 10, 11.*)

Recte autem hæc mulier, quæ lætitiam dominicæ resurrectionis prima nuntiavit, a septem dæmonibus curata esse memoratur, ne quisquam digne pœnitens de admissorum venia desperaret, et ubi abundavit peccatum superabundasse et gratia monstraretur. (*Beda.*)

Flent et lugent qui nondum viderunt : sed non post multum consolabuntur : " Beati enim qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. (*Matth. V.*) (*Hieronymus.*)

## MEDITATIO CCCXXXI.

### Ceteris Magdalenæ comitibus apparet Christus in via.

I. — Ecce Jesus occurrit illis, dicens : Avete (*Matth. XXVIII. 9.*)

Quæ sic quærebant, quæ ita currebant, merebantur obviam habere Dominum resurgentem. (*Hieronymus.*)

Per hoc ostendit, se omnibus iter virtutum inchoantibus, ut ad salutem pervenire queant, adjuvando occurrere. (*Rabanus.*)

Primæ mulieres merentur audire, *Avete*, ut maledictum Evæ mulieris, in mulieribus solveretur. (*Hieronymus.*)

II. — Illæ autem accesserunt, et tenuerunt pedes ejus, et adoraverunt eum. (*Matth. XXVIII. 9.*)

Superius quidem dictum est, quia clauso surrexit monumento, ut immortale jam factum doceret esse corpus quod in monumento clausum fuerat mortuum; tenendos autem mulieribus tunc præbuit pedes, ut intimaret veram se carnem habere, quæ a mortalibus tangi posset. (*Rabanus.*)

III. — Tunc ait illis Jesus : Nolite timere : ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam ibi me videbunt. (*Matth. XXVIII. 10.*)

Et in veteri et in novo testamento hoc semper observandum est : quod quando aliqua augustior apparuerit visio, primum timor pellatur : ut sic mente placata, possint quæ dicuntur audiri. (*Hieronymus.*)

Vocat fratres quos corporis sui fecit esse germanos : vocat fratres quos benignus heres sibi præstitit coheredes : vocat fratres quos Patris sui adoptavit in filios. (*Chrysologus.*)



## MEDITATIO CCCXXXII.

**Duobus discipulis euntibus Emmauntem Christus ignotus sese jungit.**

I. — Post hæc autem duobus ex his ambulantibus ostensus est in alia effigie, euntibus in villam. (*Marc. XVI. 12.*)

Nemo putet Christum, sua resurrectione, sui vultus effigiem commutasse. Sed mutatur effigies dum efficitur ex mortali immortalis, ut hoc sit acquisivisse vultus gloriam, non vultus substantiam perdidisse. Duobus autem visus est, quia duobus populis, idest Gentibus et Judæis resurrectionis fides prædicanda monstratur. (*Severianus.*)

**Modum hujus apparitionis narrat Lucas hisce verbis.**

II. — Ecce duo ex illis ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Jerusalem, nomine Emmaus :

Et ipsi loquebantur ad invicem de his omnibus, quæ acciderant. (*Luc. XXIV. 13, 14.*)

Quidam alterum horum duorum Lucam inquiunt esse, et ob hoc suum nomen occultasse. (*Theophylactus.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Prædicti autem discipuli loquebantur de his ad invicem quæ acciderant; non quasi credentes, sed sicut stupentes in rebus extraneis. (*Theophylactus.*)

III. — Et factum est, dum fabularentur, et secum quærerent : et ipse Jesus appropinquans ibat cum illis :

Oculi autem illorum tenebantur ne eum agnoscerent. (*Luc. XXIV. 15, 16.*)

Loquentes autem de se Dominus appropinquans comitatur, ut et fidem resurrectionis mentibus eorum incendat, et quod se facturum promiserat, impleat; scilicet ut " Ubi sunt duo vel tres in nomine meo congregati, ibi sum in medio eorum. " (*Matth. XVIII.*) (*Beda.*)

*Oculi autem eorum tenebantur*, etc. Ut scilicet totam suam dubiam intentionem revelent, et vulnus detegentes, recipiant medicinam; et ut cognoscerent quod quamvis corpus ipsum quod passum fuerat resurrexerit, non tamen amplius tale erat ut esset omnibus visibile, sed tantum his a quibus vellet videri; et ut non dubitent quare de cetero non conversatur inter plebem : quia scilicet post resurrectionem conversatio ejus non esset digna hominibus, sed divina magis. Quod etiam est forma resurrectionis, in qua sicut Angeli conversabimur et filii Dei. (*Theophylactus.*)



## MEDITATIO CCCXXXIII.

### Christus quos sermones inter se conferant exquirit.

I. — Ait Jesus ad illos : Qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem ambulantes, et estis tristes?

Et respondens unus, cui nomen Cleophas, dixit ei : Tu solus peregrinus es in Jerusalem, et non cognovisti quæ facta sunt in illa, his diebus? (*Luc. XXIV. 17, 18.*)

De se ergo loquentibus, præsentiam exhibuit; sed de se dubitantibus, cognitionis suæ speciem abscondit : verba quidem eis consulit : *Et ait illis : Qui sunt hi sermones?* etc. (*Gregorius.*)

Conferebant quidem inter se, quasi non amplius exspectantes Christum viventem; sed dolorosi, quasi perempto Salvatore.

*Et respondens unus, cui nomen Cleophas*, etc. Hoc dicit, quia peregrinum putabant eum cujus vultum non agnoscebant. Sed revera peregrinus erat eis, a quorum naturæ fragilitate, percepta jam resurrectionis gloria, longe distabat, et quorum fide, utpote resurrectionis ejus nescia, manebat extraneus. (*Beda.*)

II. — Quibus ille dixit : Quæ? Et dixerunt : De Jesu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere, et sermone coram Deo, et omni populo.

Et quomodo eum tradiderunt summi sacerdotes, et principes nostri in damnationem mortis, et crucifixerunt eum :

Nos autem sperabamus quia ipse erat redempturus Israel : et nunc super hæc omnia, tertia dies est hodie quod hæc facta sunt. (*Luc. XXIV. 19, 20, 21.*)

Prophetam fatentur, Filium Dei tacent, vel nondum perfecte credentes; vel solliciti ne inciderent in manus Judæorum persequentium, quia nesciebant quis esset; vel quod verum credebant celantes : ad cujus commendationem sequitur : *potens in opere et sermone.* Primo quidem est opus, secundo sermo : nullus enim doctrinæ sermo approbatur, nisi prius is qui docet se ostendat actorem : præcedit enim opus adspectum. Nam nisi mundaveris intellectus speculum per opera, non emicat decor optatus. (*Theophylactus.*)

Deinde assignatur causa tristitiæ : *Et quomodo*, etc. Subditur autem desperantium vox : *Nos autem sperabamus*, inquiunt, non speramus, ac si mors Domini similis esset mortibus aliorum. (*Græcus.*)

Exspectabant enim Christum salvaturum



et redempturum populum Israel ab ingruentibus malis, et a servitute Romanorum : ipsum quoque credebant terrenum regem fieri, quem putabant promulgatam in se mortis sententiam cavere potuisse.

Videntur tamen hi viri non omnino incredduli esse, per hoc quod subditur : *et nunc*, etc. : in quo videntur habere memoriam ejus quod eis Dominus dixerat, se tertia die resurrecturum. (*Theophylactus.*)

III. — Sed et mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum.

Et non invento corpore ejus, venerunt dicentes se etiam visionem Angelorum vidisse, qui dicunt eum vivere.

Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum : et ita invenerunt sicut mulieres dixerunt, ipsum vero non invenerunt. (*Luc. XXIV. 22, 23, 24.*)

Dicunt quidem hoc quasi non credentes : propter quod referunt se territos, idest stupefactos : non enim quod erat eis relatum firmum æstimabant, aut angelicam illuminationem fuisse : sed stuporis et turbationis causam inde sumebant. Testimonium quoque Petri non certum æstimabant, dum diceret, se non vidisse Dominum, sed resurrectionem ejus conjicere ex eo quod corpus ipsius in sepulcro non jacebat. (*Græcus.*)

## MEDITATIO CCCXXXIV.

### Christus corripit incredulos atque instruit.

I. — Et ipse, Jesus, dixit ad eos : O stulti, et tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt prophetæ!

Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam! (*Luc. XXIV 25, 26.*)

Quia prædicti discipuli nimia dubietate laborabant, Dominus eos redarguit. Fere enim eadem dixerant quæ et adstantes cruci. (*Luc. XXII.*) " Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. "

*Tardi corde ad credendum.* Contingit enim credere quæ locuti sunt Prophetæ particulariter quædam et non universaliter omnia. Decet autem in omnibus fidem adhibere prophetis : tam in gloriosis quæ de Christo prædixerunt, quam ingloriosis : quia ex passione malorum est ingressus in gloriam : unde sequitur : *Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?* scilicet secundum humanitatem. (*Theophylactus.*)

II. — Et incipiens a Moyse, et omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant. (*Luc. XXIV. 27.*)



Postquam estis tardi, ego promptos vos reddam, mysteria Scripturarum vobis exponendo : nam sacrificium Abrahæ; cum Isaac dimisso immolatus est aries, hoc præfiguravit. Sed in aliis Scripturis propheticis sparsim jacent mysteria crucis et resurrectionis Christi.

Si autem Moyses et prophetæ de Christo locuti sunt, et eum per passionem in gloriam intraturum prædixerunt; quomodo gloriatur se esse Christianum qui neque qualiter Scripturæ ad Christum pertineant investigat, neque ad gloriam quam cum Christo habere cupit, per passionem attingere desiderat? (*Beda.*)

III. — Et appropinquaverunt castello quo ibant : et ipse se finxit longius ire.

Et coegerunt illum dicentes : Mane nobiscum, quoniam advesperascit, et inclinata est jam dies. Et intravit cum illis. (*Luc. XXIV. 28, 29.*)

Quia esse extranei a caritate non poterant hi cum quibus caritas gradiebatur, eum ad hospitium quasi peregrinum vocant : unde sequitur : *Et coegerunt illum* : ex quo exemplo colligitur, quia peregrini ad hospitium non solum invitandi sunt sed etiam trahendi. (*Gregorius.*)

Nec solum factis eum cogunt, sed etiam verbis inducunt. (*Glossa.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## MEDITATIO CCCXXXV.

**Christus agnoscitur in fractione panis.**

I. — Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, et benedixit, ac fregit, et porrigebat illis. (*Luc. XXIV. 30.*)

Mensam ponunt, cibos afferunt, et Deum quem in Scripturæ Sacræ expositione non cognoverant, in panis fractione cognoscunt. (*Gregorius.*)

II. — Et aperti sunt oculi eorum, et cognoverunt eum : et ipse evanuit ex oculis eorum. (*Luc. XXIV. 31.*)

Ubi voluit Dominus agnosci? in fractione panis. Securi sumus; panem frangimus et Dominum agnoscimus. Noluit agnosci nisi ibi, propter nos, qui non eum visuri eramus in carne, et tamen manducaturi ejus carnem. (*Augustinus, Sermo 140 de tempore.*)

Repetitoque itinere profecta est (Paula) Nicopolim quæ prius Emmaüs vocabatur, apud quam in fractione panis cognitus Dominus, Cleophæ domum in ecclesiam dedicavit. (*Hieronymus epist. 27, quæ est Epitaphium sanctæ Paulæ. Cap. III.*)

*Et ipse evanuit ex oculis eorum :* non enim tale corpus habebat ut diutius cum eis commorari deberet; ut ex hoc pariter augeret affectum eorum. (*Theophylactus.*)



III. — Et dixerunt ad invicem : Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas? (*Luc. XXIV. 32.*)

Per quod innuit, quod prolati sermones a Salvatore accendebant audientium cor ad amorem divinum. (*Origenes.*)

Ardebat ergo cor eorum; vel igne verborum Domini, quibus intendebant tamquam veris : vel quia eo disserente Scripturas, percellebatur intrinsecus cor eorum, quod ille qui disserebat Dominus esset. (*Theophylactus.*)

## MEDITATIO CCCXXXVI.

**Illi visionem suam narrant Apostolis et accipiunt ab his novam Simoni factam.**

I. — Et surgentes eadem hora regressi sunt in Jerusalem : et invenerunt congregatos undecim et eos qui cum illis erant. (*Luc. XXIV. 33.*)

Adeo ergo lætati sunt ut nullam moram passi, mox reversi sint in Hierusalem. Surrexerunt quidem eadem hora, pervenerunt autem per plures horas; sicut oportebat sexaginta stadia transeuntes. (*Theophylactus.*)

Jam autem fama erat quod surrexerat Jesus, a mulieribus facta, et a Simone Petro, cui jam apparuerat. Etenim isti duo, hæc invenerunt loquentes illos ad quos in Hierusalem venerunt. (*Augustinus.*)

II. — Dicentes : Quod surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni. (*Luc. XXIV. 34*)

Omnium enim virorum primo Dominus apparuisse videtur Petro, ex his quos Evangelistæ quatuor et Paulus Apostolus commemoraverunt (*Beda.*)

Non enim simul omnibus se manifestabat, ut sereret fidei semina : nam qui primo videbat et certus erat, aliis referebat : deinde sermo prodiens præparabat animum auditoris visioni : et ideo, primo digniori et fideliori omnibus apparuit : erat enim opus animæ fidelissimæ, quæ prius acciperet hunc aspectum, ut minime turbaretur inopinata visione; et ideo primo videtur a Petro : ut qui primo confessus est eum Christum, primo resurrectionem videre mereatur; et etiam, quia eum negaverat, prius ei voluit apparere consolans eum ne desperaret. (*Chrysostomus.*)

III. — Et ipsi narrabant quæ gesta erant in via : et quomodo cognoverunt eum in fractione panis. (*Luc. XXIV. 35.*)



Et illi euntes nuntiaverunt ceteris : nec illis crediderunt. (*Marc. XVI. 13.*)

Post Petrum vero aliis apparuit, quandoque paucioribus, quandoque pluribus : quod duo discipuli confitentur. (*Chrysostomus.*)

Quod autem ait Marcus : *Annuntiaverunt ceteris, nec illis crediderunt :* cum Lucas dicat, quod jam inde loquebantur vere resurrexisse Dominum : quid intelligendum est, nisi aliquos ibi fuisse qui hoc credere nollent?

## MEDITATIO CCCXXXVII.

### Eodem die Christus apparet vespere, stans in medio discipulorum.

I. — Cum sero esset die illo, una sabbatorum, et fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum :

Venit Jesus, et stetit in medio, et dixit eis : Pax vobis. (*Joan. XX. 19.*)

Ego sum, nolite timere. (*Luc. XXIV. 36.*)

In hoc infirmitas Apostolorum monstratur, qui foribus clausis intus congregati resident propter timorem Judæorum, quorum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

metu fuerant prius dispersi. Ideo autem sero apparuit Jesus, quia consequens erat tunc maxime eos timidos esse. (*Beda.*)

Vel quia præstolabatur ut omnes convenirent. Ostiis vero clausis, ut ostendat quia eodem modo resurrexit adjacente lapide super monumentum. (*Theophylactus.*)

Primo igitur Dominus in medio discipulorum stans, solito pacis affatu eorum turbinem sedat; ostendens quod ipse idem est Magister eorum, qui hoc verbo gaudebat, quo etiam eos munivit cum ad prædicandum misit. (*Theophylactus.*)

11. — Conturbati vero, et conterriti existimabant se spiritum videre.

Et dixit eis : Quid turbati estis, et cogitationes ascendunt in corda vestra?

Videte manus meas, et pedes, quia ego ipse sum : palpate, et videte : quia spiritus carnem, et ossa non habet, sicut me videtis habere. (*Luc. XXIV. 37, 38, 39.*)

Discipuli autem noverant Christum verum hominem, cum quo tanto tempore fuerant conversati : sed postquam mortuus est, non credunt tertia die potuisse veram carnem de sepulcro resurgere, putant ergo se videre spiritum quem emisit in passione. (*Beda.*)

Verum quia per verbum pacis non est sedatus turbo in animabus discipulorum, aliunde indicat eis se Filium Dei esse, qui



mentis cognoscebat arcana : *et dixit eis : Quid turbati estis*, etc. (*Theophylactus.*)

Quales utique cogitationes, nisi falsæ et perniciosæ? Perdidit enim Christus fructum passionis, si non esset veritas resurrectionis : tamquam si bonus agricola diceret : Quod ibi plantavi, inveniam; idest fidem, quæ in cor descendit quia desuper est? Cogitationes autem istæ non desuper descenderunt sed de imo in cor, sicut herba mala ascenderunt. (*Beda.*)

*Videte manus meas*, etc. Hoc autem fuit evidentissimum signum quod non alius est qui videtur, sed ille idem quem viderant in ligno mortuum et positum in sepulcro, quem non latebat aliquid eorum quæ erant in homine. (*Cyrillus.*)

Non enim in illa resurrectionis gloria corpus nostrum erit impalpabile, et ventis aereque subtilius, ut Eutychius dixit : sed subtile quidem per effectum spiritualis potentiæ, palpabile autem per veritatem naturæ. (*Gregorius.*)

111. — Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus, et pedes. (*Luc. XXIV. 40.*) (Et latus. *Joan. XX. 20.*)

Quibus scilicet (*manibus et pedibus*) indicata clavorum vestigia claruere : sed secundum Joannem etiam latus eis ostendit, cum fuerit lancea perforatum; ut scilicet ostensa



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

vulnerum cicatrice, dubietatis eorum vulnus sanaretur. (*Beda.*)

IV. — Gavisi sunt ergo discipuli viso Domino. (*Joan. XX. 20.*)

Et quia ante crucem eis dixerat : (*Joan. XVI.*) " Iterum videbo vos, et gaudebit cor vestrum ; " hoc opere impletur. (*Chrysostomus.*)

Claritas, qua justi fulgebant sicut sol in regno Patris sui, in Christi corpore, cum resurrexit, ab oculis discipulorum, potius abscondita fuisse quam defuisse credenda est; non enim eam ferret humanus atque infirmus adspectus; quando ille a suis ita deberet ostendi ut posset agnosci. (*Augustinus.*)

## MEDITATIO CCCXXXVIII.

### Christus ab eis petit cibum et manducat.

I. — Adhuc autem illis non credentibus et mirantibus præ gaudio, dixit : Habetis hic aliquid, quod manducetur? (*Luc. XXIV. 41.*)

Ostenderat Dominus discipulis manus et pedes; ut certificaret discipulos, quod corpus quod passum fuerat, resurrexit. Ut autem magis certificaret, aliquid manducabile petiit. (*Cyrillus.*)



II. — At illi obtulerunt ei partem piscis assi, et favum mellis. (*Luc. XXIV. 42.*)

Ad insinuandum ergo resurrectionis suæ veritatem. Non solum tangi a discipulis, sed etiam convesci cum illis dignatur, ne arbitrentur eum non solide, sed imaginabiliter sibi apparere. (*Beda.*)

Mystice autem piscis assus quem Christus comedit, significat Christum passum : ipse enim latere dignatus est in aquis generis humani : capi voluit laqueo mortis nostræ : et quasi tribulatione assatus est tempore passionis suæ ; sed favus mellis nobis exstitit in resurrectione. In favo quidem mellis utramque naturam exprimere voluit personæ suæ. Favus quippe mellis in cera est : mel vero in cera, est divinitas in humanitate. (*Beda.*)

III. — Et cum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis. (*Luc. XXIV. 43.*)

Si damus Dominum vere comedisse, demus et omnes homines post resurrectionem uti ciborum fomentis? Sed quæ ex quadam dispensatione fiunt a Salvatore, non sunt regula et norma naturæ : quoniam in quibusdam aliis dispensavit. Resuscitabit enim

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nostra corpora incorrupta, qui tamen dereliquit proprii corporis foramina quæ clavi foraverunt, et lateris cicatricem : ut ostendat quod mansit post resurrectionem natura corporis, nec est in aliam mutatus substantiam. (*Græcus.*)

## MEDITATIO CCCXXXIX.

**Christus impertit eis Spiritum sanctum et potestatem facit remittendi peccata.**

I. — Dixit ergo eis iterum : Pax vobis. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. (*Joan. XX. 21.*)

Idest ea caritate vos diligo, cum inter scandalum persecutorum mitto, qua me caritate Pater diligit, quem venire ad tolerandas passiones fecit. (*Gregorius.*)

II. — Hæc cum dixisset, insufflavit : et dixit eis : Accipite Spiritum sanctum. (*Joan. XX. 22.*)

Sic igitur elevavit eorum animas, et ab his quæ facta sunt et a dignitate mittentis; et non adhuc deprecatio ad Patrem fit; sed sua auctoritate dat eis virtutem. (*Chrysost.*)

Flatus ergo ille corporeus substantia Spiritus sancti non fuit, sed demonstratio per congruam significationem, non tantum a



Patre, sed etiam a Filio procedere Spiritum sanctum. Quis enim dementissimus diceret; alium fuisse Spiritum quem sufflans dedit, et alium quem post ascensionem suam misit? (*Augustinus.*)

III. — Quorum remiseritis peccata; remittuntur eis : et quorum retinueritis, retenta sunt. (*Joan. XX. 23.*)

Sciendum vero est, quod hi qui prius Spiritum sanctum habuerunt, ut et ipsi innocenter viverent, et in prædicatione quibusdam prodessent; idcirco hunc post resurrectionem Domini patenter acceperunt, ut prodesse non paucis, sed pluribus possent. Libet ergo intueri; illi discipuli ad tanta onera humilitatis vocati, ad quantum culmen gloriæ sint perducti. Ecce non solum ac seipsis securi fiunt, sed etiam principatum superni judicii sortiuntur; ut vice Dei, quibusdam peccata retineant, quibusdam vero ralaxent. (*Gregorius.*)

## MEDITATIO CCCXL.

**Thomæ tum, cum discipulis apparuit Christus absentis, summa incredulitas.**

I. — Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cum eis, quando venit Jesus. (*Joan. XX. 24.*)

Quæri autem potest quare hic Evangelista tunc Thomam defuisse dicat; cum Lucas scribat, quod duo discipuli euntes in Emmaus reversi in Hierusalem invenerunt undecim congregatos. Sed datur intelligi fuisse quoddam intervallum, quo ad horam Thomas egressus sit, et Jesus veniens in medio eorum stetit. (*Beda.*)

II. — Dixerunt ergo ei alii discipuli : Vidimus Dominum. (*Joan. XX. 25.*)

Non autem casu gestum est ut electus ille discipulus tunc deesset : egit namque miro modo superna clementia, ut discipulus dubitans, dum in magistro suo vulnera palparet carnis, in nobis vulnera sanaret infirmitatis. Plus enim nobis infidelitas Thomæ ad fidem, quam fides credentium discipulorum profuit : quia dum ille ad fidem palpando reducitur, nostra mens omni dubitatione postposita in fide solidatur. (*Gregor.*)

III. — Ille autem dixit eis : Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam. (*Joan. XX. 25.*)

Sicut autem simpliciter et qualitercumque credere, facilitatis est : ita multum investigare est crassissimæ mentis, et propter hoc Thomas accusatur : Apostolis enim dicentibus, quoniam *vidimus Dominum*, non credidit, non tantum illis discredens; quantum rem putans impossibilem esse.



Aliis enim crassior exsistens, eam quæ est per sensum crassissimum, scilicet tactum quærebat fidem, et neque oculis credebat. (*Chrysostomus.*)

## MEDITATIO CCCXLI.

### Thomas post octiduum primum reducitur ad fidem.

I. — Et post dies octo, iterum erant discipuli ejus intus : et Thomas cum eis. Venit Jesus januis clausis, et stetit in medio, et dixit : Pax vobis. (*Joan. XX. 26.*)

Considera dominatoris clementiam : qualiter et pro anima una ostendit seipsum vulnera habentem, et accedit ut salvet unum. Non autem statim ei apparet, sed post dies octo; ut in medio a discipulis admonitus accendatur in majus desiderium, et fidelior fieret in futurum. (*Chrysostomus.*)

Quæris a me et dicis : Si per ostia clausa intravit, ubi est corporis modus? Et ego respondeo : Si super mare ambulavit, ubi

est corporis pondus? Sed fecit illud Dominus tamquam Dominus : numquid igitur, quia resurrexit, destitit esse Dominus. (*August.*)

II. — Deinde dicit Thomæ : Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum : et noli esse incredulus, sed fidelis.

Respondit Thomas et dixit ei : Dominus meus, et Deus meus.

Stat itaque Jesus et non exspectat a Thoma interrogari : sed ut ostendat quoniam cum loquebatur ad condiscipulos aderat, eisdem verbis usus est.

Dignum autem est quærere qualiter corpus incorruptibile typos habebat clavorum. Sed ne tumultueris : condescensionis enim erat, ut discerent quoniam ipse erat qui crucifixus fuerat. (*Chrysostomus.*)

Qui prius infidelis fuerat, post lateris tactum, optimum se theologum ostendit : nam duplicem naturam unicamque hypostasim Christi edisseruit : dicendo enim, *Dominus meus*, humanam naturam : dicendo vero, *Deus meus*, divinam confessus est, et unum eumdem Deum et Dominum. (*Theophylactus.*)

III. — Dixit ei Jesus : Quia vidisti me Thoma, credidisti : beati, qui non viderunt, et crediderunt. (*Joan. XX. 29.*)



Sed cum Apostolus dicat : (*Hebr. XI.*) " Fides est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium " : profecto liquet quia quæ apparent, jam fidem non habent, sed agnitionem. Dum ergo vidit Thomas, dum palpavit, cur ei dicitur : *Quia vidisti me, credidisti?* Sed aliud vidit aliud credidit : hominem vidit et Deum confessus est.

Lætificat autem valde quod sequitur : *Beati qui non viderunt, et crediderunt :* in qua sententia nos specialiter significati sumus, qui eum quem carne non vidimus mente retinemus : si tamen fidem nostram operibus sequimur : ille enim vere credit qui exercet operando quod credit. (*Gregorius.*)

## MEDITATIO CCCXLII.

### Christus apparet discipulis piscantibus.

I. — Postea manifestavit se iterum Jesus discipulis ad mare Tiberiadis. Manifestavit autem sic :

Erant simul Simon Petrus, et Thomas qui dicitur Didymus, et Nathanael, qui erat a Cana Galilææ, et filii Zebedæi et alii ex discipulis ejus duo. (*Joan. XXI. 1, 2.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Dicit autem *Postea*, quia non continue cum eis ambulabat, ut antea. Dicit etiam *manifestavit se*, quia non videretur nisi condescenderet : quia incorruptibile erat corpus. (*Chrysostomus.*)

More autem solito, Evangelista prius retulit causam, deinde quemadmodum res gesta sit enarrat. (*Beda.*)

Quia vero neque Dominus cum eis continue erat, neque Spiritus datus erat, neque aliquid tunc erat eis commissum, neque aliquid habebant agere, artem piscatoriam tractabant. (*Chrysostomus.*)

II. — Dicit eis Simon Petrus : Vado piscari. Dicunt ei : Venimus et nos tecum. Et exierunt, et ascenderunt in navim : et illa nocte nihil prendiderunt. (*Joan. XX. 3.*)

Alii autem discipuli sequebantur Petrum : colligati enim de reliquo sibi invicem erant.

Simul volebant piscationem videre. In nocte autem piscabantur, quia adhuc formidolosi erant. (*Chrysostomus.*)

Facta est autem discipulis piscationis magna difficultas, ut veniente magistro fieret admirationis magna sublimitas. (*Gregorius.*)

III. — Mane autem facto stetit Jesus in littore : non tamen cognoverunt discipuli quia Jesus est. (*Joan. XXI. 4.*)



Laborantibus autem et afflictis discipulis adstitit Jesus. Non enim seipsum mox eis ostendit, sed voluit et allocutionem cum eis inire : et primo loquitur eis humanius. (*Chrysostomus.*)

## MEDITATIO CCCXLIII.

### Christus illis facit vim copiam ingentem piscium capiendi.

I. — Dixit ergo eis Jesus : Pueri numquid pulmentarium habetis? Responderunt ei : Non. (*Joan. XXI. 5.*)

Hoc autem dicit, quasi ab eis aliquid emere vellet. (*Chrysostomus.*)

II. — Dicit eis : Mittite in dexteram navigii rete : et invenietis. (*Joan. XXI. 6.*(

In alia piscatione non mittuntur retia in dexteram, ne solos significent bonos; nec in sinistram, ne solos malos : sed indifferenter, " Laxate, inquit, (*Luc. V.*) retia vestra in capturam " : ut permixtos intelligamus bonos et malos. Hic autem, *Mittite*, inquit, *in dexteram navigii rete*, ut significaret eos qui stabant ad dexteram solos bonos. Illud fecit initio prædicationis suæ, hoc post resurrectionem suam : hinc ostendens, illam capturam piscium bonos et malos, significare

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quos nunc habet Ecclesia : istam vero tantummodo bonos quos habebit in æternum, completa in fine hujus sæculi resurrectione mortuorum. (*Augustinus.*)

III. — Miserunt ergo : et jam non valebant illud trahere præ multitudine piscium. (*Joan. XXI. 6.*)

*Miserunt ergo.* Multa autem consequenter facta sunt : quorum primum est multos pisces comprehensos. (*Chrysostomus.*)

## MEDITATIO CCCXLIV.

### Christus in captura piscium agnoscitur.

I. — Dixit ergo discipulus ille, quem diligebat Jesus, Petro : Dominus est. (*Joan. XXI. 7.*)

Sed et in Christi cognitione, Petrus et Joannes suos proprios modos ostenderunt. Joannes enim perspicacior erat : et ideo primo cognovit Christum. (*Chrysostomus.*)

*Dixit ergo discipulus ille, etc.* Hoc indicio sicut sæpe, ita et hic suam demonstrat personam. Cognovit autem primus Dominum, sive miraculo istius piscationis, sive sono præcognitæ vocis, sive primæ reminiscens piscationis. (*Beda.*)



II. — Simon Petrus cum audisset quia Dominus est, tunica succinxit se (erat enim nudus) et misit se in mare. (*Joan. XXI. 7.*)

Perspicatior quidem erat Joannes magnitudine puritatis. Petrus vero ferventior vehementia amoris. Ideo agnoscit eum Joannes ante Petrum, sed egreditur ad eum Petrus ante Joannem. (*Euthymius.*)

Eodem autem ardore quo et multa alia facerat, venit ad Jesum; non tamen intelligendum est Petrum super fluctus venisse, sed aut natando, aut pedibus propriis, quia erant prope terram. (*Beda.*)

III. — Alii autem discipuli navigio venerunt (non enim longe erant a terra, sed quasi cubitis ducentis) trahentes rete piscium. (*Joan. XXI. 8.*)

Gravius enim erat (*rete*) quam ut in cymbam posset sustolli. (*Menochius.*)

## MEDITATIO CCCXLV.

### Christus prandium parat et sumit cum discipulis suis.

I. — Ut ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas, et piscem superpositum et panem.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Dicit eis Jesus : Afferte de piscibus quos prendidistis nunc.

Ascendit Simon Petrus et traxit rete in terram, plenum magnis piscibus centum quadraginta tribus. Et cum tanti essent non est scissum rete. (*Joan. XXI. 9, 10, 11.*)

Primum quidem Christum se illis propria specie offerentem salutaverunt et venerati sunt : juxta autem illum *viderunt prunas*, id est ignem ex carbonibus; *piscem superpositum* prunis ut assaretur, *et panem*. Hæc suis paraverat Christus. (*Menochius.*)

Ecce aliud signum ponitur : non enim adhuc ex materia superposita operatur, sed ad id quod est mirabilius ducit signa; ostendens quoniam et ex subjecta materia ante crucem miracula faciebat propter quamdam dispensationem. (*Chrysostomus.*)

Ut autem ostenderet non esse phantasma quod factum est, jubet ex piscibus ab eis captis afferi. Deinde et aliud signum fuit, quod ex multitudine piscium rete non est scissum. (*Chrysostomus.*)

II. — Dicit eis Jesus : Venite, prandete. Et nemo audebat discumbentium interrogare eum : Tu quis es? scientes, quia Dominus est. (*Joan. XXI. 12.*)

Hoc dicit quia de reliquo non similiter confidebant ei loqui ut prius : sed cum



silentio et reverentia multa sedebant attendentes in eum : et formam quidem alteratam videntes, et multa admiratione plenam, valde stupefacti nolebant interrogare.

Sed formido, in hoc quod sciebant quod Dominus est, detinebat interrogationem : et solum comedebant quæ eis dabat cum priori potestate. (*Chrysostomus.*)

III. — Et venit Jesus et accipit panem, et dat eis, et piscem similiter.

Hoc jam tertio manifestatus est Jesus discipulis suis cum resurrexisset a mortuis. (*Joan. XXI. 13, 14.*)

Hic autem non respicit in cœlum, neque humana illa facit, ostendens quoniam condescensionis gratia fiebat.

Quia vero non continuo cum eis conversabatur, neque similiter ut prius, subdit Evangelista dicens : *Hoc jam tertio, etc.* (*Chrysostomus.*)

Quod non ad ipsas demonstrationes, sed ad dies referre debemus; idest, primo die cum resurrexisset, et post octo, quando Thomas vidit et credidit, et hoc die quando hoc de piscibus fecit, et deinde quoties voluit, usque ad diem quadragesimum quo ascendit in cœlum. (*Augustinus.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## MEDITATIO CCCXLVI.

**Christus Petro suas oves committit.**

I. — Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Jesus : Simon Joannis diligis me plus his? Dicit ei : Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei : Pasce agnos meos. (*Joan. XXI. 15.*)

Sciens Dominus interrogat : sciebat enim Dominus quod non solum eum diligeret, verum etiam quod plus omnibus diligeret eum Petrus. (*Augustinus.*)

Dum autem Dominus moreretur timuit et negavit : resurgens autem Dominus amorem inseruit, timorem fugavit : nam quando negavit mori timuit : resurgente Domino quid timeret in quo mortem mortuam reperiret. Confitenti autem amorem suum oves suas commendavit : *Dicit ei : Pasce agnos meos :* tamquam non esset ubi ostenderet Petrus amorem suum in Christum, nisi esset Pastor fidelis sub principe omnium pastorum. (*Aug.*)

II. — Dicit ei iterum : Simon Joannis, diligis me? Ait illi : Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei : Pasce agnos meos. (*Joan. XXI. 16.*)

Quod enim maxime omnium tribuit nobis ea quæ desuper est benevolentia, est proximorum procuratio. Præteriens autem Dominus alios, Petro de talibus loquitur : eximius



enim Apostolorum erat Petrus et os discipulorum, et vertex collegii : unde et negatione deleta, committit ei prælationem fratrum. Et negationem quidem ei non exprobrat, sed dicit : Si diligis me, præside fratribus, et ferventem amorem quem per omnia demonstrasti, nunc ostende : et animam quam dixisti te esse posturum pro me, hanc da pro ovibus meis. (*Chrysostomus.*)

III. — Dicit ei tertio : Simon Joannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei, amas me? et dixit ei : Domine tu omnia nosti : tu scis quia amo te. Dixit ei : Pasce oves meas. (*Joan. XXI. 17.*)

Tertio, utrum Petrus eum diligat, Dominus interrogat. Redditur enim negationi trinæ trina confessio : ne minus amori lingua serviat quam timori, et plus vocis elicuisse videatur mors imminens, quam vita præsens. (*August.*)

Tertio interrogatus conturbatus est rursus formidans priora; ne forte æstimans se diligere, si non diligat corripiatur, sicut et prius correptus est, multum se æstimans fortem : unde ad Christum refugit : et dicit ei : *Domine tu omnia nosti*, idest ineffabilia cordis, præsentia et futura. (*Chrysostomus.*)

Sequitur : *Dixit ei : Pasce oves meas.* Sit amoris officium pascere dominicum gregem, sicut fuit timoris indicium negare pastorem. (*Augustinus.*)

## MEDITATIO CCCXLVII.

**Christus Petro prædicit genus mortis.**

I. — Amen, amen dico tibi : Cum esses junior, cingebas te et ambulabas ubi volebas : Cum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet quo tu non vis. (*Joan. XX. 18.*)

Cum dixisset Petro Dominus de amore quem habebat ad ipsum, prænuntiat ei martyrium quod pro ipso debebat sustinere : erudire nos volens quomodo eum amare oportet. Quia ergo Petrus semper volebat in periculis esse cum Christo, dicit ei : Confide : ita implebo tuum desiderium, ut quæ passus non es juvenis exsistens, oporteat te pati senem. (*Chrysostomus.*)

*Cum senueris, extendes manus tuas.* Hoc est, crucifigeris. Ad hoc autem ut venias, *alius te cinget, et ducet quo tu non vis.* Prius dixit quod fieret et deinde quomodo fieret : non enim crucifixus, sed crucifigendus quo nollet est ductus. Solutus quippe a corpore esse volebat cum Christo : sed, si fieri posset præter mortis molestiam, vitam concupiscebat æternam : ad quam molestiam nolens venit. (*Augustinus.*)

II. — Hoc autem dixit significans qua morte clarificaturus esset Deum. (*Joan. XXI. 19.*)



Non dixit moriturus esset; ut discas quoniam pati pro Christo, gloria est patientis et honor.

Nisi autem certificaretur animus quia verus Deus est, minime ejus intuitu mortem toleraret : quo fit ut sanctorum mors divinæ sit gloriæ certitudo. (*Chrysostomus.*)

III. — Et cum hoc dixisset, dicit ei : Sequere me. (*Joan. XXI. 19.*)

Cur dicitur Petro, *Sequere me*, nec dicitur ceteris qui simul aderant, qui eum sicut magistrum discipuli sequebantur? Sed si ad passionem intelligendum est, numquid solus pro christiana veritate passus est Petrus? Nonne ibi erat Jacobus, qui ab Herode manifestatur occisus? Verum aliquis dixerit, quoniam non est Jacobus crucifixus, merito dictum est Petro, *Sequere me*, qui non solum mortem, sed et mortem crucis sicut Christus expertus est. (*Augustinus.*)

## MEDITATIO CCCXLVIII.

**Christus Petrum curiosius de Joanne quærentem corripit.**

I. — Conversus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Jesus, sequentem, qui et recubuit in cœna super pectus

ejus, et dixit : Domine quis est qui tradet te?

Hunc ergo cum vidisset Petrus, dixit Jesu : Domine hic autem quid? (*Joan. XXI. 20, 21.*)

Apparet Petrum, cum hæc dixit, sequi cœpisse Christum per littus progredientem, cumque respexisset, vidisse Joannem etiam ipsum pene sequentem. (*Menochius.*)

Seipsum dicit *discipulum quem diligebat Jesus*; quia ipsum præ ceteris et familiarius diligebat, ita ut in convivio super pectus suum discumbere faceret. Credo, ut istius Evangelii quod per eum fuerat prædicaturus, divinam excellentiam hoc modo altius commendaret. Sunt qui senserint, et hi non contemptibiles sacri eloquii tractores, a Christo Joannem propterea plus amatum qui ab ineunte pueritia castissimus vixerit. (*August.*)

*Domine hic autem quid?* Passurus, aut facturus? quem habebit vitæ exitum? (*Menochius.*)

Non sine causa recolit illam accubationem; sed ut ostendat, quantam Petrus habebat fiduciam post negationem. Qui enim in cœna non audebat interrogare, sed Joanni interrogationem commisit; hinc et præpositura fratrum credita est, et non solum non committit alteri interrogare quæ ad ipsum pertinent, sed de reliquo ipse pro aliis Magistrum interrogat. (*Chrysostomus.*)



II. — Dicit ei Jesus : Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere. (*Joan. XXI. 22.*)

Tu me sequere per imitationem perferendi temporalia mala : ille maneat donec sempiterna venio redditurus bona : quod apertius dici potest : Perfecta me sequatur actio informata meæ passionis exemplo; inchoata vero contemplatio maneat donec venio, perficienda cum venero. Quod non sic intelligendum est, quasi dixerit remanere vel permanere, sed exspectare : quoniam quod per eum significatur, cum venerit Christus implebitur. (*Augustinus.*)

Vel aliter : *Sic eum volo manere*, id est, nolo eum per martyrium consummare; sed exspectare eum in placidam absolutionem carnis suæ, quando ego veniens recipiam eum in æterna beatitudine. (*Glossa.*)

III. — Exivit ergo sermo iste inter fratres quia discipulus ille non moritur. Et non dixit ei Jesus : Non moritur, sed : Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? (*Joan. XXI. 23.*)

Quis facile aliud esse credat quam quod fratres crediderunt qui tunc erant? Sed hanc opinionem Joannes ipse abstulit. (*Augustinus.*)

—✻—

## MEDITATIO CCCXLIX.

### Christus in monte Galilææ discipulis suis se ostendit.

I. — Undecim autem discipuli abierunt in Galilæam in montem, ubi constituerat illis Jesus.

Et videntes eum adoraverunt : quidam autem dubitaverunt. (*Matth. XXVIII. 16, 17.*)

Nam pergens Dominus ad passionem, ait discipulis : (*Matth. XXVI.*) " Postquam surrexero præcedam vos in Galilæam." Angelus quoque mulieribus ait : (*Marc. XVI.*) " Dicite discipulis ejus, quia præcedet vos in Galilæam. " Quapropter jussioni Magistri obedientia discipulorum obsequitur. Recte autem undecim discipuli ad adorandum pergant : jam enim unus perierat, qui Dominum ac Magistrum suum tradiderat. (*Beda.*)

Post resurrectionem ergo Jesus in Galilæa conspicitur, ibique adoratur : licet quidam dubitent, et dubitatio eorum nostram augeat fidem. (*Hieronymus.*)

II. — Et accedens Jesus locutus est eis, dicens : Data est mihi omnis potestas in cœlo, et in terra. (*Matth. XXVIII. 18.*)



Illi autem potestas data est, qui paulo ante crucifixus, qui sepultus in tumulo, qui postea resurrexit. In cœlo autem et in terra potestas data est ; ut qui ante regnabat in cœlo, per fidem credentium regnet in terris. (*Hieronymus.*)

Quod ergo Psalmista de resurgente Domino dicit : (*Psal. VIII.*) " Constituisti eum super opera manuum tuarum " hoc nunc Dominus dicit. Et hic sciendum, quia antequam Dominus surrexisset a mortuis noverunt Angeli se subjectos homini Christo. (*Remigius.*)

III. — Euntes ergo docete omnes gentes : baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti :

Docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis : et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi. (*Matth. XXVIII. 19, 20.*)

Volens ergo Christus, etiam homini, notum fieri quod data esset sibi omnis potestas in cœlo et in terra, prædicatores misit, qui verbum vitæ cunctis nationibus prædicarent. (*Remigius.*)

Primum ergo docent omnes gentes, deinde doctas intingunt in aqua : non enim potest fieri ut corpus baptismi recipiat sacramentum, nisi ante anima fidei susceperit verita-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tem. *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti :* ut quorum est una divinitas, sit una largitio, nomenque Trinitatis unus Deus. (*Hieronymus.*)

Omnes ergo gentes potestas una eademque recreat ad salutem, quas creavit ad vitam. (*Severianus.*)

Jussit Apostolos ut primum docerent universas gentes, deinde fidei tingerent sacramento, et post fidem ac baptisma, quæ essent observanda præciperent. (*Hieronymus.*)

Quia sicut corpus sine spiritu mortuum est : ita fides sine operibus mortua est. (*Rabanus.*)

Ne dicatis difficile esse injunctum negotium; ego sum vobiscum, qui omnia facio levia. Non autem cum illis solum dixit se futurum esse, sed et cum omnibus qui post illos credant : non enim usque ad consummationem sæculi Apostoli mansuri erant : sed sicut uni corpori fidelibus loquitur. (*Chrysostomus.*)

## MEDITATIO CCCL.

### Christus aperit discipulis suis sensum ad intelligendas Scripturas.

1. — Dixit Jesus ad eos : Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cum



adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, et Prophetis et Psalmis de me. (*Luc. XXIV. 44.*)

Postquam autem visus est, tactus est et manducavit; ne in aliquo sensus humanos ludificasse videretur, misit manus ad Scripturas.

*Et dixit ad eos :* etc. *cum adhuc essem vobiscum :* idest cum adhuc essem in carne mortali, in qua estis et vos : tunc quidem in eadem carne resuscitatus erat, sed cum illis in eadem mortalitate non erat. (*Beda.*)

II. — Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas.

Et dixit eis : Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die.

Et prædicari in nomine ejus pœnitentiam, et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerosolyma. (*Luc. XXIV. 45, 46, 47.*)

*Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas.* Alioquin quomodo eorum anima turbata et vacillans, circa Christi mysterium studuisset? Sed et verbis eos docuit, *Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati,* scilicet per lignum crucis. (*Theophylactus.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Perdidit autem Christus fructum Passionis, si non esset veritas resurrectionis : unde subdit : *et resurgere a mortuis die tertia.*

Deinde post commendatam sui corporis veritatem, commendat Ecclesiæ unitatem. (*Beda.*)

Non autem docebat amplius bipartitum esse humanum genus in Judæos et Gentiles : et ideo ut omnes in unum uniret, mandavit incipere sermonem a Hierusalem et ad Gentes terminari. (*Theophylactus.*)

Insuper ne dicerent aliqui, quod omissis notis iverunt se ostentaturos ad extraneos; ideo prius apud ipsos occisores pandunt resurrectionis signa, in eadem civitate in qua prorupit temerarius ausus. Ubi enim crucifixores credere videntur, resurrectio plurimum demonstratur. (*Chrysostomus.*)

III. — Vos autem testes estis horum.

Et ego mitto promissum Patris mei in vos : vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto. (*Luc. XXIV. 48, 49.*)

Consequenter ne turbati cogitarent : quomodo nos homines idiotæ testimonium perhibebimus Gentibus et Judæis, qui te occiderunt? subjunxit : *Et ego mitto*, etc. (*Theophylactus.*)

Sicut autem milites invasuros multos nemo dux exire sinit donec armati sint : sic et discipulos ante Spiritus descensum, ad conflictum egredi non permittit. (*Chrysostomus.*)



## MEDITATIO CCCLI.

### Novissima Christi apparitio.

I. — Novissime recumbentibus illis undecim apparuit : et exprobravit incredulitatem eorum et duritiam cordis : quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. (*Marc. XVI. 14.*)

Quomodo autem novissime hoc factum est? Illud accipiamus; post multas demonstrationes ejus, eum novissime recumbentibus undecim apparuisse, idest ipsa quadragesima die. Et quoniam jam erat ab eis ascensurus in cœlum, hoc eis illo die magis exprobrare voluisse, quia his qui audierant eum resurrexisse, non crediderant, antequam ipsi eum viderunt : cum utique post ascensionem suam, prædicantibus Evangelium, etiam Gentes quæ non viderunt fuerant credituræ. (*Augustinus.*)

II. — Et dixit eis : Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ.

Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit : qui vero non crediderit condemnabitur. (*Marc. XVI. 15, 16.*)

Hoc ergo prædicaturi, nonne ipsi primitus fuerant objurgandi, qui antequam Dominum vidissent, non crediderunt eis quibus prius apparuisset. (*Augustinus.*)

Omnis creaturæ nomine significatur homo : omnis enim creaturæ aliquid habet homo. Potest etiam omnis creaturæ nomine omnis natio Gentium designari : ante enim dictum fuerat : (*Matth. X.*) " In viam Gentium ne abieritis " nunc autem dicitur : *prædicate Evangelium omni creaturæ.* (*Gregorius.*)

III. — Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur : in nomine meo dæmonia ejicient : linguis loquentur novis : Serpentes tollent : et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit : super ægros manus imponent, et bene habebunt. (*Marc. XVI. 17, 18.*)

Sancta Ecclesia quotidie spiritualiter facit quod tunc per Apostolos corporaliter faciebat : nam sacerdotes ejus cum per exorcismi gratiam, manum credentibus imponunt, et habitare malignos spiritus in eorum mentibus contradicunt, quid aliud faciunt, nisi dæmonia ejiciunt? Et fideles quippe,



qui jam sæcularia verba derelinquunt, sancta autem mysteria insonant, linguis loquuntur novis : qui dum bonis suis exhortationibus malitiam de alienis cordibus auferunt, serpentes tollunt : et dum pestiferas suasiones audiunt, sed tamen ad operationem pravam minime pertrahuntur, mortiferum est quod bibunt, sed non eis nocebit : qui, quoties proximos suos in bono opere infirmari conspiciunt, dum exemplo suæ operationis illorum vitam roborant, super ægros manus imponunt ut bene habeant. Quæ nimirum miracula tanto majora sunt quanto spiritualia, et quanto per hæc non corpora, sed animæ suscitantur. (*Gregorius.*)

## MEDITATIO CCCLII.

### Gloriosissima Christi in cœlum ascensio.

I. — Et Dominus quidem Jesus, postquam locutus est eis, (*Marc. XVI. 19.*) eduxit eos foras in Bethaniam : et elevatis manibus suis benedixit eis. (*Luc. XXIV. 50.*)

Eos benedicit, quibus præceptum docendi tradiderat. (*Beda.*)

Forsan vim conservativam influens eis usque ad adventum Spiritus : et fortassis instruens nos, ut quoties recedimus, bene-

dictionibus subditos Deo commendemus. (*Theophylactus.*)

Quod autem *elevatis manibus benedixit eis*, significat quod deceat benedicentem cuiquam ornatum esse variis operibus et arduis respectu aliorum : sic enim manus tolluntur in altum. (*Theophylactus.*)

II. — Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, et ferebatur in cœlum. (*Luc. XXIV. 51.*)

Assumptus est in cœlum et sedet a dextris Dei. (*Marc. XVI. 19.*)

Attende autem, quod Dominus, bravia repromissa adspectui subjicit. Promiserat quidem corporum resurrectionem : a mortuis resurrexit, et per quadraginta dies discipulos certificat. Promittitur etiam, quod in nubibus rapiemur in aera, et hoc ipse patefecit per opera.

Sed dices : quid interest mea? Quia et tu in nubibus suscipieris similiter : nam corpus tuum connaturale est illi corpori. Erit igitur et corpus tuum tam agile ut possit transire per aera : nam sicut caput, sic corpus : sicut principium, sic et finis.

Adspice autem quomodo honoratus es per hoc principium. Infima pars rationalis creaturæ homo erat : sed pedes effecti sunt caput, sublimati in regiam sedem in suo capite. (*Chrysostomus.*)



III. — Et ipsi adorantes regressi sunt in Jerusalem cum gaudio magno :

Et erant semper in templo, laudantes, et benedicentes Deum. (*Luc. XXIV 52, 53.*)

Illi autem profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis. (*Marc. XVI. 20.*)

Ascendente autem in cœlum Domino, discipuli adorantes ubi steterunt novissime pedes ejus, confestim Hierosolymam redeunt ubi promissionem Patris sunt exspectare præcepti. Gaudia magna agunt, quia Deum ac Dominum suum, post triumphum resurrectionis, etiam cœlos penetrasse lætantur. (*Beda.*)

Nondum aderat Spiritus, et jam spiritualiter conversantur : prius erant reclusi, jam stant in medio principum sacerdotum, nec aliquo distrahuntur mundano, sed omnibus contemptis jugiter Deum laudant. (*Theophylactus.*)

*Illi autem profecti*, etc. Quid autem in his considerandum est, nisi quod præceptum obedientia, obedientiam vero signa secuta sunt? (*Gregorius.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## MEDITATIO CCCLIII.

### Anacæphalesus apparitionum Christi ex Actibus Apostolorum.

I. — Primum quidem sermonem feci de omnibus o Theophile, quæ cœpit Jesus facere et docere.

Usque in diem, qua præcipiens Apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est. (*Act. I. 1, 2.*)

Illud autem præceptum potissimum intelligit, quod habemus : (Marci ultimo, 15.) " Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium " etc. Quasi dicat : Cum præcepisset Apostolis, qui a Christo vocati, electi, et designati ad Apostolatum per instinctum Spiritus sancti; paulo post, ab eodem Spiritu in Pentecoste, reipsa auctorandi, et consecrandi erant Apostoli. *Assumptus est* non alieno adminiculo, sed propria virtute : poterat enim id facere tum per potentiam divinam, tum per dotem humanitatis, videlicet agilitatem, qua donatum beatum quodlibet corpus, a terra in cœlum absque angelorum auxilio efferri potest. (*Menochius. Comm. in Act. Apost.*)

II. — Quibus et præbuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei. (*Act I. 3.*)

Idest per multa argumenta confirmans nimirum resurrectionem suam. Talia argumenta fuerunt tot Christi apparitiones, manducationes, locutiones, cicatrices, etc.

*Per dies quadraginta*, non continue, sed per vices et interpolate. (*Menochius.*)



III. — Et convescens, præcepit eis ab Jerosolymis ne discederent, sed exspectarent promissionem Patris, quam audistis (inquit) per os meum :

Quia Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies. (*Act. I. 4, 5.*)

Modestiæ causa vocat eam promissionem non suam sed Patris, sicut et in Evangelio apud S. Joannem, vocat eum donum, non suum, sed Patris : quia scilicet Pater est primus fons et origo sanctæ Trinitatis.

*Quam audistis, inquit, per os meum.* Joan. XIV. 16. ubi legimus : " Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis, " et alibi.

*Non post multos hos dies*, decimo scilicet abhinc die; sed noluit Christum certum diem indicare, ut semper essent vigilantes. (*Menochius, ibid.*)

## MEDITATIO CCCLIV.

### De ascensione Christi ex Actibus Apostolorum.

I. — Igitur qui convenerant, interrogabant eum dicentes : Domine si in tempore hoc restitues regnum Israel?

Dixit autem eis : Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. (*Act. I. 6, 7.*)

*Igitur qui convenerant* : non soli Apostoli, sed et alii discipuli, coram quibus ascendit in cœlum. (*Menochius.*)

*Vestrum* dixit, non meum. Jam enim non secundum perfectionem, sed secundum profectum humani corporis ac nostræ animæ loquebatur. Cum autem dicit, *tempora vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate*, utique non potest esse exors scientiæ paternæ, cujus nequaquam exors est potestatis; cujus potestas ex sapientia et virtute gignitur, quod utrumque Christus est. (*Ambrosius de Fide lib. V. c. 8.*)

II. — Sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa, et Samaria, et usque ad ultimum terræ. (*Act. I. 8.*)



Cur autem non Christo præsente, vel eo discedente statim Spiritus venit? Decebat enim eos fieri cupidos rei, et demum recipere gratiam : tunc enim magis ad Deum erigimur, cum incumbit necessitas. Oportebat enim interim nostram comparere naturam in cœlo, et fœdera consummari, ac deinde Spiritum advenire et gaudia celebrari serena. (*Theophylactus, Comm. in Lucam.*)

III. — Et cum hæc dixisset, videntibus illis, elevatus est : et nubes suscepit eum ab oculis eorum. (*Act. I. 9.*)

Dum audis elevatum, agnosce militiæ cœlestis obsequium; unde hodierna Ascensionis festivitas hominis nobis et Dei sacramenta manifestat. In eo qui elevat, divinam potentiam, in eo autem qui elevatur, humanam cognosce substantiam. (*Eusebius Emis. de Ascens. Dom. Homi. II.*)

## MEDITATIO CCCLV.

### Angeli prædicunt Christum similiter venturum.

I. — Cum intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri adstiterunt juxta illos in vestibus albis. (*Act. I. 10.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Angeli virorum specie intelliguntur, sicut et Daniel dicit : (*Cap. IX. 21.*) " Ecce vir Gabriel, quem videram. " Porro quod in vestibus albis apparent, innocentiæ et munditiæ indicium est : Gregorius addit, et lætitiæ. (*Haræus in Curs. Comp.*)

II. — Qui et dixerunt : Viri Galilæi quid statis adspicientes in cœlum? hic Jesus, qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. (*Act. I. 11.*)

Ita universim appellantur *viri Galilæi*, quod Apostoli et discipuli, pro majori parte Galilæi erant, ut patet ex diversis locis evangelicæ historiæ.

Sequitur : *sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem*, id est cum nube, id est in carne visibilis : id est, cum potestate et majestate. (*Haræus ibid.*)

III. — Tunc reversi sunt Jerosolymam a monte, qui vocatur Oliveti, qui est juxta Jerusalem, sabbati habens iter. (*Act. I. 12.*)

Significatur ergo in monte Oliveti Dominum in cœlos ascendisse. De quo monte hæc Hieronymus (*de locis hebra.*) " Mons, inquit, Oliveti, ad orientem Jerosolymæ est, torrente Cedron interfluente, ubi ultima vestigia Domini humo impressa hodieque cernuntur. Cumque terra illa quotidie a credentibus hauriatur, (erubesce irrisor hæretice), nihilominus tamen eadem sancta vestigia pristinum statum recipiunt."

*Sabbati habens iter* (*Hier. epist. 151.*) interpretatur bis mille pedes, qui juxta Origenem faciunt mille passus; quod spatium conficere in Sabbato, honesta occasione, non tamen negotiationis causa, Judæis licuerit. (*Haræus ibid.*)



## MEDITATIO CCCLVI.

**Discipuli reversi Jerosolymam manent in cœnaculo congregati.**

I. — Reversi sunt Jerosolymam a monte, qui vocatur Oliveti, qui est juxta Jerusalem, sabbati habens iter. (*Act. I. 12.*)

Repetitio III. Puncti Meditationis præcedentis.

II. — Et cum introissent in cœnaculum, ascenderunt ubi manebant Petrus, et Joannes, Jacobus, et Andreas, Philippus, et Thomas, Bartholomæus, et Matthæus, Jacobus Alphæi, et Simon Zelotes, et Judas Jacobi : (*Act. I. 13.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

In hoc cœnaculo Dominus Pascha fecit, illuc discipuli ex monte Olivarum convenerunt, illuc Spiritus sanctus descendit, in die Pentecostes : illic collocata nunc est sanctissima Sion, omnium Ecclesiarum maxima. (*Baronius ex actis S. Barnabæ.*)

III. — Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria matre Jesu, et fratribus ejus. (*Act. I. 14.*)

Ideo, et impetrare cum fiducia poterant, quodcumque de Domini misericordia postulabant. (*Cyprianus, de unit. eccles. 11.*)

Idemque, (*Cyprianus*) etiam solam indifferentis rei dissensionem impedivisse fructum orationis aliquando, sibi revelatum esse scribit. (*Epis. 8.*)

*Cum mulieribus et Maria matre Jesu.* Maria ultimo loco nominatur, tamquam quæ etiam tunc exhibuerit se humillimam. (*Bernardus, sermo de 12 stellis.*)

Ubi non humana, sed divina sunt omnia, ibi plane conventum licet celebrare cum feminis. (*Cyprianus, de sing. cleric. num. 10.*)

Quod quia in nostris sacris communiter non est, magis servandum videretur illud (*Zach. XII.*) " Plangent familiæ et familiæ seorsim : et mulieres eorum seorsim." (*Haræus ibid.*)



## MEDITATIO CCCLVII.

**In locum Judæ traditoris, alius resurrectionis Dominicæ testis substituendus quæritur.**

I. — In diebus illis exsurgens Petrus (erat autem turba hominum simul, fere centum viginti.)

Viri fratres, oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus per os David de Juda. (*Act. I. 12, 16.*)

Petrus hic et alibi passim ab Evangelistis primus nominatur, quia primas Ecclesiæ, et caput Apostolorum. (*Menochius.*)

*Viri fratres.* Non sequitur hinc omnes quos Petrus alloquitur, fuisse æquales, et omnes voces habuisse electivas; sed Cyprianus (*epist. 68.*) ex hoc loco deducit ordinationes sacerdotales, nisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere; ut plebe præsente, ait, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur. (*Haræus ibid.*)

II. — Scriptum est enim in libro Psalmorum : Fiat commoratio eorum deserta, et non sit qui inhabitet in ea : et episcopatum ejus accipiat alter. (*Act. I. 20.*)

Repetitur hic III. Punctum Meditationis CCLXXXVIII.

III. — Oportet ergo, ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit et exivit inter nos, Dominus Jesus,

Incipiens a baptismate Joannis usque in diem, qua assumptus est a nobis, testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis. (*Act. I. 21, 22.*)

Ingredi et egredi Hebræis significat totam vitæ seriem, et conversationem, id est omnes actiones, sermones, etc. Vide exempla. *Deut. XXXI. 2. II. Paral. I. 10.* (*Menochius.*)

*Testem resurrectionis Christi*, ac reliquorum mysteriorum quæ in resurrectione, quasi in suo fine et scopo, terminantur et concluduntur. (*Menochius ibid.*)

## MEDITATIO CCCLVIII.

### Mathias in numerum Apostolorum adsciscitur.

I. — Et statuerunt duos, Joseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Justus : et Mathiam. (*Act. I. 23.*)

Quæritur quinam statuerint, et an omnes viri fratres quos hactenus allocutus est Petrus. Respondeo, ita quidem, sed ad sensum



Cypriani (*Vide I. Punct. Meditationis præcedentis*) ut non *a* sed *coram* multitudine tamquam meritorum vel demeritorum teste, electio, seu potius nominatio divinitus eligendorum a collegio undecim Apostolorum, præsente populo facta sit. Quod enim nemo nisi ex immediata Dei electione poterat ad Apostolatum pervenire, patet ex eo quod subjungunt dicentes : *Tu Domine, ostende, quem elegeris.* (*Haræus ibid.*)

II. — Et orantes dixerunt : Tu Domine qui corda nosti omnium, ostende, quem elegeris ex his duobus unum.

Accipere locum ministerii hujus, et apostolatus, de quo prævaricatus est Judas ut abiret in locum suum. (*Act. I. 24, 25.*)

*Dixerunt*, Petro fortasse verba orationis præeunte.

*Qui corda nosti omnium.* Latebras cordis quas humanus oculus non penetrat, ac proinde frequenter in electionibus decipitur.

*De quo prævaricatus est Judas*; unde Judas excidit propter prævaricationem et scelus suum.

*Ut abiret in locum suum*, in locum se dignum : suspendium intelligit, aut æternos gehennæ cruciatus. Porro particula *ut* sensum habet non causalem, sed consecutivum, sicut sæpe alibi. (*Menochius.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

III. — Et dederunt sortes eis, et cecidit sors super Mathiam, et annumeratus est cum undecim Apostolis. (*Act. I. 26.*)

Non hoc exemplo indifferenter sortibus est credendum, cum privilegia singulorum, (*ut Hier. ait,*) communem legem facere non possint. Quod si qui necessitate compulsi, Deum putant sortibus exemplo Apostolorum esse consulendum, videant hoc ipsos Apostolos, non nisi collecto fratrum cœtu, et precibus ad Deum fusis egisse. (*Beda.*)

*Et annumeratus est*, quasi dicat : Omnes sortem divinam, ac per eam electionem Mathiæ consona voce laudarunt, et comprobarunt. (*Menochius.*)

## MEDITATIO CCCLIX.

**Spiritus sanctus effunditur super Apostolos et loquuntur variis linguis.**

I. — Et cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco :

Et factus est repente de cœlo sonus, tamquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum ubi erant sedentes. (*Act. II. 1, 2.*)

Spiritus sanctus mitti debuit in Pentecoste, ut scilicet celebrior esset, atque universalior utriusque mysterii memoria et fructus. (*Chrysostomus, hoc loco.*)

*Erant omnes*, Christiani, numero 120, ut dixit superius. (*Cap. I. v 15.*)

*Tamquam* adjecit, ne quis Spiritum sanctum corporeum putaret. Nequaquam tamen imaginaria res fuit, sed verus sonus et verus ventus, ut recte docet Augustinus (*II. de Trinit. Cap. 5. et epist. 102*) : illud interim monens hujusmodi vera corpora, non tamen esse in unionem hypostaticam a Spiritu sancto assumpta, quod Tertullianus de columba falso senserat. Adhibita sunt autem hæc sensibilia signa, ut nihil minus haberet lex nova ab illa veteri lata in Sinai. Unde, Chrysost. " Et quidem, inquit, si post hæc signa, malevoli, ac maledici musto plenos dixerunt, quos Spiritus sanctus repleverat, quid fuissent dicturi si prorsus absque signo Spiritum accepissent,et prædicassent." (*Harœus ibid.*)

II. — Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis, seditque supra singulos eorum. (*Act. II. 3.*)

Et visæ sunt illis linguæ divisæ, quasi ignis, qui et insedit in quemque illorum. (*Cypri. 3. Testim. c. 101.*)

III. — Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis,

prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. (*Act. II. 4.*)

Spiritus sanctus in specie linguarum ignearum apparuit, ut dubium non esset per ipsius inspirationem, utilem affectum, et rationabilem sermonem animis fidelium ministrari : sic ut signum linguarum non tantum significarit, quid tunc ageretur, sed etiam futuris hucusque temporibus in Ecclesia agendum esset. (*Auctor Epist. ad Demetriadem.*)

*Et cœperunt loqui variis linguis.* Intelligendum hoc, sic, ut Apostoli habuerint peritiam singularum linguarum : quomodo Paulus dicit : (*I.Corinth. 14.*) "Omnium vestrum lingua loquor;" et ita quidem ut possit interpretari.

Leo quoque, (*Serm. I. de natali Petri et Pauli,*) dicit Apostolos accepisse locutionem omnium linguarum.

Dicit quidem Cyprian. (*Serm. de Pentecoste,*) quod una lingua Hebræa, operante Spiritu sancto, omnem intellectum erudiebat. Sed nihil obstat, quod aliquando loquentes lingua hebræa, ab aliis nationibus intelligerentur. (*Haræus, ibid.*)



## MEDITATIO CCCLX.

**Admirantur Judæi quod Apostoli loquantur omnium gentium linguis.**

1. — Erant autem in Jerusalem habitantes Judæi, viri religiosi ex omni natione quæ sub cœlo est.

Facta autem hac voce, convenit multitudo, et mente confusa est, quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes. (*Act. II. 2, 6.*)

Judæorum permulti, per varias captivitates, clades, bella, ad varias orbis nationes venerant, eorumque posteri nonnulli in regionibus alienigenarum successive nati, tandem religionis causa, iterum sedes suas Jerosolymam transtulerant. (*Augustinus de Catechiz. Rudibus c. 23.*)

Vel erant degentes ad tempus, vel occasione festi Pentecostes, juxta legem, (*Exodi XXIII. 17.*), vel studiorum, pietatis, aut aliqua alia hujusmodi causa adducti.

*Facta autem hac voce*, tum soni vehementis, tum locutionis Apostolorum variis linguis.

*Convenit multitudo*, aut ad cœnaculum, aut circa illud, aut in templum, aliumve locum quo Spiritu sancto pleni Apostoli concionaturi, variisque linguis loquentes exierant.

*Et mente confusa est*, admiratione et stupore tantæ rei. (*Menochius.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

11. — Stupebant autem omnes, et mirabantur, dicentes : Nonne ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt.

Et quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram, in qua nati sumus?

Parthi, et Medi, et Elamitæ, et qui habitant Mesopotamiam, Judæam et Cappadociam, Pontum, et Asiam.

Phrygiam, et Pamphyliam, Ægyptum et partes Libyæ, quæ est circa Cyrenen, et advenæ romani.

Judæi quoque et Proselyti, Cretes et Arabes : audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei. (*Act. II. 7, 8, 9, 10, 11.*)

Possit videri ex verbis præcedentibus : *quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes*, quod ex uno idiomate, quo utebantur Apostoli, singuli audissent velut sua idiomata, prout supra ex Cypriano diximus; sed declarant se paulo post, cum dicunt hic : *quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram, in qua nati sumus :* vel, *audivimus eos loquentes nostris linguis ;* significantes Apostolos non uno sermone audito varie, sed variis sermonibus usos esse.

Ceterum quod adjiciunt, *magnalia Dei*, intelligunt ea quæ ordinariam superant facultatem, et nonnisi a Deo procedere possunt. (*Haræus, ibid.*)



111. — Stupebant autem omnes et mirabantur ad invicem dicentes : Quidnam vult hoc esse?

Alii autem irridentes dicebant : Quia musto pleni sunt isti. (*Act. II. 12, 13.*)

*Stupebant*, extra se rapiebantur, quasi in extasim. *Mirabantur*, hæsitabant, dubitabant, ambigebant, interrogabant. *Quidnam vult hoc esse?* Quonam tandem nova hæc res evadat? (*Menochius.*)

Cum vulgo dici soleat " Fœcundi calices, quem non fecere disertum? " Cum Apostolos cognoverunt tam facundos, et nonobstante paupertate ac ignobilitate, confidentes, non veriti sunt (quidam Scribæ fortasse et pharisæi) utriusque causam vino adscribere et ebrietati.

Sed inepte ut docet Petrus subjectis verbis. (*Haræus.*)

## MEDITATIO CCCLXI.

**Petrus probat ex Joele factum quod mirabantur Judæi.**

1. — Stans autem Petrus cum undecim levavit vocem suam, et locutus est

eis : Viri Judæi, et qui habitatis Jerusalem universi, hoc vobis notum sit, et auribus percipite verba mea.

Non enim, sicut vos æstimatis, hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia :

Sed hoc est, quod dictum est per prophetam Joel.

Et erit in novissimis diebus (dicit Dominus) effundam de Spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri, et filiæ vestræ, et juvenes vestri visionem videbunt, et seniores vestri somnia somniabunt. (*Act. II. 14, 15, 16, 17.*)

Sed cur Petrus præ reliquis? An quia majoris gratiæ in loquendo? Non arbitror. Neque enim Petrum a præcellentia eloquentiæ apud quemquam veterum commendatum legi. Ipse ergo præ reliquis et nomine reliquorum, quia caput collegii apostolici adstantis. Audiamus autem quid dicat. *Non enim ebrii sunt, cum sit hora diei tertia* (nobis nona antemeridiana). Sed quid? An sequitur? Respondet Baronius sequi eo modo : quia ex Josepho declarat Judæos festis diebus, qualis erat imprimis dies Pentecostes, non ante horam sextam (quæ nobis est duodecima) vesci solere. Satis validum ergo erat argumentum, maxime in Apostolis, quos constabat non esse improbos.

Non quod in die Pentecostes tota hæc



prophetia (*Joel II.*) completa sit, sed quod initium saltem ejus nunc in effectum sit deductum.

*Effundam de Spiritu meo super omnem carnem.* Non esse istud universaliter distribuendum pro singulis omnino generum, sed tantum pro generibus singulorum aperit Propheta, cum subdit : *et prophetabunt filii vestri et filiæ*, ubi designatur uterque sexus : *et juvenes vestri*, etc., ubi designatur omnis ætas. (*Haræus, ibid.*)

II. — Et quidem super servos meos, et super ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo, et prophetabunt.

Et dabo prodigia in cœlo sursum et signa in terra deorsum, sanguinem, et ignem, et vaporem fumi. (*Act. II. 18, 19.*)

Verbis istis, *super servos meos et ancillas* designatur, infirma mundi potissimum elegisse Deum. Hæc ergo nunc in Apostolis impleri cœpta sunt, ac deinde continuata in Ecclesia.

Videri posset quod hic in verbis quæ sequuntur : *Et dabo prodigia*, sit sermo de prodigiis editis in passione Christi, præsertim quia Joelem de illis exponit quoque Hieronymus. Sed tamen parum ut apparet convenienter : quia apud Joelem sermo est de signis adventum Spiritus sancti secuturis : passio autem Domini præcessit. Itaque cum



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

Apostoli non legantur fecisse prodigia in cœlo, nec obscurasse solem, aut vertisse lunam in sanguinem, melius cum aliis doctoribus, hæc intelligemus de signis quæ præcedent diem judicii. (*Haræus, ibid.*)

III. — Sol convertetur in tenebras et luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus et manifestus.

Et erit : omnis, quicumque invocaverit nomen Domini salvus erit. (*Act. II. 20, 21.*)

Veluti si dicat Petrus : Ne miremini, aut videatis hæc prodigia in Pentecoste, quia majora videbitis dari a Christo suo tempore juxta prophetiam Joelis in fine mundi, in vindictam infidelium; scilicet solis obscurationem, lunam sanguineam, et alia ab eo commemorata. Aut ergo jam credite, aut certe tunc vindictam exspectabitis. (*Haræus.*)

## MEDITATIO CCCLXII.

### Prima Concio Petri de Passione et Resurrectione Christi.

I. — Viri Israëlitæ, audite verba hæc : Jesum Nazarenum, virum approbatum a Deo in vobis, virtutibus et prodigiis, et



signis, quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut et vos scitis :

Hunc definito consilio, et præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affigentes interemistis. (*Act. II. 22, 23.*)

Observa, *Nazarenum* vocat, ut profiteretur se de eodem velle verba facere qui illo nomine, in populo erat notus et in crucis quoque titulo sic cognominatur : ceterum *virum* dicit, prudenter admodum humanam naturam salvatoris primum Judæis inferens, ut eos " Jam Christum ex semine David venisse, ex signis miraculisque persuasos, paulatim ad credendum ipsius divinitatem erudiret." (*inquit Athanas, epist. de sententia Dionysii Alexandrini.*)

*Traditum* inquit, non tantum permissum. Nam Christus volentibus se comprehendere obviam procedens, tradidit in mortem animam suam. (*Haræus.*)

*Per manus iniquorum affigentes interemistis.* Non dicant Judæi : Non occidimus Christum. Occidistis enim, o Judæi, cum clamastis : Crucifige, crucifige. (*August. in Psalm. 63.*)

II. — Quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo.

David enim dicit in eum : Providebam Dominum in conspectu meo semper :

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quoniam a dextris est mihi ne commovear.

Propter hoc lætatum est cor meum, et exsultavit lingua mea, insuper et caro mea requiescet in spe :

Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.

Notas mihi fecisti vias vitæ. (*Act. II. 24, 25, 26, 27, 28.*)

Quorum verborum auctoritate, dicit Augustinus (*Epist. 57.*) apostolicam doctrinam prædicasse, quod anima Christi fuerit in inferno : et (*Epist 99.*) quod verba illa : *non derelinques animam meam in inferno*, et per prophetam et per apostolicum intellectum exposita, aperte declarant Christum, secundum animam, fuisse apud inferos. Neque hinc sequitur Christum apud inferos passum esse aliquos dolores, in cruce enim dixerat : Consummatum est. Et Augustinus (*Epistola 99.*) tribuens Christo quod de doloribus inferni hic dicitur, ait, illos circa Christum fuisse solutos, quin irritos, seu irritatos, eo quod non potuerint Christum affligere vel afficere. (*Haræus.*)

III. — Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de patriarcha David quoniam defunctus est, et sepultus : et sepulcrum



ejus est apud nos usque in hodiernum diem. (*Act. II. 29.*)

Propheta igitur cum esset, et sciret quia jurejurando jurasset illi Deus, de fructu lumbi ejus sedere super sedem ejus :

Providens locutus est de resurrectione Christi; quia neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem. (*Act. II. 30, 31.*)

Quasi dicat : Non de se loquebatur David, sed de Christo Messia, de quo sequentia dixit. (*Haræus, ibid.*)

IV. — Hunc Jesum resuscitavit Deus cujus omnes nos testes sumus. (*Act. II. 32.*)

Certissime sciat ergo omnis domus Israel, quia et Dominum eum, et Christum fecit Deus, hunc Jesum, quem vos crucifixistis. (*Act. II. 36.*)

His autem auditis, compuncti sunt corde. (*Act. II. 37.*)

Cur *certissime?* quia ex auctoritate apud Judæos receptæ Scripturæ irrefragabilis, insuper rationibus necessariis enucleatæ et deductæ, *quia et Dominum eum, et Christum fecit Deus, hunc Jesum, quem vos crucifixistis*, de Christi humanitate se agere ostendens. De hoc ita Cyrillus, (*lib. IX. Thesauri*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*cap. 3.*) " Fecit, inquit, Dominum eum et Christum; quia tempore humilitatis, quo erat quidem, sed non ostendebat se, expleto, in Domini et Christi gloriam ipsum assumpsit, eumque Dominum et Christum esse manifestavit.

*Quem vos crucifixistis:* videtur hic repeti ad peccati in Christum admissi exagerationem, et inducendam plenam illius peccati cognitionem et pœnitentiam. Nam cum Petrus initio dixisset : " Hunc per manus iniquorum interemistis, " non plus declararat, quam ipsos interemisse virum a Deo probatum. Nunc autem, declarato illum ipsum hominem esse Deum, iterum repetens, *quem vos crucifixistis*, acriter pungit ut pœniteant. (*Harœus.*)

## MEDITATIO CCCLXIII.

### Alia ejusdem Petri Concio de Passione Domini et Resurrectione.

I. — Viri Israelitæ quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare?

Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, Deus patrum nostrorum glorificavit Filium suum Jesum, quem vos quidem



tradidistis, et negastis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti. (*Act. III. 12, 13.*)

II. — Vos autem sanctum, et justum negastis, et petistis virum homicidam donari vobis.

Auctorem vero vitæ interfecistis, quem Deus suscitavit a mortuis, cujus nos testes sumus. (*Act. III. 14, 15.*)

NOTA. Quæ continentur in primo Puncto et in secundo, similia prorsus sunt Meditationi præcedenti : Quæ itaque ibi vide meditata.

III. — Et nunc fratres scio quia per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri.

Deus autem, quæ prænuntiavit per os omnium prophetarum, pati Christum suum, sic implevit. (*Act. III. 17, 18.*)

Compellatione benevola nititur sibi conciliare auditores, quos per correptionis acrimoniam videri poterat a se alienasse. Sed quomodo dicit, *scio quia per ignorantiam fecistis?* An quia poterant ignorare Christum esse justum? qui publice proclamarat : " Quis ex vobis arguet me de peccato? Nequaquam. An ergo quia ignorabant eum esse Deum? Posset id dici, nisi Petrus dicens, *sicut et principes vestri*, aperiret se loqui de ignorantia quæ principibus et populo fuit communis. Jam vero principes non ignorabant Christum esse Deum. Quomodo

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ergo per ignorantiam? Observa in verbis subjectis. *Deus autem, quæ prænuntiavit, pati Christum suum, sic implevit.* Quasi dicat : Hoc scilicet consilium Dei, vos et principes vestri, ignorastis. Itaque loquitur hic Petrus, prout Joseph ad fratres suos, (*Genes. 45.*) dum dicit : " Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum, qui fecit me quasi patrem Pharaonis, ac principem in omni terra Ægypti. "

De hac sapientia Dei loquitur Paulus (*I. Corint. 2.*), ita dicens : " Loquimur sapientiam Dei in mysterio, quam prædestinavit ante sæcula in gloriam nostram, quam (scilicet sapientiam Dei) nemo prudentium hujus sæculi cognovit. Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. " Sive enim per principes sæculi intellexeris dæmones, sive Judæorum rectores, si scivissent sapientiam Dei qua illam Christi abjectionem ordinasset ad gloriam ipsius, et nostram, vel ex invidia non voluissent eum crucifigere. (*Haræus.*)

## MEDITATIO CCCLXIV.

### In solo Jesu Christo salus omnium consistit.

I. — Hic est lapis, qui reprobatus est a vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli :



Et non est in alio aliquo salus. (*Act. IV. 11, 12.*)

Quasi dicat : *Hic est lapis* de quo prædictum est (*Psal. 117.*) ipse Christus, tamquam seductor ac malefactor, *reprobatus est a vobis ædificantibus; a vobis*, scilicet domum Israël pro officio quidem, sed mala calce, ac perperam ædificantibus, *qui factus est in caput anguli.* Angulus, inquit August. (*Serm. 18. de verbis Domini,*) duos parietes copulat de diverso venientes. Quo alludens (*Paulus ad Ephes. 2.*) exponit duos populos in unam Christi fidem convenisse, Judæos et Gentiles. (*Haræus.*)

II. — Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. (*Act. IV. 12.*)

In uno autem nomine baptizari nos oportet, hoc est in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti. Noli mirari quia dixi unum nomen, ubi est una substantia, una divinitas, una majestas. Hoc est nomen de quo dictum est, in quo oportet omnes salvos fieri. In hoc nomine omnes salvati estis, redditi estis ad gratiam vitæ. (*Ambrosius de sacr. lib. lib. II. c. 7.*)

III. — Deus patrum nostrorum suscitavit Jesum, quem vos interemistis, suspendentes in ligno.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Hunc principem, et salvatorem Deus exaltavit dextera sua ad dandam pœnitentiam Israeli, et remissionem peccatorum. (*Act. V. 30, 31.*)

*Exaltavit*, id est, gloriosum reddidit, et reddit per miracula et prædicationem nostram, dando ei nominis claritatem, et subjiciendo ei multos quos passim ad Ecclesiam adducit.

*Ad dandam pœnitentiam*, ut per Christum et ejus merita adduceret Israelitas ad pœnitentiam et salutem. (*Menochius.*)

## MEDITATIO CCCLXV.

### De fide ac spe nostræ resurrectionis.

I. — Penetrabo omnes inferiores partes terræ, et inspiciam omnes dormientes, et illuminabo omnes sperantes in Domino. (*Eccli. XXIV. 45.*)

Hæc est resurrectio, sicut verbi ipsius sono exprimitur : ut quod cecidit, hoc resurgat : quod mortuum fuerit reviviscat. Et hæc est series et causa justitiæ, ut : quoniam corporis animique communis est actus, quæ animus cogitavit, corpus efficit : utrumque in judicium veniat, utrumque aut pœnæ dedatur, aut gloriæ reservetur. Si terra renovatur et cœlum, (*Isai. LXVI.*) cur dubitemus hominem posse renovari, propter quem terra facta et cœlum est? si prævaricator servatur ad pœnam, cur justus non perpetuatur ad gloriam? Si vermis non moritur peccatorum, quemadmodum interibit caro justorum? (*Ambrosius, de fide Resurrectionis.*)



II. — Ecce ego aperiam tumulos vestros, et educam vos de sepulcris vestris, populus meus, et inducam vos in terram Israel. (*Eccli. XXXVII. 12.*)

Hanc quoque prædicationem scio qualiter concutiant in allegoriæ argumentationem : quia dicendo ossa ista omnis domus Israel est, in imaginem ea fecit Israeli, sed a propria conditione transtulerit : atque ita figuratam esse non veram resurrectionis prædictionem. Statum enim Judæorum deformari, quodammodo mortuum, exaridum et dispersum in campo orbis. Itaque et imaginem resurrectionis in illum allegorizari : quia recolligi habeat, et recompingi os ad os, id est tribus ad tribum, et populus ad populum, recorporari carnis facultate, nervis regni : atque ita de sepulcris, id est, de habitaculis captivitatis tristissimis atque teterrimis educi, et refrigerii nomine respirari et vivere exinde in terra sua Judæa.

Et quid post hæc? morientur sine dubio. Et quid post mortem? nulla opinor resus-

citatio, si non hæc erit ipsa, quæ Ezechieli revelatur. (*Tertul. de resurrectione carnis.*)

III. — Nolumus vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini sicut et ceteri qui spem non habent.

Si enim credimus quod Jesus mortuus est et resurrexit : ita et Deus eos qui dormierunt per Jesum adducet cum eo. (*I. ad Thessal. IV. 12, 13.*)

Ne illa quidem impatientiæ species excusetur in amissione nostrorum, ubi aliqua doloris patrocinatur adsertio. Et merito; credentes enim resurrectionem Christi, in nostram quoque credimus, propter quod ille et resurrexit. (*Tertullianus, de Patientia.*)

Dignum enim esse judicavit Dominus, ut germani corporis animæque substantia cum Christo simul regnent in cœlis, qui Christo servierunt in terris. (*Eusebius Emisenus. Homil. 9. de Pascha.*)

IV. — Hæc est voluntas ejus qui misit me Patris : ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die.

Hæc est autem voluntas Patris mei qui misit me : ut omnis qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam æternam, et



ego resuscitabo eum in novissimo die. (*Joan. VI. 39, 40.*)

Ipse illi datus est qui servat humilitatem. " Non est voluntas in conspectu Patris ut pereat unus de pusillis " : (*Matth. XVIII.*) De tumentibus potest perire, de pusillis nihil perit : quia nisi fueritis " sicut pusillus iste, non intrabitis in regnum cœlorum. " (*Augustinus.*)

Per hoc autem quod dicit, *non perdam ex eo*, non ostendit se indigere eorum cura : sed hoc dicit propter eorum salutem. Postquam autem dixerat, *non perdam ex eo* et *non ejiciam foras*, subjungit : *sed resuscitabo eum in novissimo die*, quia in resurrectione communi mali ejicientur, secundum illud : (*Matth. XXII.*) " Tollite eum, et ejicite eum in tenebras exteriores. " Ipsi etiam perdentur secundum illud : (*Matth. X.*) " Qui potest animam et corpus perdere in gehennam. " Ideo autem multoties resurrectionem inducit, ut non ex solis rebus præsentibus judicent Dei providentiam, sed aliam exspectent vitam. (*Chrysostomus.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## Considerationes pro sex illis horis, quæ singulis quadrienniis, annum efficiunt Bissextilem.

### AD PRIMAM HORAM.

#### Quatuor væ a Christo Domino intentata.

I. — Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram. (*Luc. VI. 24.*)

Hæc dictio *Væ*, semper in Scripturis dicitur his qui non possunt evadere a futuro supplicio. (*Cyrillus.*)

Licet autem in pecuniariis copiis multa sint lenocinia delictorum, pleraque tamen sunt incentiva virtutum : quamquam virtus subsidia non requirat, et commendatior sit collatio pauperis, quam divitis liberalitas; tamen non eos qui habent divitias, sed eos qui uti his nesciunt, sententiæ cœlestis auctoritate condemnat. (*Ambrosius.*)

II. — Væ vobis qui saturati estis : quia esurietis. (*Luc. VI. 25.*)

Dives ille purpuratus saturabatur, epulans quotidie splendide : sed dirum *Væ* sustinebat esuriens, quando de Lazari, quem despexerat, digito guttam aquæ quærebat. (*Beda.*)



III. — Væ vobis qui ridetis nunc : quia lugebitis et flebitis. (*Luc. VI. 25.*)

Cum Dominus ridentes nunc arguat, palam est quod nunquam erit fideli tempus risus; et præcipue in tanta multitudine eorum qui in peccato moriuntur, pro quibus oportet lugere. Superfluus autem risus est immoderantiæ signum, et effrenis animæ motus; sed usque ad vultus jucunditatem exprimere passionem animæ non dedecet. (*Basilius.*)

IV. — Væ, cum benedixerint vobis homines : secundum hæc enim faciebant pseudoprophetis patres eorum. (*Luc. VI. 26.*)

Quia ipsa peccati nutrix adulatio : sicut oleum flammis, sic in culpa ardentibus solita est ministrare fomentum. (*Beda.*)

Non autem contrarium est quod hic dicitur, ei quod alibi Dominus dicit : (*Matth. V.*) " Luceat lux vestra coram hominibus : " ut scilicet manifestemus bene agere ad gloriam Dei, non ad propriam. (*Chrysostomus.*)

### AD SECUNDAM HORAM.

#### De peccatis remittendis et non remittendis.

I. — Omne peccatum et blasphemia remittetur. (*Matth. XII. 31. — Marc. III. 28.*)

Sciendum est tamen quod non passim quibuscumque dimittitur; sed illis qui pro suis reatibus dignam pœnitentiam egerint. Destruitur autem his verbis, error Novati qui dicebat, quod fideles post lapsum per pœnitentiam non possunt surgere, neque peccatorum suorum veniam promereri : maxime illi qui in persecutione positi negabant. (*Remigius.*)

II. — Quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei. (*Matth. XII. 32. — Luc. XII. 10.*)

Ideo post universalem commemorationem omnis blasphemiæ, eminentius voluit exprimere blasphemiam quæ dicitur contra Filium hominis; quoniam Evangelio secundum Joannem valde grave ostendit hoc esse peccatum, ubi (*Cap. XVI.*) ait de Spiritu sancto : " Ille arguet mundum de peccato, de justitia, et de judicio : de peccato quidem, quia non crediderunt in me. " (*Augustinus.*)

III. — Qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro. (*Matth. XII. 32. — Luc. XII. 10.*) Sed reus erit æterni delicti. (*Marc. III. 29.*)

Ita locus iste est intelligendus : qui verbum dixerit contra Filium hominis, scandalizatus carne mea, et me hominem tantum



arbitrans : talis opinio atque blasphemia, quamquam culpa non careat erroris, tamen habet veniam propter corporis vilitatem. Qui autem manifeste intelligens opera Dei, cum Dei virtutem negare non possit, eadem calumniatur stimulatus invidia : et Christum Dei verbum,et opera Spiritus sancti dicit esse Beelzebub, isti non remittetur neque in hoc sæculo neque in futuro. (*Hieronymus.*)

Vel ipsa impenitentia est blasphemia Spiritus sancti, quæ non remittetur. Contra enim Spiritum sanctum quo peccata dimittuntur verbum dicit, sive cogitatione, sive lingua, qui sibi cor impenitens thesaurizat. (*Augustinus.*)

IV. — Aut facite arborem bonam, et fructum ejus bonum : aut facite arborem malam, et fructum ejus malum : ex fructu siquidem arbor agnoscitur. (*Matth. XII. 33.*)

Constringit (Dominus Judæos) syllogismo quem Græci vocant Aphyeton, nos inevitabilem possumus appellare : quia interrogatos hinc inde concludit, et utroque cornu premit. Si, inquit, diabolus malus est, bona opera facere non potest : si autem bona sunt quæ facta cernitis, sequitur ut non sit diabolus qui illa facit : neque enim fieri potest ut ex malo bonum, aut ex bono oriatur malum. (*Hieronymus.*)

## AD TERTIAM HORAM.

### De multitudine reproborum et paucitate salvandorum.

I. — Intrate per angustam portam : quia lata porta et spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem. (*Matth. VII. 13.*)

Porta perditionis est diabolus per quem introitur in gehennam. Lata autem porta dicitur esse diabolus; non magnitudine potestatis extensus, sed effrenatæ superbiæ licentia dilatatus. Via autem perditionis est iniquitas. Dicitur autem spatiosa, quia non est intra regulam disciplinæ inclusa; et ambulantes in ea, quicquid eos delectaverit, hoc sequuntur. (*Chrysostomus*)

II. — Et multi sunt qui intrant per eam. (*Matth. VII. 13*)

Confirmavit Dominus quod audivit : " Quidam ei dixerat : Domine si pauci sunt qui salvantur? " (*Luc. XIII. 23.*) scilicet, quod pauci sunt qui salvantur? (*Augustinus.*)

III. — Quam angusta porta, et arcta via est, quæ ducit ad vitam. (*Matth. VII. 14.*)

Porta vitæ est Christus, per quem introitur in regna cœlestia. Porta angusta dicitur



Christus, non parvitate potestatis exiguus, sed humilitatis ratione collectus : quia quem totus non capit mundus, seipsum intra angustias uteri virginalis inclusit. Via autem vitæ dicitur esse omnis justitia, et propter contrarias causas esse arcta. Considerandum autem quia nisi quis ambulaverit per viam, non potest pervenire ad portam : qui enim non ambulant per viam justitiæ; impossibile est ut vere Christum cognoscant. (*Chrysostomus.*)

IV. — Et pauci sunt qui inveniunt eam. (*Matth. VII. 14.*)

Quamvis autem caritas sit lata, tamen per angusta et ardua homines ducit a terra. Satis angustum est omnia prætermittere, unum solum diligere; prospera non ambire, adversa non timere. (*Gregorius.*)

### Epimetron.

Dixit Jesus : Contendite intrare per angustam portam : quia multi, dico vobis, quærent intrare et non poterunt. (*Luc. XIII. 24.*)

*Contendite :* quia nisi mentis contentio ferveat, unda mundi non vincitur, per quam anima semper ad ima revocatur. (*Gregorius.*)

Significanter igitur de utraque via locutus, dixit; quod per latam multi ambulant, an-

gustam pauci inveniunt: latam enim non quærimus, nec inventione opus est, quia sponte se offert, et errantium via est : angustam vero nec omnes inveniunt, nec qui invenerint statim ingrediuntur per eam; si quidem multi, inventa veritatis via, capti voluptatibus sæculi, de medio itinere revertuntur. (*Hieronymus.*)

## AD QUARTAM HORAM.

### De Domino et servo, discipulo et magistro.

I. — Non est discipulus super magistrum. (*Matth. X. 24. — Luc. VI. 40.*)

Nec servus super dominum suum. (*Matth. X. 24.*)

Dominus enim lumen æternum, dux credentium, et immortalitatis parens, discipulis suis futurarum passionum solatium ante præmisit; ut gloriæ loco amplectamur, si Domino nostro vel passionibus adæquemur. (*Hilarius.*)

II. — Sufficit discipulo, ut sit sicut magister ejus. (*Matth. X. 25.*) Perfectus omnis erit, si sit sicut magister ejus. (*Luc. VI. 40.*)

Si magister Christus, qui quasi Deus potuit suas ulcisci injurias, maluit persecutores patiendo reddere mitiores; eamdem necesse est quod discipuli, qui puri homines sunt, regulam perfectionis sequantur. (*Beda.*)



III. — Et servo sufficit ut sit sicut dominus ejus. (*Matth. X. 25.*)

Si patrem familias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus.

Ne ergo timueritis eos. (*Matth. X. 25, 26.*)

Quasi dicat : Vos ergo temporales honores et humanam gloriam non quæratis, dum me videtis per irrisiones et opprobria genus humanum redimere. (*Remigius.*)

Non solum autem dixit : Si domus dominum conviciati sunt : sed ipsam speciem convicii, quoniam Beelzebub eum vocaverunt. (*Chrysostomus.*)

Post præmissam consolationem, aliam non minorem subjungit dicens : *Ne ergo timueritis eos*, scilicet persecutores. (*Remigius.*)

## AD QUINTAM HORAM.

### De operto et aperto.

I. — Nihil est opertum, quod non revelabitur : et occultum quod non scietur. (*Matth. X. 26. — Luc. XII 2.*)

Non est aliquid absconditum quod non manifestetur : nec factum est occultum.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

(*Marc. IV. 22.*) Quod non cognoscatur et in palam veniat. (*Luc. VIII. 17.*)

Quomodo ergo in præsenti sæculo multorum vitia nesciuntur? Sed de futuro tempore scribitur : " quando judicabit Deus occulta hominum, et manifestabit consilia cordium." (*I. Corinth. IV.*) Et est sensus : Nolite timere persecutorum sævitiam, et blasphemantium rabiem : quia veniet dies judicii, in quo et vestra virtus, et illorum nequitia demonstrabitur. (*Hieronymus.*)

II. — Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine : et quod in aure auditis, prædicate super tecta. (*Matth. X. 27.*

Deinde quia eos ab omni timore liberaverat, et altiores opprobriis fecerat; nunc opportuno tempore, eis loquitur de libera propalatione, quæ est in prædicatione. (*Chrysostomus.*)

III. — Multis autem turbis circumstantibus, ita ut se invicem conculcarent, cœpit dicere ad discipulos suos : Attendite a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis. (*Luc. XII. 1.*)

Quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur. (*Luc. XII. 3.*)

Vult hypocrita malus quidem esse, bonus autem videri : frustrabitur sua spe, dum,



Deo justo judice faciente, malitia ipsius toti mundo innotescet, magno ipsius probro; quemadmodum evidenter accidit Pharisæis. Quare recte scribit in hunc locum V. Beda : "Est ergo sensus : Attendite ne æmulemini simulatores : quia veniet profecto tempus, in quo et vestra virtus omnibus, et eorum reveletur hypocrisis." (*Natalis Alexander, ibid.*)

IV. — Et quod in aurem locuti estis in cubiculis, prædicabitur in tectis. (*Luc. XII. 3.*)

Observandæ antitheses, tenebrarum et luminis, locutionis in aurem et prædicationis, denique cubiculorum et tectorum; prædicare enim est rem palam omnibus aperire atque annuntiare. Ergo *prædicabitur in tectis*, inquit Beda; cunctis audientibus palam dicetur.

Cavete itaque, vult dicere Salvator; ne quid dicatis, faciatisve aut cogitetis, etiam soli, quod nolitis aliquando ab omnibus sciri; quia potius vita vestra omni careat fuco. Nam et Pharisæorum simulatio suo tempore manifesta reddetur, notumque fiet omnibus quanta scelera texerint, ea quæ objiciunt hominum oculis imagine sanctitatis, præsertim vero odium injustissimum mei, missi ad ipsos universumque Israel salvandos. (*Natalis Alexander.*)

## AD SEXTAM HORAM.

### De spiritu immundo revertente.

I. — Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, et non invenit.

Tunc dicit : Revertar in domum meam unde exivi. (*Matth. XII. 43, 44.*)

Ideo videtur Christus dixisse, ut ostenderet pejores esse Judæos, quam si nunquam Dei legem et cognitionem accepissent. Cum enim per legem, diabolus quodammodo ab eis ejectus esset, contempta Dei gratia, digni facti sunt ut septem in eos, pro uno immundo spiritu, spiritus ingrederentur.

*Immundus spiritus*, ita dæmon appellatur ob peccati labem, qua inquinatus est, et quia homines ad peccatorum sordes suscipiendas sollicitat.

*Ambulat per loca arida.* Per deserta et solitudines. Cogebantur enim dæmones ab hominum corporibus pulsi a Christo, ne hominibus nocerent, loca deserta et arida petere. Sic Angelus Raphaël, (*Tobiæ VIII.*) dæmonem in deserto superioris Ægypti relegasse dicitur. *Quærens requiem et non invenit*, quia nimirum nemini nocere potest; in quo dæmon suam quasi requiem et voluptatem constituit. (*Menochius.*)



II. — Et veniens invenit eam vacantem scopis mundatam, et ornatam. (*Mat. XII. 44.*)

Rediens autem ad domum suam unde exierat, *invenit eam vacantem*, a bonis actibus per negligentiam; *scopis mundatam* scilicet a vitiis pristinis per baptismum (vel pœnitentiam); *ornatam* simulatis virtutibus per hypocrisim. (*Rabanus.*)

Unde per hæc verba signat Dominus quosdam ita crediturus, ut non possint ferre laborem continentiæ, et ad sæculum redituri sint. (*Augustinus.*)

III. — Tunc vadit et assumit septem alios spiritus secum nequiores se, et intrantes habitant ibi. (*Matth. XII. 45.*)

Nihil aliud significat quam eos qui boni fuerunt, si quando, contempta divina gratia mali fiant, pessimos fieri solere, quasi pro uno spiritu immundo septem in illos ingrediantur. (*Menochius.*)

IV. — Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. (*Matth. XII. 45.*)

Experimur hoc quotidie. Nulli pejores hæretici, quam qui, cum boni aliquando catholici fuissent, divinam aspernati gratiam, et catholicæ fidei simplicitatem, quasi cibum levissimum fastidientes, et juxta ollas car-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nium sederent, hæretici facti sunt; id est, in Ægyptum, unde per fidem exierunt, perdita fide redierunt. Nulli pejores catholici, quam qui cum aliquando religiosissimi fuissent, non bene tenuerunt, quod habebant. Ut verissime dixerit Augustinus, se non vidisse meliores quam qui in monasteriis profecerunt, neque pejores, quam qui a monasteriis defecerunt. (*Vide. Curs. Comp. ibid.*)

## MEDITATIO CCCLXVI.

### PRO ANNO BISSEXTILI.

#### De extremo judicio.

1. — Cum venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ.

Et congregabuntur ante eum omnes gentes : et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis.

Et statuet oves quidem a dextris suis, hædos autem a sinistris. (*Matth. XXIV. 31, 32, 33.*)

Est autem hæc pars delectabilissima, quam continue in animo vertentes, cum studio audiamus, et omni compunctione : nam et ipse Christus terribilius et lucidius hunc pertractat sermonem. Idcirco non



dicit de cetero : Simile factum est regnum cœlorum, sed revelare seipsum ostendit. (*Chrysostomus.*)

Notandum quod qui in majestate cernendus est, Filius hominis sit. (*Hieronymus.*)

Cum gloria huc revertetur, ut corpus ejus sit quale fuit cum transfiguratus fuit in monte. (*Origenes.*)

Descendet cum Angelis, quos advocabit de supernis locis ad faciendum judicium. (*Augustinus.*)

Omnes enim Angeli cum ipso aderunt, testantes et ipsi quantum administraverunt, missi a Domino ad hominum salutem. (*Chrysostomus.*)

*Et congregabuntur, etc.* His verbis vera hominis futura demonstratur resurrectio. (*Remigius.*)

Hæc autem congregatio per ministerium angelicum fiet, quibus in (*Psalm. XLIX.*) dicitur : " Congregate illi sanctos ejus. " (*Augustinus.*)

Quamdiu ergo iniqui nec se cognoscunt nec Christum, vel justi per speculum in ænigmate vident, tamdiu non sunt segregati boni a malis : cum autem propter manifestationem Filii Dei, omnes ad intellectum venerint suum, tunc Salvator segregabit bonos a malis. Oves autem dicti sunt qui salvantur, propter mansuetudinem quam didicerunt ab eo qui dixit: (*Matth. XI.*) " Discite a me quia mitis sum; " et propter quod usque

ad occisionem parati fuerunt venire : imitantes Christum qui sicut ovis ad occisionem ductus est. (*Isai. LIII.*) Hædi autem dicuntur mali, qui aspera et dura saxa adscendunt, et per præcipitia eorum incedunt. (*Origenes.*)

Sancti qui dextera operati sunt, acceperunt pro mercede suorum dexterorum dexteram regis, in qua requies et gloria est : mali vero propter opera sua pessima et sinistra, ceciderunt in sinistram, idest in tristitiam tormentorum. (*Origenes.*)

II. — Tunc dicet rex his qui a dextris ejus erunt : Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.

Esurivi enim, et dedistis mihi manducare ; sitivi, et dedistis mihi bibere. (*Matth. XXV. 34, 35.*)

Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. (*Matth. XXV. 40.*)

Nota quod non dixit, Accipite, sed *possidete*, sive hereditate, sicut familiaria bona, sive paterna; sicut vestra vobis antiquitus debita. (*Chrysostomus.*)

Sed dicet aliquis : Regnare nolo, sufficit mihi salvum esse : sed si est aliqua differentia inter regnantes et non regnantes, oportet tamen ut in uno regno sint omnes, ne in



hostium aut aliorum numero deputentur, et ceteris regnantibus ipsi pereant. Omnes enim Romani romanum regnum possident, quamvis non omnes in eo regnent. (*Augustinus.*)

Et notandum, quod in hoc loco sex opera misericordiæ a Domino commemorantur, quæ quicumque implere studuerit, regnum a constitutione mundi præparatum electis, percipere merebitur.

Libera quidem nobis erat intelligentia, quod in omni paupere Christus esuriens pasceretur, sitiens potaretur, et sic de aliis; sed ex hoc quod sequitur, *quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis*, etc., non mihi videtur generaliter dixisse de pauperibus, sed de his qui pauperes spiritu sunt; ad quos extendens manum dixerat : (*Matth. XII.*) " Fratres mei sunt qui faciunt voluntatem Patris mei. (*Hieronymus.*)

Sed si fratres ejus sunt, quare eos minimos vocat? Propter hoc quia sunt humiles, quia pauperes, quia abjecti. Non autem per hos, monachos solum intelligit qui ab omnibus secesserunt; sed unumquemque fidelem, etiam si fuerit sæcularis, et fuerit esuriens, aut aliud hujusmodi, vult misericordiæ procuratione potiri : fratrem enim baptisma facit et mysteriorum communicatio. (*Chrysostomus.*)

III. — Tunc dicet his qui a sinistris erunt : Discedite a me maledicti in ignem

æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.

Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi potum. (*Matth. XXV. 41, 42.*)

Amen dico vobis : Quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis.

Et ibunt hi in supplicium æternum : justi autem in vitam æternam. (*Matth. XXV. 45, 46.*)

Sicut justis dixerat, *Venite*, ita et injustis dicit, *Discedite;* nam propinqui sunt Verbo qui servant Dei mandatum, et vocantur ut adhuc propinquiores efficiantur : longe autem ab eo sunt, etsi videantur ei assistere, qui non faciunt mandata ipsius.

Qui autem recedunt a Jesu, decidunt in ignem æternum. (*Origenes.*)

Ignis autem ille corporeus erit, et cruciabit hujusmodi corpora cum spiritibus : dæmones autem spiritus sine corporibus. (*Augustinus.*)

Intuere autem quia non in uno tantum vel duobus; sed in omnibus misericordiam deseruerunt : non enim esurientem solum non cibaverunt, sed neque quod levius erat, infirmum visitaverunt. Et vide qualiter levia injungit : non enim dixit : In carcere eram, et non eripuistis me, infirmus eram et



non curastis me; sed, Non visitastis, et non venistis ad me. In esuriendo etiam non pretiosam petit mensam, sed necessarium cibum. Omnia ergo sufficientia sunt ad pœnam. Primo quidem facilitas petitionis, panis enim erat : secundo miseria ejus qui petebat, pauper enim erat : tertio compassio naturæ, homo enim erat; quarto desiderium promissionis, regnum enim promisit; quinto dignitas ejus qui accipiebat, Deus enim erat qui per pauperes accipiebat; sexto superabundantia honoris, quoniam dignatus est ab hominibus accipere : septimo justitia dationis, ex suis enim a nobis accipit : sed contra universa hæc homines per avaritiam excæcantur. (*Chrysostomus.*)

Attende quoniam, cum prius dixisset, *Venite benedicti*, deinde, *Discedite maledicti;* propterea quod proprium boni Dei est primum recordari benefacta bonorum, quam malefacta malorum : hic prius nominat pœnam malorum, deinde vitam bonorum : ut primum quæ timoris sunt, evitemus mala : postea quæ honoris sunt, appetamus bona. (*Origenes.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# MODI MEDITANDI

## accommodati singulis partibus Monotessari.

### PRO PARTE I ET II.

**Modus universalis meditandi mysteria Domini nostri Jesu Christi.**

Singulis materiæ dispositæ punctis, adhibenda sunt puncta tria formulæ, sive modi meditandi.

Primum punctum est consideratio personarum.

Secundum punctum est audire omnia verba quæ locutæ sunt illæ personæ.

Tertium punctum est attendere earumdem personarum omnes, aut præcipuas saltem actiones, et ex adverso passiones.

### PRO PARTE III.

**Modus meditandi miraculum.**

1° Considerandum quæ in eo transcendentia vires naturæ contineantur.

2° Quæ fuerit causa illius instrumentalis, seu quo instrumento Deus fuerit usus in eo faciendo.

3° Quæ motiva et rationes fuerint faciendi miraculum.



4° Qui inde secuti effectus, alii præter miraculosum, in diversis, vel in eo saltem circa quem contigit miraculum.

5° Qui inde fructus hauriri possunt a nobis.

### PRO PARTE IV.

**Modus meditandi Parabolas.**

1° Tota Parabola, secundum substantiam et adjuncta, perfecte concipienda.

2° Inquirendum quid significet Parabola. Quædam ab ipsomet Christo explicatæ sunt: aliæ declarantur a Doctoribus.

3° Facienda applicatio Parabolæ cum significato, per considerationem similitudinis vel dissimilitudinis inter parabolam et rem significatam, juxta scopum qui in Parabola potissimum quærebatur.

4° Perpendendum quid, in aliis, ex hac parabola fuerit secutum.

5° Ducendus pro meditante fructus.

### PRO PARTE V.

**Modus meditandi Præcepta et Consilia Christi.**

1° Videndum, quid prohibeat, vel jubeat, vel consulat Christus.

2° An rationabiliter, et quas ob causas.

3° Considerandum fructus, vel damna quæ ex observatione vel neglectu consequerentur.

4° Introducuntur ei qui præcepta vel consilia observarunt aut neglexerunt, habita



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

ratione fructus et utilitatis, vel damni quod experti sunt.

5° Quomodo ego huc usque in observatione, vel neglectu eorum habuerim et habiturus sim deinceps.

## PRO PARTE VI.

### Varii modi meditandi Passionem Dominicam.

I. — *Modus communis.*

1° Consideretur quæ et qualis sit actio vel Passio principalis in proposito Puncto : item quæ talis actionis vel Passionis circumstantiæ ; nimirum loci, temporis, modi, etc. Juxta vulgarem illum versum :

*Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando?*

2° Ex rebus his consideratis colliguntur virtutes, tum aliorum, tum præsertim Christi patientis.

3° Expenditur, quam heroicæ, seu difficiles virtutes illæ fuerint.

4° Applicationem ad se facit meditans; examinando, an easdem virtutes et cum talibus difficultatibus, exercuerit, et quid facturus sit in posterum.

II. — *Modus meditandi de septem effusionibus sanguinis, ad detestanda peccata.*

1° Considerandum, quam pretiosum et copiosum sanguinem, in proposita effusione



Christus profuderit, ut peccatorum sordes elueret.

2° Quanta peccatorum fœditas ac turpitudo esse debeat, quibus eluendis tam pretiosus atque copiosus sanguis profundendus erat.

3° Quam decet igitur, ut homines peccata tam turpia, cum horrore detestentur.

4° Utrum ego, cum horrore hucusque peccatorum turpitudinem detestatus fuerim, et quomodo deinceps detestaturus sim.

Septem autem effusiones sanguinis hæc sunt.

1ª In horto, cum sanguineum sudavit sudorem.

2ª In domo Caiphæ, cum vapulavit a ministro.

3ª In flagellatione.

4ª In coronatione.

5ª In abstractione vestium.

6ª In crucifixione.

7ª In lateris aperitione.

III. — *Modus meditandi de pœnis quinque sensuum Corporis Christi, ad compatiendum Christo.*

1° Considera quæ pœnæ proposito sensui Christi fuerint allatæ.

2° Quantos dolores ex ejusmodi pœnis senserit idem sensus, tum propter Christi teneritudinem ac debilitatem; tum propter tortorum multitudinem, promptitudinem,

impietatem, immanitatem ; tum propter pœnarum copiam, varietatem, durationem, continuitatem ; tum denique per absentiam omnis consolationis.

3° An non pœnæ tales, et tanti ex pœnis secuti dolores mereantur miserationem hominum : cum præsertim Christus et illas et istos tulerit, ne ferre urgerentur homines!

4° Quomodo tu hactenus Christi pœnas et dolores miseratus, et in posterum miseraturus sis?

IV. — *Modus meditandi de Damnis animæ, corporis et fortunarum Christi, ad præstandam gratitudinem beneficio Passionis Christi.*

1° Perpende quanta et qualia damna Christus perpessus fuerit in anima, vel corpore, vel fortunis!

2° Qualia et quanta dum bona contulerit tum mala sustulerit; non omnibus tantum, sed singulis etiam hominibus, talis ac tanta perpessio Christi.

3° Quanta incumbat necessitas simul omnibus et singulis hominibus, ut beneficiis tam eximiis gratos se exhibeant, recognoscendo, meditando, prædicando, et compensando illa mutuis tam operationibus et passionibus.

4° An necessariam hanc tu gratitudinem iisdem beneficiis retuleris hucusque, et quam in posterum relaturus sis.



V. — *Modus meditandi de septem itineribus Christi, ad miranda Dei mirabilia.*

1° Considera quæ Christus in proposito itinere sustinuerit incommoda.

2° Quam conveniens talis sustinentia fuerit ad fines a Christo patiente intentos; nimirum ad cœlestis Patris gloriam, ad exaltationem Christi, ad Dæmonis subjectionem, ad hominis illuminationem, inflammationem, corroborationem, consolationem, subventionem, erectionem ad ardua; denique ad vitæ christianæ, quæ in cruce, paupertate, humilitate contemptu consistit, excitationem.

3° Quam porro convenientia talis mira sit et miranda, non tam speculative quam practice; hoc est consideranda, æstimanda ac veneranda.

4° An tu convenientiam talem Passionis cum istis finibus, hactenus practice miratus fueris et qui deinceps miraturus sis.

Septem itinera sunt.

A. A Cœna in hortum Gethsemani.

B. Ab Horto ad domum Annæ.

C. Ab Annæ domo, ad Palatium Caiphæ.

D. A Palatio Caiphæ ad Prætorium Pilati.

E. A Prætorio Pilati ad regiam Herodis.

F. A regia Herodis rursus ad Prætorium Pilati.

G. A Prætorio ad montem Calvariæ.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

VI. — *Quænam perpendenda sint in meditatione Passionis Christi.*

Ex R. P. Antonio Gaudier S. J. Introductio ad Perfectionem C. XXIX. § 7.

Ea potissimum sunt quinque.

Primum est : Illum qui patitur esse Deum majestatis et hominem sanctissimum, innocentissimum, justissimum, liberalissimum, qui tota vita nil ulli mali, sed omnibus bene fecit.

Sic te decet post sanctam et laudabilem atque omnibus utilem vitam, aliud nihil exspectare quam adversa, si ei similis esse cupis.

Secundum est : Quid patiatur? Exterius, nuditatem et paupertatem extremam, contumelias et opprobria infinitæ ejus sanctitati, sapientiæ et potentiæ injuriosa. Amicorum fugam et derelictionem ; dolores vehementissimos in omnibus membris et sensibus.

Interius vero ariditates, anxietates et desolationes, ac vehementem et continuam tristitiam, sine consolatione ulla, ob injurias Deo irrigatas, atque tot animarum perditionem : timores, tædia, agoniam ad sudorem usque sanguinis. Nam tantum internos dolores admisit quantum ferre potuit, ad Dei gloriam et nostram salutem.

Tertium est : A quibus passus sit?

Ab iis nempe a quibus honorari et amari debebat, omnis generis et conditionis hominibus, Judæis et Gentibus, Regibus et Gubernatoribus, Pontificibus, Sacerdotibus, Pharisæis (*qui eo tempore erant aliis religiosiores*) doctis, indoctis, aulicis, militibus.



Hi omnes præter vehementes invidiæ, ambitionis, avaritiæ et id genus passiones contra Christum, ab ipsis dæmonibus incitabantur acrius ut nulla in re illi parcerent, nihil ei reliquum in bonis, in fama et honore, in corpore, in vita facerent.

Adde et discipulorum fugam, Petri negationem, Patris permissionem, adeo ut nullum plane videretur habere ad quem confugeret.

Quartum est : Pro quibus patitur?

Nempe pro nobis ; atque adeo ut omnia et singula peccata nostra expiaret, nobis virtutes omnes et gratias etiam singulas impetraret : Nobis inquam, qui ab eo alieni eramus, nam pro ipsis crucifixoribus suis, quibus et peccatorum remissionem et veniam suo sanguine et lacrymis a Deo Patre obtinebat.

Quintum est : Quomodo passus est?

Nempe tanto cum amore, ardore, zelo! nam oblatus est quia ipse voluit : voluit vero cum ardenti desiderio gloriæ Dei reparandæ et satisfaciendi ejus justitiæ. Itaque erat desiderium hoc ex vero Dei amore profluens insatiabile, adeo ut longe plura pati exoptaret. Item cum tanta humilitate, obedientia et subjectione erga Patrem, tanta patientia, suavitate, atque mansuetudine!

## VII. — *Modus Passionem Christi meditandi versibus conscriptus*

a R. P. Joanne Buseo, S. J.

Quis patitur? Christus, verbum, sapientia Patris.
Quid patitur? Spinas, verbera, sputa, crucem.
Pro quibus hæc patitur? Pro nostra hominumque salute.
A quibus hæc patitur? Ab omni ex stirpe suorum.
Sed quando patitur? Quando fuit juvenis
Hæc ubinam patitur? Medio telluris in orbe.
Quomodo tanta tulit? Proferat ipse modum.

Alius Sidronii Hoschii, S. J.

Quis patitur? Rerum Dominus, de numine numen.
Quid patitur? Lacero corpore mille neces.
Pro quibus? Ingrata pro turba et Gente rebelli.
Cur? Nos carnifices servet ipse suos.
Quis locus? Infamis pœnis et morte nocentum.
Quando? Cum poterant facta probare Deum.
A quibus? A notis avito sanguine junctis.
Quomodo? Non servans ullum in amore modum.

### *Pii erga Christum patientem affectus eodem auctore.*

1. — *Admirationis.*

Quis satis hoc capiat, pro me per vulnera mille
Et potuisse Deum, nec dubitasse mori.

2. — *Commiserationis.*

Si specto siccis oculis tua vulnera Christe
Sum cruce, sum clavis durior ipse tuis.

3. — *Doloris.*

Pœnitet, et merito lacrymis non illa pietur
Quæ ibi, magne Deus, sanguine culpa stetit.

4. — *Grati animi.*

Ut fuso tibi Christe feram pro sanguine grates
Nulla satis longum sæcula tempus erunt.



5. — *Spei.*

Spes fugit, ante oculos mea dum mihi crimina pono
Cum tua respicio vulnera Christe, redit.

6. — *Amoris.*

Me pete, Amor, telis in Christi sanguine tinctis
Quem læsi toties, sic ego læsus amem.

7. — *Imitationis.*

Christe mihi dux es, quæ belli præmia sperem,
Si quo dux ieris, non ego miles eam?

## PRO PARTE VII.

### Modus meditandi mysteria Resurrectionis Domini.

1° Considera quomodo Christi Divinitas, Passionis et mortis tempore abscondita, palam se faciat in proposito mysterio Resurrectionis, quantisque miraculis elucescat.

2° Quibus obsequiis hanc Divinitatis gloriam prosecuti fuerint tum Angeli, tum Patres, tum discipuli ac discipulæ ejus in eodem mysterio.

3° Quam deceat, ut eamdem Divinitatem similibus prosequantur obsequiis universi homines.

4° An et quibus obsequiis tu Christum redivivum prosecutus et prosecuturus sis.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# INDEX MEDITATIONUM

PRÆFATIO P. Heser . . . . . 1.

## PARS I.

**Christi ortum, infantiam, pueritiam et reliquum vitæ usque ad annum ætatis trigesimum complectens.**

I. Gabriel Angelus legatus Dei ad Mariam Virginem. . . . . 1
II. Gabriel mysterium Incarnationis explicat Mariæ. . . . . 6
III. Gabriel miraculum miraculo confirmat. Virgo consentit, concipitur Christus. . . . . 8
IV. Maria visitat Elisabetham . . . 10
V. Elisabeth Mariam laudibus extollit . 11
VI. Joseph ab Angelo de divino Virginis conceptu monetur . . . . 15
VII. Joseph accipit Mariam conjugem suam . . . . . 16
VIII. Joseph cum conjuge sua proficiscitur Bethleem. . . . . 18
IX. Christus in Bethleem nascitur . . 19
X. Christus in Bethleem natus nunciatur ab Angelo Pastoribus . . . 20
XI. De adventu Pastorum in stabulum . 22
XII. De Circumcisione Domini. . . . 24
XIII. De adventu Magorum . . . . 25
XIV. De adventu Magorum in Bethleem . 27
XV. De Purificatione Mariæ et Præsentatione Domini . . . . . 29
XVI. Simeon ductus a Spiritu sancto venit in templum . . . . . 30
XVII. Simeon de Christo vaticinatur . . 33
XVIII. Anna prophetissa Christum prædicat. 34



XIX. Indicitur ab Angelo fuga in Ægyptum . . . . . 35
XX. Cædes Innocentium pro Christo martyrum . . . . . 37
XXI. Angeli monitu revocatur ab exsilio . 39
XXII. Jesus duodennis, insciis parentibus manet Hierosolymam. . . . 40
XXIII. Jesus post triduum inventus in templo . . . . . 42
XXIV. De vita Christi ab anno ætatis duodecimo ad trigesimum . . . 44
XXV. Genealogia D. N. Jesu Christi. . 45

## PARS II.

**Continens acta præcipua Domini nostri Jesu Christi, ab anno ætatis trigesimo.**

XXVI. Christus venit ad Joannem ab eo baptizandus . . . . . 52
XXVII. Quæ in hoc baptismate evenerunt mirabilia . . . . . 54
XXVIII. Christi quadragesimale jejunium in deserto . . . . . 56
XXIX. Christus ter a diabolo tentatus vincit . . . . . 58
XXX. De prima vocatione Andreæ, ad solam quamdam Christi notitiam . 62
XXXI. De prima vocatione Petri, ad solam itidem Christi notitiam . . 64
XXXII. De vocatione Philippi . . . . 65
XXXIII. De vocatione Nathanaelis . . 66
XXXIV. De secunda Petri aliorumque vocatione ad sequelam solum temporalem, cum animo revertendi ad piscationem. . . . . 68

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

XXXV. De vocatione Petri et Andreæ ad perpetuam sequelam . . . 71
XXXVI. De vocatione filiorum Zebedæi Joannis et Jacobi. . . . . 72
XXXVII. Christus adest nuptias in Cana Galilææ. . . . . 74
XXXVIII. Christus in eisdem nuptiis primum patravit miraculum . . . 75
XXXIX. De fugatis e templo negotiatoribus prima vice . . . . . 77
XL. Nocturnum Christi cum Nicodemo colloquium . . . . . 79
XLI. De sedata maris tempestate . . 82
XLII. De vocatione Matthæi . . . . 86
XLIII. De conversione Mariæ Magdalenæ. 87
XLIV. Christus per parabolam corripit Simonem cominantem . . . . 88
XLV. Christus Magdalenam egregie defendit. . . . . 90
XLVI. Christus peccata dimittit Magdalenæ. 19
XLVII. De missis ad prædicandum Apostolis. 93
XLVIII. De quinque millium hominum refectione. . . . . 97
XLIX. Christus tentat discipulorum fidem. 100
L. Christus benedicit et multiplicat panes. . . . . 102
LI. De ambulatione Christi super aquas. 107
LII. De ambulatione Petri super aquas. 110
LIII. De quatuor millium hominum iterata refectione . . . . . 112
LIV. Petro claves regni Cœlorum promittuntur. . . . . 115
LV. De Transfiguratione Christi . . 118
LVI. De voce Patris cœlitus elapsa. . 120
LVII. Discipuli prohibentur hanc visionem evulgari . . . . . 123
LVIII. Christus pro se et Petro solvit didrachma . . . . . 124





LIX. Christus clam ad festum tabernaculorum proficiscitur. . . 126
LX. Mulierem in adulterio deprehensam dimittit . . . . . 129
LXI. Septuaginta discipulos designat et instructos prædicatum mittit. 132
LXII. Christus formulam prædicandi tradit. 135
LXIII. Christus parvulos amplectitur et manus eis imponit . . . 138
LXIV. Christus certior factus de Lazari infirmitate . . . . . 140
LXV. Christus quarto primum die Bethaniam venit . . . . . 141
LXVI. Christus antequam Lazarum suscitet, Marthæ fidem extimulat . 144
LXVII. Maria soror Lazari Christum accedit . . . . . 146
LXVIII. Christus infremit spiritu, turbat seipsum et lacrymatur . . 147
LXIX. Lazarus a mortuis resuscitatur . 150
LXX. De Cœna ad Bethaniam . . . 151
LXXI. Indignantur discipuli, præcipue Judas de effusione unguenti . 153
LXXII. Excusat et defendit Christus Magdalenam . . . . . 155
LXXIII. Christus asinam et pullum sibi adduci præcipit . . . . . 157
LXXIV. Jesus asinam conscendit Apostolorum vestibus instratam . . . 160
LXXV. De glorioso ingressu Christi Hierosolymam . . . . . 162
LXXVI. De invidis sermonibus Pharisæorum . . . . . 164
LXXVII. Jesus flet super Jerusalem eamque prædicit evertendam. . . 166
LXXVIII. De ejectis altera vice venditoribus, et de prædicatione Christi in templo . . . . . 170


UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

LXXIX. Ficulnea maledictione Christi exarescit . . . . 173
LXXX. Oblatio pauperis viduæ præfertur oblationibus divitum . 177

## PARS III.

**De miraculis patratis inter ægros et male habentes; quam proinde Nosocomium Domini nostri Jesu Christi nominabimus.**

LXXXI. Christus duobus cæsis restituit visum . . . . . 180
LXXXII. Cæcus et mutus, a dæmonio liberatus, videt et loquitur . 183
LXXXIII. Cæcus Bethsaïdæ curatur. . 183
LXXXIV. Christus aperit oculos cæci nati. 185
LXXXV. Qui cæcus fuerat miraculum narrat vicinis . . . . 187
LXXXVI. Idem qui cæcus fuit examinatur a Pharisæis . . . . 189
LXXXVII. Vocantur parentes ejus qui cæcus natus fuit. . . . 191
LXXXVIII. Rursus ad concilium vocatur ille a nativitate cæcus . . . 193
LXXXIX. Cæcus ille tandem ejicitur e synagoga. . . . . 195
XC. Cæcus credit Jesum esse Filium Dei eumque adorat. . . 197
XCI. Christus, occasione hujus miraculi, perstringit Pharisæorum cæcitatem . . . . 198
XCII. Cæco mendico restituitur visus antequam Christus ingrederetur Jericho . . . . . 199



XCIII. Cæco alteri mendico restituitur visus, postquam egressus est ex Jericho . . . . . 202
XCIV. Christus Jericho digressus duos cæcos illuminat . . . . 204
XCV. Christus cæcos et claudos curat in templo . . . . . 206
XCVI. Christus mulierem 18 annis infirmam sabbato sanat . . . . 207
XCVII. Obsessus a dæmone liberatur in synagoga . . . . . 211
XCVIII. Christus Capharnaï multos dæmones ejicit . . . . . 214
XCIX. Christus in regione Gerasenorum duos dæmoniacos curat . . 215
C. Dira sors hominis a dæmonibus obsessi . . . . . 216
CI. Dæmones ab hominibus exire jubet. 220
CII. Dæmonibus ire concessum in porcos. 223
CIII. Geraseni exeunt ad Christum et hominem curatum vident . . 224
CIV. Christus eum qui curatus fuerat, sequi se volentem remittit ad suam domum . . . . . 226
CV. Dæmonium mutum ejicitur . . 228
CVI. Dæmones confitentur Christum esse Deum . . . . . 229
CVII. Cæcus et mutus, expulso dæmone, videt et loquitur . . . . 230
CVIII. Christus calumnias Pharisæorum, et Scribarum confutat . . . 232
CIX. Filia Chananææ liberatur a dæmonio. 235
CX. Dæmon quem ejicere discipuli non potuerunt, pellitur a Christo. . 239
CXI. Accuratior ejusdem rei descriptio ex sancto Marco. . . . . 242
CXII. Quam ob causam discipuli non potuerunt ejicere hoc dæmonium . 246

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CXIII. Reguli filius febricitatus Christi verbo sanatur . . . . 248
CXIV. Socrus Petri magnis febribus liberatur . . . . . 251
CXV. Mulier sanguinis profluvio laborans sanatur . . . . 253
CXVI. Christus hydropicum curat . . 257
CXVII. Leprosus tactu sanatur a Christo. 259
CXVIII. Decem leprosi mundantur, unicus gratias agit. . . . . 263
CXIX. Manco manum aridam Christus restituit . . . . . 265
CXX. Morbidus per 38 annos sabbato curatur . . . . . 268
CXXI. Christus factum istud a calumniis Judæorum defendit . . 272
CXXII. Jairus Christum deprecatur pro filia sua moribunda. . . 275
CXXIII. Filia Jairi nuntiatur mortua : Christus eam resuscitat . . 277
CXXIV. Filius unius viduæ mortuus suscitatur a Christo . . . 281
CXXV. Lazarus ante quatriduanum mortuus vitæ restituitur. . . 283
CXXVI. Christus Malcho abscissam aurem restituit . . . . . 287
CXXVII. Mutus, cæcus, simulque a dæmone obsessus, linguam et oculos recipit . . . . . 289
CXXVIII. Mutus et surdus aures ac linguam recipit . . . . . 289
CXXIX. Christus paralytico dimittit prius peccata . . . . . 291
CXXX. Christus, dimissis paralytico peccatis, eumdem sanitati restituit . . . . . 294
CXXXI. Servi paralytici herus mittit seniores Judæorum ad Christum. 297





CXXXII. Idem herus centurio Christum per amicos adit, et alloquitur. 299
CXXXIII. Centurio denique Christum adit et servus paralyticus verbo sanatur . . . . . 300
CXXXIV. Christus aperit aures surdi et vinculum linguæ solvit eidem. 303
CXXXV. Christus prædicans et sanans obit totam Galilæam . . 303
Alia Meditatio ex capite ix. Matthæi. . . . . 385
CXXXVI. Christus Capharnaï multos infirmos curat . . . . . 307
CXXXVII. Christus omne genus morborum sanat in loco campestri. . 309
CXXXVIII. Christus in regione Genesareth omnes male habentes sanitati restituit. . . . . 310
Alia Meditatio ex sancto Marco. 312
CXXXIX. Christus plurimos ægros sanat in monte. . . . . 313


## PARS IV.

### De Doctrina Christi.


Præmeditatio . . . . . 315


### I. De Doctrina quam Christus per Parabolas tradidit.


CXL. Parabola prima. Puerorum canentium et lamentantium . 318
CXLI. Parabola secunda. Seminantis semen . . . . . 320
CXLII. Cur Christus locutus est in parabolis . . . . . 323
CXLIII. Expositio præcedentis Parabolæ. 327




UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CXLIV. Parabola tertia. Tritici et Zizaniorum . . . . . 330
CXLV. Expositio præcedentis parabolæ. 333
CXLVI. Parabola quarta. Grani Sinapis . 336
CXLVII. Eadem parabola . . . . . 338
CXLVIII. Parabola quinta. Fermenti in tribus farinæ satis . . . . . 340
CXLIX. Parabola sexta. Thesauri abscondíti in agro. . . . . 342
CL. Parabola septima. Margaritæ pretiosæ. . . . . 343
CLI. Parabola octava. Sagenæ missæ in mare . . . . . 345
CLII. Expositio Parabolæ præcedentis. 346
CLIII. Parabola nona. Servi cui Dominus omne debitum dimisit . . 347
CLIV. Ingratitudo et immisericordia servi illius. . . . . 350
CLV. Sententia Domini in servum nequam. . . . . 351
CLVI. Parabola decima. Boni Pastoris, Mercenarii, Ovium . . . 354
CLVII. Expositio. Quid sit Ostium? . 356
CLVIII. Expositio. Quid sit Pastor, quis Mercenarius? . . . . . 358
CLIX. Parabola undecima. Samaritani curantis eum qui incidit in latrones . . . . . 360
CLX. Parabola duodecima. Amici noctu petentis ab amico panes . 365
CLXI. Expositio præcedentis parabolæ. 367
CLXII. Parabola decima tertia. Divitis consolantis se et illa hac nocte mortui. 369
CLXIII. Parabola decima quarta. Servi vigilantis nocte et Dominum exspectantis. . . . . 372
CLXIV. Parabola decima quinta. Ficulneæ infrugiferæ quæ jubetur excidi . 375





CLXV. Parabola decima sexta. Angustæ portæ qua intratur ad cœlum. 376
CLXVI. Parabola decima septima. De captando inter convivas ultimo loco. . . . . 379
CLXVII. Parabola decima octava. De computandis sumptibus ante fabricam turris. . . . 381
CLXVIII. Parabola decima nona. Ovis centesimæ perditæ quam Pastor requisivit . . . . . 384
CLXIX. Parabola vigesima. Mulieris quærentis drachmam perditam. 387
CLXX. Parabola vigesima prima. Filii prodigi . . . . . 389
CLXXI. Miser in se revertitur, agit pœnitentiam et a patre denuo recipitur . . . . . 392
CLXXII. Filium natu majorem indigne ferentem pater placat . . . 394
CLXXIII. Parabola vigesima secunda. Villici iniqui facientis sibi amicos de mammona iniquitatis. . 397
CLXXIV. Parabola vigesima tertia. Divitis epulonis et Lazari mendici . 400
CLXXV. Divitis tormenta et Lazari solatia. 402
CLXXVI. Divitis cura in inferno de fratribus suis vivis . . . . . 404
CLXXVII. Parabola vigesima quarta. Iniqui Judicis et viduæ . . 406
CLXXVIII. Expositio præcedentis Parabolæ. 408
CLXXIX. Parabola vigesima quinta. Pharisæi et Publicani . . . . 409
CLXXX. Parabola vigesima sexta. De operariis in vineam conductis. 412
CLXXXI. Denarius idem singulis datur . 414
CLXXXII. Murmuratio adversus Patremfamilias . . . . . 415


UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CLXXXIII. Parabola vigesima septima. De decem mnis in servos ad negotiandum distributis . . 419
CLXXXIV. Servus nequam ex ore suo judicatur. . . . . 422
CLXXXV. Parabola vigesima octava. Duorum filiorum unius pœnitentis et patri obedientis, alterius fingentis se obedire . . 424
CLXXXVI. Parabola vigesima nona. Locatæ vineæ cujus conductores occiderunt Heri servos et filium. 427
CLXXXVII. Unici filii trucidatio . . 430
CLXXXVIII. Applicatio præcedentis parabolæ . . . . . 433
CLXXXIX. Parabola trigesima. De invitatis ad nuptias Filii a Rege . 435
CXC. Invitantur obvii quique ad nuptias : discumbens sine veste nuptiali ejicitur . . 438
CXCI. Parabola trigesima prima. De invitatis ad cœnam magnam. 442
CXCII. Parabola trigesima secunda. De decem virginibus, quarum quinque prudentes et quinque fatuæ . . . . . 445
CXCIII. Parabola trigesima tertia. De talentis in servos distributis . 450
CXCIV. A servo malo talentum aufertur. 454

## PARS V.

### II. De doctrina Christi quam claris verbis tradidit.

CXCV. Didagma primum. Christi cibus voluntatem Patris facere. 457



CXCVI. Didagma secundum. Christus invitat discipulos ut in opere Dei eum collaborent . . . . . 460
CXCVII. Didagma tertium. Christus tres se sequi cupientes instruxit . 462
CXCVIII. Didagma quartum. Cur discipuli Christi non jejunaverint . . 464
CXCIX. Didagma quintum. Prior doctrina confirmatur similitudinibus . 467
CC. Didagma sextum. De resuscitatione mortuorum . . . . . 469
CCI. Didagma septimum. Tria testimonia Divinitatis Christi ac primum a Joanne . . . . . 472
CCII. Didagma octavum. Alterum testimonium divinitatis Christi ab operibus. . . . . 474
CCIII. Didagma nonum. Tertium testimonium divinitatis Christi a Moyse. 477
CCIV. Didagma decimum. Discipuli sabbato spicas confricant, et a Christo contra Pharisæorum calumnias vindicantur. . . . 479
CCV. Didagma undecimum. De sermone Christi habito in monte ac primum de octo beatitudinibus . 483
CCVI. Didagma duodecimum. Exhortatio Christi ad recte utendum talentis. 488
CCVII. Didagma decimum tertium. Christus non venit solvere legem sed implere. 492
CCVIII. Didagma decimum quartum. Non irascendum proximo . . . 494
CCIX. Didagma decimum quintum. De quærenda reconciliatione . . 496
CCX. Didagma decimum sextum. De refrenenda concupiscentia . . 499
CCXI. Didagma decimum septimum. Non esse jurandum omnino. . . 501

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CCXII. Didagma decimum octavum. De pace quærenda . . 503

CCXIII. Didagma decimum nonum. De diligendis inimicis . . 506

CCXIV. Didagma vigesimum. De modo distribuendi eleemosynas . 509

CCXV. Didagma vigesimum primum. De modo recte orandi. . 512

CCXVI. Didagma vigesimum secundum. Formula precandi præscribitur . . . . 514

CCXVII. Didagma vigesimum tertium. De modo bene jejunandi . 517

CCXVIII. Didagma vigesimum quartum. Congregandos thesauros in cœlo . . . . . 519

CCXIX. Didagma vigesimum quintum. De oculo simplici et nequam . . . . . 521

CCXX. Didagma vigesimum sextum. Improbam terrenarum sollicitudinem ponendam . . 523

CCXXI. Didagma vigesimum septimum. Quærendum primum regnum Dei . . . . 526

CCXXII. Didagma vigesimum octavum. Non temere judicandum . 523

CCXXIII. Didagma vigesimum nonum. De festuca et trabe in oculis. . . . . 530

CCXXIV. Didagma trigesimum. De fugiendis pseudoprophetis . 532

CCXXV. Didagma trigesimum primum. Neque solam fidem; neque gratias gratis datas salvare . 536

CCXXVI. Didagma trigesimum secundum. Qui audit verbum et custodit illud cui similis est . 539





CCXXVII. Didagma trigesimum tertium. Christus minatur obduratis civitatibus . . . . 542

CCXXVIII. Didagma trigesimum quartum. Christi confessio ad divinum Patrem. . . . . 544

CCXXIX. Didagma trigesimum quintum. Christus omnes oneratos ad se vocat . . . 547

CCXXX. Didagma trigesimum sextum. Rationem reddendam de quolibet verbo otioso . . . 549

CCXXXI. Didagma trigesimum septimum. Quænam mater et qui sunt fratres Christi . . 550

CCXXXII. Didagma trigesimum octavum. Prophetam non esse acceptum in patria . . 553

Idem Didagma ex S. Luca . 555

CCXXXIII. Didagma trigesimum nonum. De prudentia ac patientia ad prædicandum necessariis . . . . 557

CCXXXIV. Didagma quadragesimum. De modo profectionis et mansionis . . . . . 561

CCXXXV. Didagma quadragesimum primum. De modo egressionis ab infidelibus . . . 563

CCXXXVI. Didagma quadragesimum secundum. Summæ institutiones ad prædicandum . . 566

CCXXXVII. Didagma quadragesimum tertium. Quis timendus et qui non timendi . . . . 568

CCXXXVIII. Didagma quadragesimum quartum. Quid venerit Christus in terras mittere . . . 570


UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CCXXXIX. Didagma quadragesimum quintum. Præmium eorum qui servos Dei recipiunt . . . 572
CCXL. Didagma quadragesimum sextum. De abnegatione sui quotidiana . . . . . 574
CCXLI. Didagma quadragesimum septimum. Humilitatem parvulorum imitandam . . . 579
CCXLII. Didagma quadragesimum octavum. Cavendum a scandalo parvulorum . . . . . 582
CCXLIII. Didagma quadragesimum nonum. De correptione fraterna . . . . . 586
CCXLIV. Didagma quinquagesimum. De castitate quam suadet Christus. 588
CCXLV. Didagma quinquagesimum primum. Divites difficulter salvari. . . . . 590
CCXLVI. Didagma quinquagesimum secundum. Præmium eorum qui omnibus relictis Christum sequuntur . . . . . 595
CCXLVII. Didagma quinquagesimum tertium. Adhortatio ad submissionem. . . . . 598
CCXLVIII. Didagma quinquagesimum quartum. De tributo Cæsari pendendo . . . . . 601
CCXLIX. Didagma quinquagesimum quintum. Primum et maximum legis mandatum . . . . . 605
Idem, vel simile Didagma ex S. Luca . . . . . 607
CCL. Didagma quinquagesimum sextum. Obediendum legitimis ductoribus etsi malis . . . 607



## PARS VI.

### De sanctissima Passione Domini nostri Jesu Christi.

CCLI. Passio Domini nostri Jesu Christi, matri ipsius a Simeone prædicitur . . . . . 612
CCLII. Christus mortem et resurrectionem suam prædicit Judæis . 615
CCLIII. Christus de sui, serpentis instar ærei, exaltatione Nicodemum edocet . . . . . 617
CCLIV. Christum passurum comprehendere nemo potest ante tempus præfinitum . . . . . 619
CCLV. Christus evadit manus et præcipitantium et lapidantium. . 622
CCLVI. Christus prædicit Judæis se exaltandum in cruce . . . . 626
CCLVII. Caïphas de morte Christi salutifera prophetat . . . . . 628
CCLVIII. Christus prædicit fructum exaltationis suæ in cruce . . 631
CCLIX. Christus passionem suam prædicens increpatur a Petro . . 633
CCLX. Moyses et Elias in Transfiguratione Christi loquuntur de ejus Passione . . . . . 636
CCLXI. Ultima Christi passuri profectio Hierosolymam. . . . . 637
CCLXII. Magdalena prævenit ungeri corpus Jesu in sepulturam . . 640
CCLXIII. Concilium de Christo capiendo et occidendo . . . . . 643
CCLXIV. De Juda venditore Christi nefario. 645
CCLXV. Cœna paschalis Christi a duobus discipulis paratur . . . 647

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CCLXVI. De ablutione pedum Apostolis exhibita . . . 649
CCLXVII. Christus proditionem Judæ prædicit . . . . 654
CCLXVIII. Sanctissimæ Eucharistiæ institutio . . . . 660
CCLXIX. Christus proditorem suum manifestat Joanni in Cœna. 663
CCLXX. Christus trinam Petri negationem ter prædicit . . 666
CCLXXI. De discessu Christi e cœnaculo in hortum . . . 673
CCLXXII. De oratione Christi in horto . 675
CCLXXIII. De reversione Christi ad discipulos dormientes . . 677
CCLXXIV. De tertia Christi oratione et sudore sanguinis . . 679
CCLXXV. De proditione Judæ . . 681
CCLXXVI. De hostibus in terram prostratis . . . . 685
CCLXXVII. De vulnerato Malcho et sanato. 687
CCLXXVIII. De comprehensione Christi et fuga discipulorum . . 690
CCLXXIX. Christus ducitur ad Annam, mittitur ad Caiphan . . 692
CCLXXX. De responsione data Caiphæ et accepta alapa. . 695
CCLXXXI. De falsis testimoniis contra Jesum . . . . 697
CCLXXXII. Adjuratio. Blasphemia, Colaphi, Alapæ, Sputa . . 700
CCLXXXIII. De prima Petri negatione . 703
CCLXXXIV. De secunda et tertia negatione Petri ejusdemque pœnitentia. . . . . 707
CCLXXXV. Jesus a Concilio damnatus ducitur ad Pilatum . . 710
CCLXXXVI. De suspendio Judæ . . 713





CCLXXXVII. De agro figuli empto. . . 715
CCLXXXVIII. Repetitio de Juda ex Actibus Apostolorum . . . . 717
CCLXXXIX. Accusatur Dominus coram Pilato de tribus. . . . 719
CCXC. Dominus stat ante Præsidem . 722
CCXCI. Christus vehementius accusatus tacet et ad Herodem mittitur. 726
CCXCII. Gesta in domo Herodis . . 729
CCXCIII. Pilatus Christum innocentem declarat . . . . . 731
CCXCIV. De Barabba latrone qui populo proponitur cum Christo . . 733
CCXCV. De Barabba latrone qui a populo præponitur Christo . . 736
CCXCVI. De flagellatione Christi . . 738
CCXCVII. De coronatione Christi . . 740
CCXCVIII. Pilatus ostendit Jesum populo . 742
CCXCIX. Interrogat Jesum Pilatus et iterum pro tribunali sedet . . 745
CCC. De sententia Pilati in Christum. 747
CCCI. Jesus cruce onustus educitur in calvariæ locum . . . 750
CCCII. Occurrunt in via flentes mulieres. 752
CCCIII. Christus inter duos latrones crucifigitur . . . . . 754
CCCIV. De divisione vestimentorum Christi . . . . . 757
CCCV. De titulo crucis. . . . . 759
CCCVI. Christus crucifixus irridetur et blasphematur. . . . . 761
CCCVII. De conversione alterius latronis. 765
CCCVIII. Christus dat matrem discipulo . 767
CCCIX. Quartum verbum Christi in cruce. 769
CCCX. Christus sitiens potatur aceto . 770
CCCXI. Christus commendat spiritum in manus Patris et exspirat. . 772
CCCXII. De prodigiis in morte Domini . 774


UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CCCXIII. Centurio et alii glorificant Deum. . . . . 776
CCCXIV. Piorum studium erga Christum . . . . . 777
CCCXV. De aperto latere Christi . . 779
CCCXVI. Pietas Josephi ab Arimathæa. 782
CCCXVII. Pietas et liberalitas Nicodemi erga Christum. . . . . 784
CCCXVIII. De sepultura Domini nostri Jesu Christi . . . . . 786
CCCXIX. Pietas mulierum erga Jesum defunctum . . . . . 788
CCCXX. De custodia sepulcri . . . 790
CCCXXI. Milites sepulcri custodes pecunia corrupti mentiuntur Christi redivivi corpus furto sublatum . . . . . 792

## PARS VII.

### De gloria Domini nostri Jesu Christi redivivi.

CCCXXII. Christus resurrectionem suam tertia die futuram prædicit . 795
CCCXXIII. Mulieres parant aromata et egrediuntur ad sepulcrum . 798
CCCXXIV. Terra mota concutitur. Angelus lapidem revolvit . . . 800
CCCXXV. Angeli apparent mulieribus loco sepulcri . . . . . 802
CCCXXVI. Mulieres magis instruuntur de resurrectione Domini . . 805
CCCXXVII. Currunt mulieres ad Apostolos nunciæ . . . . . 808
CCCXXVIII. Petrus et Joannes currunt ad sepulcrum . . . . . 810



CCCXXIX. Magdalena secundo veniens ad sepulcrum duos rursus Angelos videt . . . . 813
CCCXXX. Christus a mortuis redivivus apparet primo Mariæ Magdalenæ . . . . . 815
CCCXXXI. Ceteris Magdalenæ comitibus apparet Christus in via. 819
CCCXXXII. Duobus discipulis euntibus Emmauntem Christus ignotus se conjungit. . . . 821
CCCXXXIII. Christus quos sermones inter se conferant exquirit . . 823
CCCXXXIV. Christus corripit incredulos atque instruit . . . . . 826
CCCXXXV. Christus agnoscitur in fractione panis . . . . 828
CCCXXXVI. Illi visionem suam narrant Apostolis . . . . . 829
CCCXXXVII. Eodem die Christus apparet vespere stans in medio discipulorum . . . . 831
CCCXXXVIII. Christus ab eis petit cibum et manducat . . . . 834
CCCXXXIX. Christus impertit eis Spiritum sanctum et potestatem facit remittendi peccata . 836
CCCXL. Thomæ tum, cum discipulis apparuit Christus absentis, summa incredulitas . . 837
CCCXLI. Thomas post octiduum primum reducitur ad fidem . 839
CCCXLII. Christus apparet discipulis piscantibus. . . . . 841
CCCXLIII. Christus illis facit vim copiam ingentem piscium capiendi. 843
CCCXLIV. Christus in captura piscium agnoscitur. . . . . 844

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CCCXLV. Christus prandium parat et sumit cum discipulis suis . . . 845
CCCXLVI. Christus Petro suas oves committit . . . . . 848
CCCXLVII. Christus Petro prædicit genus mortis . . . . . 850
CCCLXVIII. Christus Petrum curiosius de Joanne quærentem corripit . 851
CCCXLIX. Christus in monte Galilææ discipulis se suis ostendit . . 854
CCCL. Christus aperit discipulis suis sensum ut intelligerent scripturas. 856
CCCLI. Novissima Christi apparitio . 859
CCCLII. Gloriosissima Christi in cœlum Ascensio . . . . . 861
CCCLIII. Anacæphalesus apparitionum Christi ex Actibus Apostolorum. 864
CCCLIV. De Ascensione Christi ex Actibus Apostolorum . . . 866
CCCLV. Angeli prædicunt Christum similiter venturum . . . . 867
CCCLVI. Discipuli reversi Hierosolymam manent in Cœnaculo congregati. . . . . 869
CCCLVII. In locum Judæ traditoris alius Resurrectionis dominicæ testis substituendus quæritur . . 871
CCCLVIII. Mathias in numerum Apostolorum adsciscitur. . . . 872
CCCLIX. Spiritus sanctus effunditur super Apostolos. . . . . 874
CCCLX. Admirantur Judæi quod Apostoli loquantur omnium gentium linguis. . . . . 874
CCCLXI. Petrus probat ex Joele quod factum mirabantur Judæi. . 879
CCCLXII. Prima concio Petri de Passione et Resurrectione Christi. . 882



CCCLXIII. Alia ejusdem Petri Concio de Passione Domini et Resurrectione . . . . . 886
CCCLXIV. In solo Jesu Christo salus omnium consistit. . . . 888
CCCLXV. De fide ac spe nostræ resurrectionis . . . . . 890

Considerationes pro sex istis horis quæ singulis quadrienniis annum efficiunt Bissextilem.

Quatuor væ a Christo Domino intentata. 894
De peccatis remittendis et non remittendis. 895
De multitudine reproborum et paucitate salvandorum . . . . . 898
De domino et servo, discipulo et magistro. 900
De operto et aperto . . . . . 901
De spiritu immundo revertente in domum. 904
Pro anno bissextili. — De extremo Judicio. 906

## MODI MEDITANDI.

Accommodati singulis partibus Monotessari.

Pro Parte I. et II. Modus universalis meditandi Mysteria Domini nostri Jesu Christi. 912
Pro Parte III. Modus meditandi miraculum . . . . . 912
Pro Parte IV. Modus meditandi parabolas. 913
Pro Parte V. Modus meditanti præcepta et consilia Christi. . . . . 913
Pro Parte VI. Modus meditandi Passionem dominicam. . . . . 914
Pro Parte VII. Modus meditandi mysteria Resurrectionis Domini . . . . 921

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS




Typis Societatis S. Joannis Evang. — Tornaci (Belg.)

## EMENDANDA

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Pag. | 5, | lin. 20, | Pro : his visioni- | lege : his visioni- |
| | | | bus. Evan- | bus, Evan- |
| | | | gelista | gelista. |
| » | 10, | » 25, | » ratione my- | » ratione my- |
| | | | sterii illa; | sterii ; illa. |
| » | 64, | » 9, | » Fraterna | » Fraternæ. |
| » | 106, | » 16, 17, | » ex eo quod | » ; ex eo quod |
| | | | futura præ- | futura præ- |
| | | | dixit; Pro- | dixit, Pro- |
| | | | pheta erat, | pheta erat; |
| » | 147, | » 11, | » cum | » eum |
| » | 166, | » 6, 7, | » Cetera ta- | » (cetera ta- |
| | | | centur, etc. | cent u r, |
| | | | | etc...) |
| » | 212, | » 27, | » ut pote | » utpote |
| » | 293, | » 6, | » ut eum | » ut cum |
| » | 352, | » 23, | » malum re- | » nullum re- |
| | | | sponsum | sponsum. |
| » | 359, | » 1, | » est | » et |
| » | 405, | » 24, | » resurrexit | » resurrexerit. |
| » | 416, | » 11, | » Parabola | » Parabolæ |
| » | 418, | » 4, | » impari | » pari |
| » | 421, | » 12, | » sumpto re- | » sumpto re- |
| | | | gno mere- | gno, mere- |
| | | | buntur | buntur |
| » | 424, | » 25, | » ceravit | » creavit |
| » | 442, | » 6, | » horæ | » hora |
| » | 449, | » 1, | » utique | » itaque |
| » | 466, | » 10, | » oblatus | » ablatus |
| » | 513, | » 3, | » sensus | » sensui |
| » | 515, | » 17, | » supersub- | » supers-lem |
| | | | stantialem | (quotidia- |
| | | | quotidianum | num, Luc, |
| | | | | xi, 3.) |
| » | 604, | » 26, | » sententia | » sententiæ |
| » | 629, | » 26, | » Thophyla- | » Theophyla- |
| | | | ctus | ctus |
| » | 637, | » 16, | » Hyerosoly- | » Hierosoly- |
| | | | mam. | mam. |
| » | 690, | » 15, | » salis | » talis |
| » | 705, | » 5, | » populis | » populi |
| » | 707, | » 18, | » gallica cum | » gallica eum |
| » | 773, | » 20, | » Apostoli ad | » Apostoli (ad |
| | | | (Gal. III.) | Gal. III.) |



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| Pag. 800, lin. 14, | Pro : cumo pinio- ne. | lege : | cum opinio- ne. |
| » 806, » 26, | » triumphans | » | triumphum. |
| » 845, » 11, | » facerat | » | fecerat |
| » 850, » 6, | » se cinget | » | te cinget |
| » 863, » 28, | » noluit Chri- stum | » | noluit Chri- stus |
| » 871, » 6, | » exurgens Pe- trus (erat, etc. | » | exurgens Petrus in medio fra- trum dixit. |
| » 891, » 11, | » Eccli. | | Ezechi. |




UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

